

CLASSICORUM AUCTORUM

E VATICANIS CODICIBUS EDITORUM

TOMUS VII.

CLASSICORUM AUCTORUM

E VATICANIS CODICIBUS EDITORUM

TOMUS VII.

SCRIPTORES DE REBUS ALEXANDRI MAGNI
COMMENTARII IN VIRGILIUM, DYNAMIDIA,
HISTORICA ET GRAMMATICALIA QUAEDAM.

CURANTE

A. M.

ROMAE
TYPIS COLLEGII URBANI
M·DCCC·XXXV·



EDITORIS PRAEFATIO.

Augendis litteraturae opibus incessanter intentus, en septimum classicorum Auctorum volumen, miscello scriptorum genere onustum, in lucem profero, quorum idoneam notitiam tradere necesse est.

I.

Alexandri macedonis Itinerarium ex codice bibliothecae ambrosianae, saeculi ferme noni, iamdiu edidi Mediolani, cuius operis nonnisi latum fragmentum (usque ad cap. 12.) Muratorius in italicis antiquitatibus dissert. XLIV, libere tamen, ut ipse fatetur, et arbitraria invenilique manu variatum, ante me vulgaverat. Id sane opus Constantio Caesari medio saeculo quarto inscriptum, et stilo satis aspero sed veritatis studioso compositum, dignum mihi visum est quod secunda editione donarem, textu eius concinnius distributo, et adnotationibus etiam partim reformatis. Et liber quidem est anonymus; sed quia auctor initio operis, se Traiani quoque Itinerarium scripsisse adfirmat, idcirco ego in scholiis p. 1. dixi quibusnam fere vel quot hominibus huius opusculi gloria coniecturaliter possit adtribui; ne videlicet temere in ea longissima scriptorum de Alexandro serie vagemur, qua Sanctierucius gallus iustae molis volumen implevit.

II.

Idem codex mediolanensis, qui Alexandri Itinerarium servavit, Iulii quoque Valerii rerum eiusdem Alexandri historiam, ex Aesopo graeco translatam, mihi obtulit, sane acephalam, et in medio etiam hiantem, quam nunc ope codicum vaticanorum [1] resarciendam utcumque curavi: etenim fore ut Augustae Taurinorum in integriore palimpsesto codice, quem olim vidi, supplementa nanciscerer, spem abieci, postquam V. C. Amedeus Peyronius, quem honoris causa nomino, in praefatione ad iuris theodosiani fragmenta, deletam ab se, rei melioris studio, scripturam I. Valerii chemicis medicamentis narravit; nisi forte aliquod, quod spero, apographum servatum est. Titulus operis in codice mediolanensi is est, qui in hac editione nostra p. 59. legitur; attamen codex taurinensis I. Valerio epitheton *viri clarissimi* adiungit, quod desiderat mediolanensis: quae quidem honorifica appellatio, secundo gradu a spectabilibus, ut ait Scaliger, tertio ab illustribus, in iure et constitutionibus frequens, et imperiali aevo, iam inde a Tiberio, senatoribus aliisque dignitatibus adtributa, non humilem fuisse hominem Valerium nostrum demonstrat. Scripti autem vetustas (ut iam olim demonstravi) luculentur se prodit, quoniam vel Iulius Valerius, vel certe Aesopus, id opus adornabant stante adhuc Alexandriae templo Serapidis [2], incolumique Alexandri tumulo [3], eiusdemque die mortuario sollemnibus adhuc ritibus in

(1) Legesis p. 61. n. 1.
(2) I. Valer. lib. I. 30.
(3) Idem lib. III. 57.

ea urbe peracto [1] : immo et ante conditam Constantinopolim [2]. Iamvero quum Serapeum anno post Christnm natum CCCLXXXIX Theodosii imperatoris edicto subversum fuisse constet ; divus item Iohannes chrysostomus Alexandri sepulcrum de medio sublatum , eiusque annuam memoriam inter homines extinctam sua iam aetate testetur [3] ; sequitur ut hanc historiam omnino ante id tempus conscriptam putemus. Etsi autem ex argumentis , quae dixi , tantummodo arguas , hanc historiam saltem primitus , nempe graece , post illud saeculum non esse confectam ; tamen omisso de graeco exemplari , quod periit , iudicio , si quis interpretis I. Valerii stilum et quasi formam considerabit , is hunc etiam latinum auctorem intra quartum christiani aevi saeculum facile continebit. Atque in hao sententia versatos video doctissimos ante me homines , quibus I. Valerius ex mss. codicibus cognitus fuit , Cl. Salmasium , ut dixi in scholiis meis p. 66 ; Cl. Chifletium qui in Ammiani Marcellini vita ait huic historico synchronum fuisse I. Valerium ; et Carolnm Cangium [4] qui Aesopum (incaute dictum pro I. Valerio) sub Constantio scripsisse iudicat. Patriam quoque vel I. Valerii , vel certe Aesopi , ex eiusdem auctoris verbis videmur cognoscere lib. I. 27. qui de quodam religioso ritu apud Pharum loquens ait: *exin civitas Pharos est , eiusque mos ad nos usque prolapsus , sacrum inter nostros Heroos dicitur* : quae quidem verba quisnam alius diceret , praeterquam Pha-

(1) Idem lib. III. 60.
(2) Idem lib I. 26. adn. 3.
(3) Apud me in scholiis p. 234.
(4) Glossar lat. med. et inf. voc. ἰβέλλινος.

ri civis aut alexandrinus? Adde quod nusquam auctor vel doctior est vel aeque ferme prolixus, quam in rebus aegyptiis et praesertim alexandrinis, cuius urbis auspicatissima exordia diligenti stilo et singulari ac veluti civili amore concelebrat. Quamquam igitur I. Valerius, more aliorum complurium Alexandri macedonis historicorum, super quibus consule sis Sanctierucium, fabulas saepe narrat; non est tamen contemnendus auctor, vel propter antiquitatem, vel quia multa, praesertim in rebus aegyptiacis, non inficeta dicit. Quare hunc librum neque olim me piguit scholiis accuratis rerumque indicibus inlustratum evulgare, neque nunc inter editiones meas conservare prorsus pudet. Ceteroquin novorum latinitatis vocabulorum indiculum praetermisi, postquam in nupera forcelliniani lexici praestantissima editione ratio illorum habita fuit.

III.

Canonicorum veronensium archivium antiquis codicibus abunde refertum, V. C. Scipio Maffaeius descripsit primus, ex eoque ante hos annos, curantibus doctis Borussis, Caii iurisconsulti institutiones prodierunt. Ego quoque Veronae breviter hospitatus, ex codice palimpsesto, in quo sub D. Gregorio PP. Virgilius latet, antiquorum poëtae Interpretum fragmenta excitavi; passim tamen abrupta et mutila, quia quum in margine scripta essent, isque postea barbarico ferro attonsus fuisset, commentarii illi claris nominibus insigniti, ac multa re bona pleni, ceu virgilianus ille Deiphobus, corpore toto laniati sunt:

Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.

Attamen ne sic quidem praeclara scholia dimittenda putavi; erant enim huiusmodi quae libenter cum pulvisculo auferres: namque ante Servium atque Donatum haec nata fuisse, ex eo patet quod nulla duorum illorum in his mentio est, quum tamen auctorum veterum mira copia appelletur: quae sine dubio laus utilitasque praecipua veronensium scholiorum est.

IV.

Ad veterum eruditionem et stilum accedit quodammodo Cynthius cenetensis, quem hominem solus propemodum Lilius Gyraldus inter sui temporis poëtas numerat, satisque innuit eum circa tempora Pii II. P. M. inclaruisse. Cynthii huius copiosus ad Virgilii aeneidem commentarius ineditus, et Gyraldo ipsi minime cognitus, in mediolanensi codice mihi olim compertus fuit, quem etiam ubertate doctrinae illectus exscribere coepi: videbatur enim pervetus auctor, ceu multi sabinum Pomponium diu crediderunt [1], donec unum et alterum vernaculi sermonis vocabulum in his commentariis nactus sum; quae res studium meum totius operis exscribendi fregit. Nihilominus aequalem Pomponii sabini hominem, philologia mira abundantem, qui multos deperditos hodie auctores [2] adhuc legebat, haud hercle invitus ad dias luminis auras pertraho, et post antiquiores Virgilii in-

---

(1) Lege Burmannum praef. ad Virgil.

(2) In nostro indiculo auctorum a Cynthio laudatorum p. 395. *Asper* ab *Aemilio* distinguitur; sed is merito appellatur *Aemilius Asper* a Pseudo-Probo ad Ecl. VI. 31.

terpretes iure meritoqne colloco. Quod si reliquam operis partem, in ambrosiano codice latitantem, aliquando nanciscar, hanc studiosos lectores non celabo.

V.

Quandoquidem tertio in volumine medicam artem edendis graecis Oribasii libris iuvare coepi, placet nunc latinum quoque medicum, cui titulus est modo *Dynamidia*, modo *Liber dynameus*, in codicibus non contemnendae antiquitatis repertum, ad publicum usum deducere. Hunc certe titulum, et ipsum fortasse opusculum, saeculo decimo vercellensis Atto legebat, ut suo loco iam adnotavi (p. 399.). Est id opus in codicibus vaticanis duobus, priore videlicet saeculi X, altero saeculi XII. non sine plurimis mendis scriptum: hiat tamen antiquior codex; quamobrem pars notabilis operis ex recentiore tantummodo a me derivari potuit. Quinque libris universa materia constat, quorum duo priores nunc divulgantur: tertius incipit ab eo Gargilii fragmento, quod ego ipse in quarto volumine edidi: ceteroquin is tertius liber a Plinio Valeriano libro sui operis quarto latissime compilatus fuit. Operis neque auctorem neque ipsam aetatem divinare queo: attamen confidenter aio, post Scribonium certe, Plinium Valerianum, Apuleium, atque Marcellum, Dynamidia nostra non indecore posse reponi; sive doctrinae merito, sive etiam latinitatis, quae lexicorum opes augere videbitur. Denique Dynamidiis fragmentum medicum aliud subtexui, de quo iudicium interponere nullum placet.

V I.

Diu est cum ex codice vaticano, saeculi ferme XII, historica quaedam fragmenta, humiliore stilo scripta, mihi paraveram, in eodem partim argumento versantia, quod tractavit Exsuperantius, cuius opusculum veluti Sallustii historiarum breviarium eruditis videtur. Nunc ne diutius in adversariis meis hae chartae lateant, locum his demum in huius voluminis angulo indulgenter adsigno: de quo scripto quicquid doctiores statuent, perinde habebo.

V I I.

Quum in insigni vaticanae bibliothecae codice, ex Germania rhenana ad nos delato, quem ego circa decimum saeculum scriptum indico, artem grammaticam domni Bonifacii archiepiscopi moguntini, et anno DCCLV. pro Christo martyris, inter alios artigraphos olim conspexissem, profecto et hominis celeberrimi dignitate, et operis ut sperabam utilitate non mediocriter commovebar. Itaque rei memor, etsi iamdiu ex ea bibliotheca digressus eram, curavi tamen ut opusculi apographum aliena manus mihi conficeret; quod ubi sub huius voluminis finem coepi typis imprimere, profecto multis scripturae vitiis inquinatum videbam, neque tamen ad codicem propter quotidianas occupationes licebat accedere, quem alioquin ipsum abundare mendis sciebam. Sed illud molestius accidit, quod Bonifacium parum oppido de penu suo in hanc opellam contulisse cognovi, sed eam potius ex Charisio aliisque Grammaticis consarcinasse. Ne tamen quicquid nomen Bonifacii ge-

rit abiicerem, cuius hominis alia scripta studiosissime ab eruditis conquisita fuerunt, editionem coeptam paene invitus peregi. Porro huius grammatici operis non ambiguam mentionem videntur iniicere veteres duo, qui Bonifacii vitam scripserunt, Willibaldus atque Othlonus [1] ubi de beati viri in patria Britannia studiis ante aetatis annum trigesimum verba faciunt. Sic enim Willibaldus: » Bonifacius tam g r a m m a t i c a e » a r t i s eloquentia, et metrorum medullatae facun- » diae modulatione, quam etiam historiae simplici ex- » positione, dictandique peritia mirabiliter fulsit, ut » etiam aliis demum paternarum extiterit p a e d a g o- » g u s traditionum, et auctor magisterii, qui et disci- » pulus antea subiectorum esse non recusavit ». Othlonus autem sic: « G r a m m a t i c a e a r t i s me- » tricaeque subtilitatis desiderata eruditione potitus, » adeo in hac pollere coepit, ut eius scientiae fama un- » dique divulgata, ad ipsum etiam alii causa discendi » confluerent ».

(1) Apud Mabillonium Act. SS. Bened. T. IV.

ANIMADVERSIONES.

Pag. 61. v. 1. *Egyptii* corr. *Aegyptii*.

Pag. 146. v. 3. a fin. *effectus*. Adde notam: *effectus, nempe victoria, ut patet ex libro III. 4. fin.*

Pag. 159. v. 4. lege *suorum proventuum*. V. 21. *regiis*, dic *egregiis*.

Pag. 160. v. 6. vera lectio est *insecutionem*.

Pag. 361. v. 13. *arma* corr. *arva*.

Pag. 419. v. 11. a fin. lege *strichno*.





HADRIATICUM MARE
sive DACI
MOESI
Haemus
MACEDONIA
Abdera
PONTU
BITHYNIA
PHRYGIA
PISIDIA
LYCIA
Aspendus
Side
CRETA
MARE INTERNUM
LIBYA
Pharos
Canopus
Alexandria
Pelusium
PALESTINA
Memphis
Heliopolis
ARABICUS
AFRICA

INCIPIT

ITINERARIUM

ALEXANDRI.

1. Dextrum admodum sciens, et omine tibi et magisterio futurorum, DOMINE CONSTANTI bonis melior imperator, si orso feliciter iam accinctoque persicam expeditionem [1] ITINERARIUM principum eodem opere gloriosorum, Alexandri scilicet magni Traianique [2], con-

(1) Constantius statim ab inito imperio persicam expeditionem suscepit, nempe anno post Ch. N. CCCXXXVIII.

(2) Notemus, Itinerarium etiam Traiani ab Auctore nostro fuisse conscriptum. Utinam vero id supersit in mss. alicubi et doctis viris occurrat! Nam nec ullam peculiarem Traiani historiam legimus, et eius Itinerarii ope constaret, num reapse explodenda sit Traiani indica expeditio, quam Eutropius lib. VIII. 3, et Sex. Rufus cap. XX, et duo quoque (si Deo placet) nummi apud Eckhelium *doctr. num. vet.* T. VI. p. 463. confirmant; critici autem, post Dionem Cassium LXVIII. 29, homines, et praesertim Freretus *Acad. des Inscr.* T. XXI. p. 55. vehementer negant. Guillelmus Pastrengus in libro de viris illustribus ait: *Fabius Marcellinus Traiani imperatoris vitam scripsit et gesta.* Idem Pastrengus: *Acolius Traiani, Alexandri* (Caesaris), *et Aureliani principum res gestas et mores monumentis tradidit.* Idem: *Aptacius Verus Traiani imp. descripsit mores et vitam.* Confer eundem etiam

ponerem; libens sane et laboris cum amore succubui; quodque meum velle [1] enimvero id exigit [a] suspensique [2], quodque regentium prospera in partem subditos vocant. Ac siquid ex eo iuverim vel praeiverim, vicem sciam in me etiam redundaturam: quoniam quisque mortalium iure naturae in eo se plus diligit, a quo ipse defenditur. Sed enim quamvis factorum egregiorum inops lingua testis ignobilis, ego tamen audacter id humeris [b] subeo, non meis fretus verum externi ingenii viribus. Nec de loquacium numero vilibus usus auctoribus, sed quos fidei amicissimos vetus censura pronunciat [3], quosque istic qua potui tibi circumcisa satis cu-

(a) Codex *quodque id m̄m vel enim id et exigit.* (b) Cod. *innumeris.*

in *Encolpius*, *Iunius Cordus*, *Statius Valens*. Denique Antidamus quoque heracleopolites scripserat latine Alexandri mac. historiam, teste Fulgentio de prisco serm. voc. *vespillones*. Quoniam vero noster non de Alexandro solum macedone, verum etiam de Traiano scripsit, licet suspicari aliquem ex praedictis auctoribus esse.

(1) *Velle* loco saepe substantivi nominis adhibetur addito possessivo apud sequioris praesertim aevi scriptores. Sane Augustinus *de divers. quaest. ad Simplician.* I. 10. ait: *nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus .adiuvet Deus.* Sic etiam de Civ. D. V. 10. Mart. Capella ed. Vulcan. p. 9. *velle* est *voluntas.*

(2) Nempe *otiosi et a publicis muneribus vacantis.* Sic apud Ammianum Marcellinum XIV. 6. legimus *praepositos familiae suspensae*, scilicet *otiosae et ab opera vacanti.* Ceteroqui malim legere *suspensioque.*

(3) Inter historicos Alexandri principem sine controversia locum tenet Arrianus, isque tantum veri studium prae se

riositate collegi : adhibito sane verborum cultu restrictius, quoniam voti communis utilitas, non privatae iactantiae gloria petebatur.

2. Itinerarium denique pro Breviario superscripsi, castigans operis eius [a] etiam nomine facultatem. Scilicet uti centrum [b] virtutibus tuis; animo [c] quippe sitienti laudis irritamento est, in causa olim pari scire obsecutam rationi fortunam. Praesertim cum illinc tu res martias auspicere, ubi quemque fidentiorem merita imperia sublimarint: triumphorumque tu exim stipendiis imbuêre, ubi quisque felicior pro gestis apicem posivere. Scilicet ut dum iuventae conatus paternis maturitatibus admoliris, inclytorum quam maxime principum merita supervadas: quorum protinus te te [d] in omni hac parilitate nec consilii paeniteat, nec pudeat vero fortunae. Quamquam scio [e] maiora longe feliciora, quae profecto sint vobis exempla de maximis Constantinis patre et fratre [1]; certe (quae priora sunt tem-

(a) Cod. prima manu *eis*, mox factum *eius*. (b) Cod. *cent.* (c) Cod. *cum*. (d) Ita cod. (e) Cod. pro *scio* habet *iussio*.

fert, ut φιλαλήθους nomen eidem adhaeserit. Iamvero latinum Itinerarium cum Arriano saepissime congruit, uti quisque considerans noscet. Porro ipse Arrianus e libris Ptolemaei et Aristobuli, qui fuerunt Alexandri aequales et comites, quique omnium veracissimi ferebantur, suam historiam compegit.

(1) Eximius locus ad aetatem huius Itinerarii prorsus cognoscendam. Quum enim auctor Constantiuos patrem et filium hoc capite iam mortuos dicat, Constantem vero non nominet, sequitur omnino scriptum hoc exaratum esse eo temporis intervallo, quod a Constantini filii nece ad Constantem item occisum excurrit, videlicet neque ante annum CCCXL.

pora etiamsi meritis secunda tu feceris) ipsos illis, siquis functis [a] est sensus, voto accessuros existimo [1]. Tibi in Persas hereditarium munus est, ut qui romana tamdiu arma tremuerint, per te tandem ad nostratium nomen recepti, interque provincias vestras civitate romana donati, discant esse beneficio vincentium [b] liberi, qui omnes illic fastibus regiis milites bello, servi pace, consentur.

3. Igitur si Terentius Varro Gneo Pompeio olim per Hispanias militaturo librum illum Ephemeridos [2]

(a) Cod. *functus*. (b) Cod. *viventium*.

---

neque post CCCL. Iure vero auctor capite I. scripsit, Constantium orsum ſeliciter persicam expeditionem: intra enim illud decennium, Theophanes quidem anno Constantii imperantis sexto triumphatum de Persis narrat; annus vero eiusdem XIII. (seu potius XII.) magna Persarum occidione apud Singaram nobilitatus est, interfecto etiam Saporis ſilio, ita tamen ut romanam victoriam mox inconsulta ſerocia militum corruperit. Videsis Iuliani imp. orationem I. ed. Lips. MDCXCVI, p. 23. et seqq., nec non Sex. Ruſum cap. XXVII.

(1) Quum praestantissima sint tibi, Constanti, exempla a patre et ſratre, cur ego Alexandri Traianique gesta occino? Nimirum quia puto ipsos iam vita ſunctos Constantinos patrem et ſratrem exempla Alexandri et Traiani renovari percupere.

(2) Huius Varroniani libri meminerat Nonius Marcellus in voc. *autumnitas* his verbis: *Varro Ephemeride navali*: *Etesiae diutius et uberius flaverant, et autumnium ventosum fuerat*. Nunc pleniore notitia huiusce libri iam fruimur. Mirum est quod Suidas voc. Βάῤῥων ait Varronem historicum scripsisse epitomen rerum Alexandri. Num igitur etiam Auctor Itinerarii est quidam Varro iunior? Conſer etiam voc.

sub nomine laboravit, ut in habiles res eidem gressuro scire esset ex facili inclinationem oceani, atque omnes reliquos motus aërios praescientiae fide peteret ut declinaret; cur ego [a] tibi rem nostrae salutis adgresso non ut ex bona flamma virtutum hanc facem praeferam? quoniam quantum ingenio minor, tantum hoc voto Varrone sum potior: uti vel inde, quamquam corporis liber, animi tamen vobis militem viribus. Modo indicio sim quam illi viam fortitudini straverint, quae tibi nunc pro omnium salute carpenda est. Neque enim ego hic elegantiam sermonis affecto, cui de commodo usus ipsius laboratur: cum sit felicitas maior tali in opere versanti praeisse quod prosit, quam conposuisse quod placeat: ut quo segnitior fuerit dicti simplicitas, hoc et fidei plus et luminis habeat enarratio. Quippe quoniam in talibus veritas palmam rapuerit eloquentiae: quae ubi arte protegitur, scriptor pro auctore laudatur.

4. Sed mihi hic et materiae parilitas blanda est et germanitas spei de te scripturo potiora tum Alexandri gloriis tum Traiani, quibuscum tibi sane commune est fatalem hanc belli lineam tangere: quoniam aetas quoque alterius nunc penes [b] te est [1], alterius vero con-

---

(a) Cod. *ergo*. (b) Cod. *poenes*, at deinceps *penes*.

ἐγκατέσκηψαν. De itinere in Hispanias legesis narrantem Varronem apud Cic. ad Att. V. 11. Ephemeridem suam scripserat etiam Iulius Caesar, teste Servio ad Aen. XI. 743. Porro de usu imperatorio ephemeridum legatur Polybius lib. IX. 5. sq.

(1) Natus est Constantius anno post Ch. n. CCCXVII. Alexander vixit annos XXXII, de Aristobuli sententia apud

silium quo vincis aetatem. Quippe Alexandro illi interim sic aequabere: magnus ille cognomine, tu vero maximi [1] filius: eadem fere natus terrae sub parte [2], eôdem atque ille [a] ducis exercitum: numero militum par, sed melior examine [3]: eandem ulturus iniuriam es, sed disparis contumeliae [4]. Ex quo iure sane sit

(a) Cod. *inde*.

Arrianum (lib. VII. 28). Iam cum Arriano in plerisque, ut iam monui, consentit latinum Itinerarium. Ergo, nisi Auctor latiore quodam calculo utitur, hoc scriptum ipso anno CCCXLIX. elaboratum est, qui fuit secundus supra trigesimum aetatis Constantii.

(1) *Maximi* titulum Constantino patri additum in nummis et marmoribus videre est.

(2) Constantius in Illyrio natus est, teste Iuliano imp. *or.* I. p. 5. D. Alexander Pellae in Macedonia.

(3) Constantio in divisione imperii partem militaribus copiis minime abundantem obtigisse, sed tamen tirones ab eodem egregie formatos ait Iulianus *or.* I. p. 18. C. p. 21. C.

(4) Alexander bellum Persis intulit ut horum in Graeciam veteres irruptiones atque insidias quas iidem Persae Philippo patri faciendas curaverant ulcisceretur (Arr II. 14. Curt. IV. 1). A Constantio Metrodori mendaciis acquiescente bellum persicum susceptum, narravisse se dicit Ammianus XXV. 4. Sed eum locum Ammiani deperditum reparat Cedrenus ad Constantini magni annum XXI. Nimirum Metrodorus quidam philosophus ad Indos peregrinatus lapides pretiosos inde retulit ad Constantinum, falso testatus multo plures sibi ab Indorum rege datos, quos Constantino donaret, sed in itinere direptum se a Persis. Eaque causa belli adversus Persas Constantino et mox Constantio fuisse dicitur. Quamquam revera adversus Constantium Persae ipsi initium armorum fecerunt.

praesumendum, quod aequali omine militans, pari potiare fortuna: hactenus socius exemplo, ceterum pro merito felicior. Siquidem [a] Deo praesidi acceptiora sunt vota quae fas et modestia [1] concepit, quam quae efferis moribus inconsulta arrogantia rapit. Ille sibi soli vicisse gloriatus [2], factusque in amicos saevior, quo felicior fructu victoriae, calluit ob id tumultuatos [b]; saluti vero romanae tu militans, ei mox imperio contendens aetate, cuius te gloriae immortalitas comitabitur [3]. Etenim ne tibi tantis ac talibus occupato ultra obloquar, hinc exordium faciam.

PROSAPIA ALEXANDRI.

5. Alexander natus Olympiade generis Acacidarum, patre ambiguus fuit, Iove Hammone tali de sobole, et [c] heraclide Philippo conpetente. Sed ubi Philippo successit, eumque ultus est, Pausania caeso cum tribus filiis, quod hi praesidentem aegensi theatro Phi-

(a) Cod. *siquidem quoniam*. (b) Cod. *tumultuatus*. (c) Cod. pro *et* habet *aut de*.

(1) Constantii modestiam ac mansuetudinem commendat etiam Iulianus *or*. I. p. 45. D. a contrario exemplo Alexandri qui post victoriam persicam insano fastu et saevitia efferri coepit.

(2) Confer Alexandri ipsius concionem ad milites apud Iulium Valerium sub initium tertii libri.

(3) Reapse, ut narrat Ammianus XV. 1. Constantius studio blandientium sublatus immunem se ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimabat, adeo ut aeternitatem suam aliquoties ipsemet assereret.

lippum interemissent; fundato protinus imperio Macedoniae, omnique in ius suum arcibus [a] regiis Peloponneso quaesita, consensu cunctorum in Persas ducere exercitum meruit, solis id modo Lacedaemoniis rennuentibus [b], non merito indigni, verum pudore posthabiti [c] sui numinis [1]: quoniam imperium sola res, cuius pretium periculis aestimatur. Quibus [2] Alexander deditus aetatis anno vicesimo, ut se tanto apparatui idoneum faceret, legit militem voluntarium ac sibi voto conpetentem: non numero uberi, verum viribus alacritatisque usibus animatissimum. Etenim quoniam id esset commodius, se in exemplo ponebat.

6. Quippe ipse visu arguto, naribusque subaquilinis fuit, fronte omni nuda plerumque, quamvis pinguius fimbriata de exercitio ob vehementiam equitandi, cuius id arbitrio dabat, ex quo reclinam comam iacere sibi in contrarium fecerat: idque agebat decorius militi, quam si deflueret [3]. Statura iuvenis mediocris, membris exsuccior, sed quae nullas ferventi moras adferret: quod plus usui quam contemptui [4] lenocinare-

---

(a) Num *artibus?* (b) Ita cod. heic et alibi, uti legitur *rettulit* pro *retulit*. (c) Cod. *posthabitum*.

---

(1) Nimirum, ut ait Arrianus I. 1, Lacedaemonios puduit a principatu suo se demittere, quem in Graeciam universam exercere a maioribus didicerant.

(2) Nempe *periculis*.

(3) Ita reapse se habent Alexandri capita seu sculpta seu cusa. Confer summum rei antiquariae magistrum Ennium Quirinum Vicecomitem *Iconogr. gr.* Part. II. cap. 2. Et adi Aelianum var. hist. XII. 14, Solinum cap. 14.

(4) *Contemptus* hoc loco usurpari videtur pro *incremen-*

tur. Crebrioribus quippe musculis tuberascens, miris nervorum coetibus intendebatur. Pernix cursu quo vellet, et vehemens impetu quo miraretur [a]: nimius tormento iaculandi, continari [b] quem destinasset peritus, fervens irruere quo audendum, constans excipere qui confideret, eminus certus, comminus violentus, eques improvidus turbidusque, pedes interritus pervicaxque. Multus ad imperia difficultatum, onerosior tamen exempli proprii irritamentis: quoniam bono opere praeveniri pudibile ducebat, iuventae munus e corpore alacriter petens. Ipse barbae acutae durior, et cetera candidus: et quae sibi sane quisque rectius consulat, aut ipsi certe imperatori vel militi velit. Quippe ego tibi Alexandrum dixerim, tu te videto [1]. Nam nec blandiri proposui, et nolo videri auribus gratiosus, ubi oculis iudicare de te tuis omnibus lucet [c].

(*a*) Ita cod. nisi mavis *minaretur*, (*b*) Ita cod. *continari* a *contus* nempe *iaculum*. Itaque *continor*, *aris* idem videtur quod *iaculor aris*. Nisi forte corrigendum est *conlineare* vel *conlimare quô*. (*c*) Ita cod. *lucet*, non *licet*.

---

to. Atque haud scio an huc trahendi sint loci Lucretii lib. V. 831. et 1276.

Porro aliud concrescit et e contemtibus exit.

Porro aliud succedit et e contemtibus exit.

(1) Ammianus XXI. 16. Constantium his coloribus pingit: *equitandi et iaculandi maximeque perite dirigendi sagittas artiumque armaturae pedestris perquam scientissimus. . . . Figura tali situque membrorum: subniger, luce oculorum edita, cernensque acutum, molli capillo, rasis adsidue genis lucentibus ad decorem, ad usque pubem ab ipsis colli confiniis longior, brevissimis cruribus et incurvis: unde saltu valebat et cursu.*

7. Is igitur magnus usu sibi Peloponnesi vires viritim oppidatimque multa benivolentia pigneratus est. Thracas quoque animo variantes impigre subegit ab Orbelo [1] monte qui imminet Philippis [2] urbi philippeae [a], Haemo continuus ad Istri ostia: eximque cum mari dextro perque Euxinum militans, Maeoti [3] transmissa, iam remeans Gothos [4] irruisset, eos quoque superat bello, die eadem regressus ad suos: tum Dahas [5] Moesosque et Illyrios Dalmatasque omnes iustis proeliis superat componitque, et Thebas boeotias diruit tumultuatas. Itaque iter in Asiam auspicanti nuntiatur Orpheos musici statuam plurimum sudavisse [6]: idque laboris fore ingentis indicium [b] litteratis laudes eius cantantibus dictum. Quo magis ortu veris Hellespontum proficiscitur, mandata imperii macedonici tum Peloponnesi Antipatro procuratione sub sui nomine: nec plus suorum quam peditum ·X· [7] equitumque comita-

(a) Cod. *urbe philippea.* (b) Cod. *inditis* aut *inclitis.*

(1) De *Orbelo* Suidas voc. δειρά.

(2) Arrianus quoque I. 1. habet Φιλίππους πόλιν, quam lectionem adversus eos, qui scribendum censebant Φιλιππούπολιν, recte ibi tuetur Gronovius, et nunc confirmat Auctor Itinerarii.

(3) Legesis Strabonem lib. VII. p. 462. Aras Alexandri ad Maeotidem memorat Ammianus lib. XXII. 8.

(4) Gothos agnitos formidatosque Alexandro ait Isidorus in hist. Goth. initio.

(5) Ita cod. nisi mavis scribere *Dacos*: nam *Dahae* longissime aberant in Asia.

(6) Confer Augustinum de civ. D. III. 11.

(7) Consonat fere Diodorus XVII. 17. qui ait Alexan-

tus ·V· milibus proficiscitur. Agmen vero ceterum et auxilia circa gentium classi vehebantur belli usibus divite, quae Amphipoli in Strymonis littore [a] erat. Eo usque a matre deductus acuitur ad gloriam. Ita nobilitas et in feminis periculis est amica. Igitur ipse per Abderam Maroniamque tum Hebrum et Melanam amnes, classis vero circuitu omni ·XX· die Seston uterque adpulere, Abydumque transmittunt, et Diis heroibus qui aput Ilium litant [1], ubi hasta humi fixa, omen sibi facit Asiae bello quaerendae, quam Persa miles ea tempestate possidebat.

8. Exim praemittit Parmenionem et Attalum duces, qui satrapas ·VII· omnem Asiam praetendentes irritamentis a se se diducerent spargerentque: quoniam primo conflictu de summa belli decernere, priusquam suos in hoc erudisset, Alexander declinabat. Sed enim satrapae notam ignaviae declinantes, quam in se scirent a rege supplicio punitum iri, ubi de Alexandri adventu conperere, apud flumen Granicum congreges locant castra: quod is Granicus idaeis [2] conriviis [b] re-

(a) Cod. *in Strimone incoris*. Nisi quis mavult *in Strymone bicorni*; ibi enim reapse bicornis est Strymon. (b) Ita cod. *conriviis*, non *conrivus*.

drum trans Hellespontum tulisse Macedonas pedites non plus duodecim mille.

(1) Strabo lib. XIII. p. 888.

(2) Cod. ita, *Granicusa. daeis*. Videbatur autem scribendum *idaeis*, quoniam Homerus *Iliad*. XII. 21. Granicum recenset in fluviis qui ab idaeis montibus profluunt. Nisi quis mavult scribere *adrastiaeis*, quandoquidem Iustinus XI. 6. ait: *prima congressio* (Alexandri cum Persis) *in campis Adrastiae fuit*.

pens praecipitio montano descendens ruensque impetu plusquam agmen navale: quô [a] sperato segnius venerat eminus [b] Macedo. Res vero erat Barbaris ceu secura, Graecis ardua: amnem tantae latitudinis et torrentis profundi, abruptis utrimque ripis, adversum aciem evadere, quae multiplici numero gregatim sparsis obsisteret. Nihilominus ubi suos quoque Alexander velut ex pari obviaturos sub luce conposuit, paulisper moratus, itidem ut digesta acies erat aequali fronte, vadum evincere incitat. Ita res belli audacia ne an vero fortuna plus sua *peragatur*, haud pronunties exemplo praesentium. Ubi ordo quippe alvei tot milibus obtentus armatis, incerta soli validitas, divina fortuna vix tamen profundo sese vultu modo liberi dexterisque emersissent [c] mutuo adminiculabundi; mox eis erat scutum levare, tela imminentium fundere [d], praerupta littoris conplanare, trudere infestantes. Tum quisque evaserat prior, vim cavere, sequentes educere, ordines struere laborabat.

9. Satis tamen constat, hic quoque laudis palmam penes regem fuisse. Dirigens quippe Alexander ante omnis cornu dextrum, scandensque littus obviam, cum in sese duces hostium excivisset, ferventius bello usus, dampno militiae periclitabatur. Namque ubi ei hasta praefracta est, dum circumspectat suos, dumque sibi porgi [e] aliam petit, irruenti Mithridati qui gener Da-

---

(a) Cod. *in quo*. (b) Ita cod. nisi forte est corrigendum *exercitus*. (c) Cod. *Ubi ordo quippe tot alvei milibus obtentus armatis incerta sub soli validi divinae fortuna vix tamen profundo sese vultu liberi ïdexterisque emersissent*. (d) Ita cod. sed videtur scribendum *retundere*, aut *tela in imminentes fundere*. (e) Ita cod. *porgi*.

rio regi erat, telum quod accepit intorsit. Quo protinus strato, etiam tunc et in haec intento a tergo supervolat Spyridates, libraveratque iam acinacem post galeam caesam brachium bellantis Alexandri petiturus, ni viso Clitus id faceret quod minabatur. Eis caesis, aditus bellantibus datus et virtutis exemplum reliquis insequentibus. Nec [a] denique fuit mora transitui, proelio [b] ita non multo post debellato, internicione hostibus caesis (nisi pauci qui studio fugae arma propere [c] abiecerant) captisque [d] aliis, quorum plerique Athenienses Persis precio militabant; quos quidem ferro vinctos Macedoniae rura *colere* iubet. Utrimque caesos humat [e]. Praedae pleraque iactans gloriae matri transmittit.

10. Igitur hac belli fortuna in confidentiam consequentium [f] eruditus, Lydiae Sardis et reliquas recepit Asiae civitates aditu indemni, Persis navale bellum frustra temptantibus, quoniam terrestribus undique sumptibus aut praesidiis arcebantur. Fuit tamen Alexandro etiam Halicarnassi anceps bellum, quam obsidione vix coepit et diruit; propiciatus hinc post reginae, cui mox reddidit regnum eius urbis; ab eaque se filium dici dignantissime pactus est. Exim Lyciam ac Phrygiam suas facit. Cumque ageret Phaselide, audit Aeropi filium novare adversum se res velle, hortatu Darii, Asinae internuntio, ut si is magnum Alexandrum oppressisset, regno eius uteretur, additis sibi auri talentis mille et amicitia Persarum. Quod is

(a) Cod. *haec*. (b) Cod. *quae proelio*. (c) Cod. *ponere*. (d) Cod. *captisve*. (e) Cod. *utrique caesos humant*. (f) Cod. *inconsequentium*.

Alexander Acropi, interfectoribus Philippi conscius, heredis eius clementiam [1] callidam suspectaret: et est creditu facile quod conscientia opinatur ad sui meritum. Ea ergo reprobata [2], ex consilio hominem amolitur, Pergenque Pamphyliae protinus transit. Hinc Aspendiis condicione imperata, cum Side tenderet, neque Aspendios obsequentes iussis audisset, regressus eos captivavit transitorie. Tum itinere mutato, Pisidiam [a] una cum exercitu repedans, reniti ausam invitamque obsequiis Sagalassum expugnat urbem monte munitam: perque Sagarim Phrygiae amnem Euxinum venit: eoque de Macedonia sibi eques pedes*que* miles adhaerescit, viribus quam numero magis: quo auctus protinus per Bithyniam et Galatiam tum Cappadociam, superato Tauro, Tarsum Ciliciae venit *multo* labore [3], urbem sibi paene fatalem ex hac periculi facultate.

11. Arsames satrapa magna cum manu bello in se [4] etiam tunc paratus ferebatur, adhuc [b] Ciliciae potens. Eo usque [c] Alexander, ut ei mos erat, armis gravis peditem suum pedes ipse in acie comitabatur. Sed enim aufugerant qui armabantur *ab* Arsame. Ipse ubi Tarson invehitur, sudore et pulvere miles decens, labore et honore regali, Cydnum amnem videt urbis eius

---

(a) Cod. *Pisidia*. (b) Cod. *ad haec*. (c) Cod. *eosque*.

---

(1) Huic enim Alexander rex pepercerat teste Arriano I. 26.

(2) Scilicet *clementia*.

(3) Cod. *laborem*. Scripsi autem *multo labore*, quia Aristobulus apud Arrianum II. 4. ait, Alexandrum ex nimio labore Tarsi in morbum incidisse.

(4) Nempe in Alexandrum.

media pervadere, coetu civium coronatum, mundum facie, acutum frigore, nimium agmine, festinum meatus, ripis virentem [a]: delectatusque tali elemento seu fluento, victus aestu ac desiderans frigoris, an ut fortitudinem sui intuentium civium theatro iactaret, saltu pontem fluminis scandit, una clypeo loricaque et [b] telo cum casside, inque amnem sese translatus alacri saltu praecipitat, eiusque omnem, retentans arma, latitudinem natat. Ita interpretatus [c] est regiae fortitudinis formam ex se militi dare qui se se iactaverint. Sed minores animo corporis ei vires fuere sustinendae iniuriae. Calens quippe omnis ac vaporatus, hausto fluminis frigore penetrabilius utique quo rarior [d], tantos febrium sibi contractu nervorum vapores excivit [e], ipsis vitalibus vi frigoris ebriatis, ut spe bona medici laberentur, ni amore in eum diligentiores fuissent. Tum quidem fertur illud specimen extitisse Alexandri virtutum ad amicitiam memorabile. Philippus medicus alvo eius incitandae potum parabat. Id Parmenion aemulus Philippo venenum noxium dicens, litteris regem uti letali [f] prohibebat. Quas ubi Alexander hausturus excucurrit [g], chartam medico legendam dans, ilico ipse poculum stringit, unaque vitium morbi et calumniae diluit: docuitque, amicitias probatas secundam non recipere deliberationem.

12. Post id magnae curae Alexandro fuit Ciliciam quoque omni hostium interpellatu purgare. Iamque Mallon urbem appulerat Ciliciae non ignobilem, cum Darius ei adnuntiatur omni cum belli apparatu abesse bi-

(a) Cod. *ipsis virente.* (b) Cod. *vel.* (c) Cod. *interastes* pro *interpretatus.* (d) Cod. *ratior.* (e) Cod. *exivit.* (f) Cod. *loetale.* (g) Ita cod.

dui viam [a]. Quae res Macedonas itinere praeversos tantum in belli ardorem spe praesumptae victoriae levat, ut ipso biduo gravarentur mora et taedio. Issum denique uterque concurrunt, aciemque angustis loci faucibus struunt. Atque hic sane operae pretium foret, si modo suscepta opera pateretur, referre in milites utrimque regalia incitamenta: ut hinc Graecis ultionis necessitas dicta sit, et sui dignitas, et praeiudicia fortunae; at contra Persis adrogantia ventilata: cum summa utrubi fuerit, vitam illic relinquendam, unde non victoria sequeretur. Quamvis Alexander Hammonis numine, ut paterna sui procuratione, in spem uteretur militis creduli, quoniam res [b] securis Dei altero tanto iustius antistat, et eruditio fit audaciae confidentia praeiudicii, accedente [c] ad commodum sui quod hosti illic de loci lege ad emolumentum peribat, cuius DC. milia bellatorum in parte vigesima numerabantur [1]: verum conditio situs vires aequaverat, in faucibus loci aequis frontibus concurrentibus.

13. Hic ego [d] facinus auditu dignum non praetermittam in loco ponere. Quippe Alexandrum ferunt, ubi pernox aciem suam voto conposuit stipavitque securior laterum; adeo post id pingui somno soporatum, ut adulto iam die hosteque propinquante vix ducibus excitaretur. Quaesitumque ab eo et quid causae esset, quod

(a) Cod. *via*. (b) Cod *re*. (c) Cod. *accente*. (d) Cod. *ergo*.

(1) Alexandri exercitus triginta militum milibus constabat, quae erat pars vigesima ad rationem persici exercitus. Sed quum pugna angusto in loco consereretur, peribat seu fiebat inutilis pars maxima copiarum hostilium, cum insigni commodo paucitatis Macedonum.

sub illo discriminis tempore curae plenus adeo solito diutius ac profundius cubitavisset? eumque dixisse laetiorem: sane non frustra, quod insperata sit copia sibi hostium data, securum factum acie disposita pro sententia [1]. Postque id ipsum dextrum cornu duxisse in confertissimos Persas: et thessalos equites mox insecutos, ac minaces maxime hostium globos ilico discidisse, acrique impetu agmen ad amnem Pinarum trusum in terga vertisse: plus multitudine sui hostibus quam metu fugave turbantibus. Ipse denique mox Darius curru relicto et in curru insignibus regiis aegre [a] illi fortunae eximitur; affectibus [b] quoque in tentoriis regiis hosti relictis; dolori dedecorique spolia tam foeda quam bello non necessaria, matre et coniuge comitantibus filiabusque duabus et filio. Opum tamen eius minus opinione illic inventum, quoniam pleraque festinans Damasci commendaverat. Alexander tamen victor ad Darii epulam [2] et tentorium subit: isque finis bello [3] fuit.

14. Insequenti Alexander die, etsi gravi femoris saucius vulnere, obiit tamen cunctos, et quisque desideratus uti sepeliretur et Persa ex pari iubet: quisque vulneratus ut curaretur, donatis his regie, quorum in

(a) Cod. *aegregiae*. (b) Cod. *effectibus*.

(1) Alexandrum insolito sopore gravatum imminente pugna ad Arbelum (seu Arbela) aiunt Diodorus, Plutarchus, Curtius, Iustinus. At Auctor Itinerarii ante proelium ad Issum id Alexandro contigisse narrat. Arrianus neutrubi eius rei meminit.

(2) *Epulam*, inquit Festus, *antiqui etiam singulariter posuere.*

(3) Nempe *certamini.*

bello ipse commilitio fortitudinis testis erat aut socius difficultatis. Audito tamen captarum Darii mulierum [a] ululatu, quibus visa arma Darii vel currus opinionem caesi regis adferebant, exisse ad eas [b] fertur et honorifice vidisse, regieque observari iussisse. Ubi additur, Hephaestiona [c] una cum vidissent indiscretius cultum [d], de auctu corporis melius opinatas, ipsum pro Alexandro salutasse. Sed enim errorem hunc matre Darii erubescente, dixisse regem, nihil eam erroris eius paenitere debere: in utroque enim se Alexandrum salutatum.

15. Darius tamen collectis ex fuga ferme ad ·IIII· milibus equitum, Euphraten petit insequentibus interponendum. At enim Alexander praecoque properans, Coele composita eiusque urbibus confirmatis, poenicis [e] quoque Syriae res invisit, et Stratona Gerostrati filium [f], qui Persis navalibus [g] praeerat, supplicem recipit libenti cum venia suum factum. Ab eo aurea corona coronatus Aradium [h] multasque sibi alias adhibet civitates. Ibi Darii sumit supplices litteras se culpa purgantis, neque belli causas ab se ortas, verum lacessitum obviasse. Quae utcumque res fuerit, sese nunc quaesere matrem sibi affectionesque restituat, quarum pretium facere auri talenta ·X· milia. Verum Alexander refert: si praecedentium memor sit, belli [1] fortunam Persarum merito inclinasse: frustra-

(a) Cod. *multorum*. (b) Cod. *eos*. (c) Cod. *Efestiona*. (d) Cod. *cultu*. (e) Ita cod. pro *phoenicis*. Est autem archaismus Vide Eckhel *Doct. num. vet. T. III. p.* 388. (f) Cod. *filio*. (g) Cod. *vanalibus*. (h) Cod. *Arabium*.

(1) In codice interpungitur post *belli*, quae si interpunctio placeat, scribendum sane esset *bellorum*. Dicit autem

que nunc offerri sibi, ceu si sint dubia, quae iure Martis iam sua sint, una ipso qui largiatur. Darius vero si velit reabse fortunae parere victorisque nosse clementiam, quid quaeso interest ut manu ita et moribus sponte se dedat [1]? Neque paeniteat sui ni bellum mavelit.

16. Hisce responsis, Damascum capit obnisu levi opum conditorium persicarum. Tum legatos intercipit Thebanorum et Spartanorum [a], Dario blandientes, sibi iniquos. Neque in eos inmitius consulit gentium iure, sed dans modestiam tempori. Tyrum tandem [b] veniens sacrificare Herculi voluit, quod secus incolae aestimantes, internuntiis caesis, causas belli sibi et excidii peperere. Arceri quippe rex aditu dolens, urbem obsidere instituit. Ea Tyros insula etiam tunc erat haud procul continente, adeo ut facile sibi Alexander vindicaret, quod adgestu iacto eam urbem terrae continuet. Inque id protinus e Sidone naves acciuntur, unaque his Gerostratus rex Aradi venit, relicto satrapa: Poenices quoque et Rhodii Soliique [c] vecti classibus suis, et una Mallonii Cypriique utiles bello navali, Lyciique [2] adfuere, adgregatis etiam ex Macedonia na-

(*a*) Cod. *et partem unam.* (*b*) Cod. *tamen.* (*c*) Cod. *vel Hrodii Soliive.*

Alexander, se praeteritas Persarum in Graeciam excursiones ultum venisse cum exercitu in Asiam, qui iusta fortuna victor evaserit.

(1) Nempe supplex veniat ad Alexandrum, quod ait Arrianus II. 14. Codex autem habet *sedebat.*

(2) Cod. *navalidii.* Corrigo autem *Lyciique* potius quam *Lydiique* Lycios enim Tyrum auxiliares Alexandro ducit Ar-

vibus ac militibus. Iusto iam denique apparatu opus coepit: triduo facile laboratur. Hinc [a] machinamentis admotis disiectisque muris et internicione incolis caesis, obtimates tamen pauci in Herculis templo reperti honore Numinis sospitantur.

17. Haec dum Tyri geruntur, Darii legatio revenit ceu si [b] in auctione regni pausam malis praesentibus petens pretii delinimento, lucrique additamentis livens gloriae conpetitioni, quo [1] pars maior mortalium vincitur: nam virtus in paucis est. Quippe ad decem milia talentum auri, pro matre et filiis uxoreque, sponsa iampridem addebat quidquid utrique regno possidendum limes Euphratis dispesceret [c] ac muniret a se datum iri, cum filiarum una quam sibi victor nuptiis delegisset ad fidei religionem. Haec adeo ampla videbantur, ut Parmeniona sit relatum, se sane dixisse si ipsus [d] Alexander foret, oblata petiturum: responsumque a rege, se quoque si Parmenion foret oblaturum. Renuntiari denique Dario iubet inscientiam sui [e] ridere, quae omnis est sua, partem malle [f] quam universitatem. Nam de eius filia, ni temperare sit pulchrius, copiam non morari: sibique ipse si consulat, sensurum [g] coram nosse victoriae modum quisque noverit vincere. Hic Darius pace desponsa, parando rursus bello incubuit cunctis suis viribus.

(a) Cod. *hic.* (b) Ita cod. (c) Cod. *Euphratre displiceret.* Num pro *displicaret?* (d) Cod. *ipsius.* (e) Cod. *inscientie visui.* (f) Cod. *male.* (g) Cod. *consulam sensulum.*

rianus II. 20. cum Gerostrato, Phoenicibus, Rhodiis, Soliis, Malloniis, Cypriisque.

(1) *Quo* refertur ad *delinimento*, vel ad *lucri.*

18. At vero Alexander Palaestina sibi integrata, ire Aegyptum destinat. Sed enim Gazan [a] Batis eunuchus advorsum transiturum armaverat, quod ea urbs suggestu ardua, harenis circa perpinguibus, ut [b] humectis satis subsidiis, vallaretur: valida muris, difficilis accessu, ambitu *maxima*. Quare quoniam ad gloriam arduis [1] res amicior quo [c] difficilior spes, hoc ardescere rex impensius, rimarique laudem de moliminis difficultate. Igitur et accesssus adgestu solidatur, et bellum iam sacrificio commendabat; cum ales quaepiam arae lapidem supermittit. Quae vates et quisquis haec coniectare in artibus habent, et excidium urbi portendere et ruinam, et regi periculum praemonent, ni caveret. Neque res ultra differtur. Eruptio quippe irruens indigestum etiam tuuc militem turbat. Quem ubi Alexander viritim accitum obvium confirmatumque ratione quantocius ipse praevius ducit, nil praedictorum [d] memor, aut magis imperii quam sui; catapulta humerum vulneratur graviter quidem: sed enim animo vim corporis sarciens, capiendae urbis spem vaticinii fide de suo periculo ratam sentit: et posthabito vulnere ut perdurat, admotisque obsidialibus [e] machinamentis cum tuniculis insertis, idque assidue ac profuudius; quarta demum die irruit Gazam ac diripit, colique in posterum sinit, usus eius studio et opportunitatis, ut qui haec talia sibi vinceret.

(*a*) Ita cod. at inferius *Gazam*. (*b*) Ita cod. *ut*, sed malim *et*. (*c*) Cod. *quare quodam ad gloriam arduis res amica quod*. (*d*) Cod. *praedictum*. (*e*) Ita cod. nisi mavis *obsidionalibus*.

(1) Nempe *erectis*.

19. Hinc septima die Pelusium et opima Aegypti venit, iam classe praemissa, nihil sibi Mazace satrape eius loci audente subsistere. Quare inde naves Memphim per Nilum subrugueri iubet, ipse per Heliopolim pedes eodem occursurus: ibique Diis Aegypti sacra facit et sacros agonas exsequitur. Exim a Memphi defluente exercitu Canopum descendit. Quam circa loci facie delectatus condendae urbis desiderio occupatur: Divum aevo re [b] proxima mortalibus insciens [1] in opere pulchro perpetuari nomen auctoris. Igitur ubi solum describi conveniret, eius scientiae artificibus, quos architectonas vocant, limitandae humo ferunt pulverem defuisse: eoque milites iussos, quisque secum alphita esui potuive gestitaret, ea cuncti conferrent: eximque illos solo pingendo paruisse. Sed enim mox in cetera providentia rege distento, adlapsas alites depastasque edulium aspergine liniamenti. Quod portenti coniectatores cum secus ducerent, Alexandrum sermo est pronunciavisse, eam urbem multis circa palantibus vicinisve gentibus altricem futuram. Haec molienti omnis quisque faverant Persis, relictis satrapis, Alexandro accessere: coramque pro merito aut voluntate laudantur.

20. Ipse Hammonis sacrum longe in desertis situm, ut illa sibi opinio patris staret, itinere incerto et inlimitatis locis magno dierum plurium labore contendit, quoniam harenis aequalibus diu non dinoscibile

---

(a) Cod. *ac sim.* (b) Cod. *rem.*

---

(1) Ita cod. *insciens* pro *sciens*, non sine aliorum auctorum exemplis.

est. Denique duos corvos draconesve praevios ivisse aiunt inimici fabularum [1], donicum locum sacri appulit ire, sane secretum Deo et ad mira quaeque credendum. Quippe per immensum illud pelagus harenarum loci facies offertur consita, arborum virens, nemoribus umbrosa, inhospita solibus, fontis affluens, tam Deo quam copiis dives. Hic pratis mollis, hic floribus picta, glauca hic oleis, hic ebria Libero, hic palmis arboribus grandifera et caesariata, interscatentibus nymphis [2] et interloquentibus rivulis. Nec tamen illi ex ingenio nostratium fontium sunt. Quippe praecalidi noctis e medio [3] sensim meridie frigent ad nivem gelidi: eximque tepentes in noctis medium convalescunt. Salem [a] quoque offendunt nitore quo purior crystallus, et sapore gratissimo ceu si arte condiatur, forma terete qua ovum est, paulo maius quam ovum ex ansere, longius, crassitudine toto pervium lumine. Denique exim mola sacrificanti pro ture est odoribus efficacior [4].

21. Hinc patris Dei oraculis confirmatus Memphim redit, quo sibi legationes graecae convenerant; et eae

(a) Genere potius neutro heic *sal* dicendum ostendunt sequentia.

(1) Nempe apud Arrianum III. 3. Aristobulus et communior fama corvos, Ptolemaeus dracones praevios ivisse Alexandro narrant. Et quidem hos auctores ceu plerumque certissimos exscripsit Arrianus.

(2) Ita cod. pro *lymphis*, ut alia exempla docent.

(3) Confer Lucretium VI. 848.

(4) Hunc salem probe describit Plinius lib. XXXI. sect. 39. quicum in omnibus consentiret Auctor Itinerarii, nisi is sal diceretur a Plinio *ingratus sapore*.

referunt cupita. Nihilo minus voto laetiores. Athenienses quoque captos Granici suos impetrant. Enimvero ipse cognominis sibi urbis iam conditu adolescente, surgentibus moenibus, tum belli rebus civibusque formatis, Tyrum redit, classe praemissa: Thapsacumque [1] receptus in urbem, mox duobus pontibus amnem Euphratem [a] transit, quamvis Mazucus [2] missus Darii interturbaret. Eximque laeva habito Euphrate montibusque Armeniae, pro utensilium commodo itinere quaesito, Babyloniam tendebat. Ibi speculatore forte intercepto Alexander, quem in hos usus sibi Darius armaverat, noscit cum iam Pigreta [3] amnem appulisse, obstiturum scilicet transmissuris ibi longe auctiore exercitu animo numeroque. Verum cum is consilio mutato pedem de amue retulisset a tergo hosti venturus, Alexander protinus eum alveum transit praeruptis difficile superabilem. Ibi suorum [b] viribus fotis et ad futura praedoctis, agmen iam acie composita ducebat.

22. Quarta denique die eminus e celsioribus speculis equitibus palabundis, ut sese videre, concursu protinus habito pars aut caeduntur aut fugantur. Sed

(a) Cod. *eum*. (b) Cod. *fortis*.

(1) Cod. pro *Thapsacumque* habet *imminentemque*, quod corrigendum erat ex Arriano III. 7.

(2) Ita cod. *Mazucus*. Verum apud Arrianum III. 7. Diodorum XVII. 55, et Plutarchum, est Μαζαῖος. Et quidem in latino codice facilis fuit mutatio *a* in *u*, *e* in *c*. Apud Curtium etiam est *Mazaeus*.

(3) Nempe Tigrim Mesopotamiae. Arrianus aliique scribunt Τίγρητα.

enim [a] agminis pondus Dario ipso duce omnisque belli apparatus haud procul indidem habebatur, una omnibus gentibus barbaris, quae nominis alienae nostratium, sibi mutuo peramicae sunt. Erantque eis numerus in ·XL· equitum milibus munitissimus, pedes vero his tricies tantum, falcati currus ducenti et elephanti turriti, quae [b] illis est pompa iactantiae. Hisque cum copiis castra conlocant iuxta [c] Bulemum [d] amnem Arbelo urbe non procul, vel quod alii mavolunt in Causamelis [e]; id loci nomen est. Illic fertur orso Dario [f] suos in bellum adhortari, visum eunuchum, qui una affectibus captus, refugerat, commodum dixisse quo castitatis honore utque regie sui haberentur: *tunc illum* petisse [g] divinitus pro concione, *si* sibi iam fato non liceat, Persis Alexandrum imperare.

23. Tum locum diligit [h] tendendo *ubi* hostis visabundus erat. Id aequor inoffensius equitabile, et Issico bello [i] conditio diversa: ut [k] quod illic animi virtute provisum est, magna hic corporis rursus fortitudine peteret. Igitur omni quatriduo viribus suorum refectis, exploratoque belli loco, nequâ Persarum insidiae, sarcinis Alexander relegatis, oratione incitat suos: itaque provehit aciem silentio imperato, ut repens fragor fieret terribilior. At enim ea omni die uterque trepidi et circumspectantes, itidem ut constiterant, in acie

---

(*a*) Cod. *sedens*. (*b*) Cod. *turrique*. (*c*) Cod. *iunctum*. (*d*) Ita cod. Variant autem vehementer in huius fluminis nomine Arriani et Curtii codices, nempe habent *Bumadus*, *Bumodus*, *Bouzamelus*, *Boumellus*; *Bumelus*, *Bumolus*. (*e*) Ita cod. Sane et Plutarchus scribit Γαυσαμήλοις, alii *Gaugamelis*. (*f*) Cod. *Darius*. (*g*) Cod. corrupte sic: *nullius absque eius grae ereumpetisse*. (*h*) Ita cod. pro *deligit*. (*i*) Cod. *bellico*. (*k*) Cod. *aut*.

quievere. Utendumque noctis adiutu Parmenioni consilium erat: quod Alexander dissicit [a] specie victoriae indecentis, realse quia noctis fortunae confidere, ubi nihil cautioni licet, et imprudentiae est et inscientiae, quoniam consilia bellica longe tutius oculi metantur. Quamvis ipsi haud amplius equitum ·VII· milia, id vero peditum quod Persis equitum [1].

24. Quare in hunc modum nocte superata, ubi eum die equites Scythas dextrum cornu suum irruere velle et circumplecti Alexander videt, obvius tendit. Diuque ancipiti fortuna tandem tamen trusus hostis multo obdurantium dampno in terga convertit [2]. Ultra iam Macedonum pervicacia iverat: at enim Bactris paene frontis in medio numero claudentibus, convertit Alexandrum nuntius suppetiatum suis post fugientibus, qui sibi imminebat [b]. Ac sic Scythae quoque levati insecutore, ubi a tergo vacant, integrant vires reversi, Bactrisque congregantur, spe audaciam nutrientes. Fitque pugna acerrima iactatuum crebritate. Quippe Pannoniis [3] alacritas est amica more gentis suae, *ad* [c] obtinendum expeditius proeliantibus [4], quod praeter scuti

(*a*) Ita cod. heic et alibi pro *disiicit*. (*b*) Cod. *quis imminebat*. (*c*) Cod. *vel*.

(1) Nempe ·XL· milia.

(2) *Convertit* sensu neutro, ut apud Frontonem *ad Antoninum imp.* ed. rom. epist. II. p. 152, et *de feriis Alsiensibus* epist. III. p. 214.

(3) Ita cod. *Pannoniis* heic et inferius. Sed omnino scribendum videtur *Paeonibus*. *Paeones* enim non *Pannonii* equites sequebantur Alexandrum. Confer Arrianum III. 13.

(4) Arrianus quidem III. 13. ait Paeonibus ad tempus

usum, loricae, ut oneris, neglegunt: contra hosti, quamvis gravis, inpenetrabilis tamen ac satis firma corpus omne munitio clauderet et tueretur. Verum sic quoque inter eos [1], Pannoniis nunc impete retrudentibus aut concitantibus [a] diuque aestu martio fatigantibus, immitti currus iubentur. Eaque res et fraudi Persis *fuit* et spiramento [b]. Quippe curulium falcium, discedentibus his qui imminebant Scythis [2], *Macedones* [3] praedocti, pones ubi iuruere [c] currus [d] intuentur, sensim in latera demissi [e] aditum quidem transituris dabant, utrimque tamen equos bigas aurigantesque facile confixerant. Idque adhuc Persis equestre tantum proelium videbatur ac velitatio levis armatorum.

25. Quare Darius movet phalanga in Alexandri dextrum cornu quod eius praesentiâ praeponderabat, sensim tendens suos ut pauciores circumveniret. Sed ferventius obvians, re provisa, plerosque Alexander dissicit, nec obsequi consilio sinit, adeo torrenti turbine et alacritate, uti Darius ipse, exemplo hostis et pudore agricior [4] etiam tunc agminis sui in medio naviter bellans, ubi incondite suos turbare videt, studio salutis neglegens exi-

(*a*) Cod. *concinantibus*. (*b*) Ita omnino codex. (*c*) Cod. *insuere* (*d*) Cod. *cursus*. (*e*) Cod. pro *demissi* habet *deniseti*.

praevaluisse Scythas, quod hi eorumque equi tutioribus armis protegerentur.

(1) Sequitur in codice spatium unius vocabuli.

(2) Cod. *Scythae*. Iamvero Scythae, quos ante dixit Auctor Pannoniis (seu Paeonibus) institisse, tunc paulum remiserunt, ut aream curribus immittendis relinquerent.

(3) Vel, si mavis, *Pannonii*.

(4) Ita cod. Videtur autem putus hellenismus ex ἀγροικότερος, quamquam sententia duci videtur ab ἄγριος.

stimationis, in fugam verteret, idque curru, quod nobilius decebat. Neque difficile ceteri pedibus in sententiam secuti [a] regis exemplum, paria consultant [b], dum Cadusii [1], pars multitudinis persicae, rupta Macedonum acie in sarcinis praedarentur: qui tamen mox suorum comperta fortuna, qua via tutior, fugientibus competunt deminutionem [c]. Sed haec in Alexandri sane dextris agebantur. Laevum vero, quod Darii cornu [2] dextro obviabat, aegre satis cura Parmenionis tuebatur: repensarentque Persae dampna praedicta, ni Darium Alexander insequens per internuntium nosceret Parmenionis res vergere dampno haud levi: eoque comperto et ancipiti satis bello eminus viso, regressus eidem subpetiaretur [d]. Neque enim mora bello fuit a tergo hostium venienti, quin viso tali auxiliatore cuncti protinus laberentur, ut spes fugae blandior cuique.

26. Quare ipse Alexander Darium insequi statuit: agmen vero transmisso Lyco flumine, quod ultrorsum est, castra vallo munire, ibique quam queant ocius refectioni consulere iubet, secundis intentos. Igitur Parmenion spoliis hostium et opibus coactis opperiri Alexandrum statuit etiam ultra progressum: qui ubi Arbelum venit, quae prior civitas stadiis belli de loco ferme sexcentis sit, Darium quidem nullum videt, ita volucer practervolarat: opes tamen eius et arma tum ci-

---

(a) Cod. *secutus*. (b) Cod. *consultans*. (c) Ita cod. (d) Cod. *subpetitaretur*.

---

(1) Cod. pro *dum Cadusii* habet *quasvisia*, sed fuit corrigendus locus ex Diodoro XVII. 59, et Curtio IV. 15.

(2) Ita cod. *cornu*, nam et hanc terminationem patitur interdum quartae declinationis tertius casus.

dar [1] apicem regium curru una et insignibus retrahit universis. Eo bello Macedonum desiderati sunt viri centum, equi mille, quorum pars maior insequendo Dario defecerat [a]. Persarum [b] vero trecenta haud minus milia, totidem captis, spoliatis universis.

27. Darius tamen paucis una Mediam petit, Babylone Susisque vitatis, quod eas urbes inlectu nobiles victor petere [c] protinus sibi gloriae opinaretur, et id coniectare perfacile erat. Denique Alexander contendens, cura et facie bellatoris terribilis, in acie agens militem acuminatum [d] Babyloniam [e] accessit, minax motu, quantum visi eminus queat. Omnes protinus incolae cultu nil tristi, enim [2] laeticiae simulamento obviam una muneribus effunduntur [f]: eoque genere [3] universi ad meritum recepti, metum obsequio mutavere, gratantes sibi, nec victore secus ad modestiam credito [g]. Illic igitur primum Persarum omni regno disposito suis legibus, et eius administratoribus datis, Susas quoque maiore longe victoris [h] specie proficiscitur. Exim Tigri [4] transmisso Uxios pergit efferum hominum ge-

---

(a) Cod. *fecerat*. (b) Cod. *Persis*. (c) Cod. *inlectu nobile sere avideque petiturum*. (d) Cod. *astuminatus*. (e) Cod. *Babylonia*. (f) Cod. *offenduntur*. (g) Ita evidenter cod. (h) Cod. *longes victum*.

---

(1) Nota *cidar* indeclinabile aut genere neutro.

(2) *Enim* in principio sententiae, non sine aliis exemplis.

(3) Nempe *eaque ratione*. Codex habet *generi*. Suspicabar etiam corrigendum esse *generatim*.

(4) Ita cod. *Tigri*. Est autem hic non Mesopotamiae (quem Auctor huius Itinerarii cap. 21. dicit *Pigreta*) sed Susianae *Tigris*, quem alii *Pasitigrim* appellant. Hunc Susianae

nus, quorum quique campestres dicto [a] audientes fuere: montium vero incolae de soli ingenio ferociores obstituros sese obnuntiabant, ni more Darii mercedem sibi transitus dependisset. Enimvero tunc Uxiis [b] supervenit improvisus, stratisque obviis celsiora montium scandit. Mutata denique adrogantiae vice Uxii vectigales sese eidem profitentur.

28. Exim relictis qui gravius armabantur, Pylas petiit fauces montium persicorum, ibique offendit Ariobarzanen in se armatum Darii nomine studioque ·XL· milibus peditum et equitum septingentis obviasse. Ubi tamen sibi ingenium loci, quam manus hostium plus obsistit, docent captivi circuitu posse consuli difficultati: quibus auscultans, fide dicti praevisa, emensis nocte stadiis ·LX· supervenit Persis interritis aditu suique securis. Caesis denique obstinatioribus fugatisve, ultra inoffensus [c] transit Persepolim [d], divitiis invitantibus: Cyri denique atque Xersii illic, ceu si tutius sitis, thesauris potitur et amoenitatibus aulicis: quamvis regia igni abolita, odio [e] Xersii iniuriae [1], tum regis voluptatibus [f], etsi iam suis, abolitis [g]: scilicet ut vi-

(a) Cod. *dictu.* (b) Cod. *iussis.* (c) Cod. *inoffendius.* (d) Cod. pro *Persepolim* habet *pde* (e) Cod. *abolica odito.* (f) Cod. *voluntatibus.* (g) Cod. *abolendis.*

nec procul Susis fluentem vocat *Tigrim* Diodorus XVII. 67. XIX. 17. Consulantur et Salmasius *exercit. plinian.* p. 493, Cellarius *geogr. vet.* III. 19, deque his iudicium cl. Sancticrucii *exam. crit. des Hist. d' Alex.* p. 675.

(1) Notissima est Graeciae et Athenarum vastatio bello persico. Confer. Cic. *de rep.* lib. III. 9.

cem damni ac labis meritum, quam ille invexerat Graecis repensaret.

29. Hinc Mediam dirigit studio Darii capiendi, qui, si ulterius urgueretur insectantium pervicacia, transire decreverat ad Hyrcaniam. Quippe Darius Bactra populatus, tum omnibus adpetendis corruptis aut amandatis [a], dampno regionis [b] contra insequentes cavebat. Ac siquid sibi regium aut de affectu regio supersederat, id omne iam Pylas caspias relegarat [c], unaque comitantibus et utilitate devotis, ut opinabatur, quos se sequi [d] coëgerat, morabatur. Qua re conperta, duodecima demum die Mediam Alexander advolat, quod exim ultra abiturus Darius ferebatur. Sed iam digressum una thesauris insequitur unius diei reliquo intervallo: rescitque a transfuga, pertaesos comites fugae, eius, ceu si in gratiam potioris, Darium habere sub vinculis: Besum vero satellitem regis eius insignia recepisse. Igitur voto pennatior et spe voti ignitior [e], et viae usus asperiore conpendio id elaborare ad pretium morae abscindendae, inopinus [f] supervenit Beso, confligentemque dampno non levi dispergit et dissicit per vim clam fuga de medio [g] dilapsum. Ibique reperiunt Darium *interfectum a* suis [h] qui Beso una fugissent. Quare corpus quidem honore regali maiorum eius sepulchris inferri iubet.

30. Ipse vero, Hyrcanis quibus [i] visum ad ingenium loci ac temporis reversionisque commodum superpositis, Besum insequitur, sic animo firmatus ut

(a) Cod. *emendatis.* (b) Cod. *regi.* (c) Cod. *relegerat.* (d) Cod *quae secatene.* (e) Cod. *ignotior.* (f) Cod. *inopin.* (g) Cod. *perbis clam fugere medio.* (h) Cod. *Ibique reperiunt in armasuis.* (i) Cod. *Hyrcaniae qs.*

quadrifariam [1] fugiens vallaretur. Denique ubi campos ingressus est, victori se dedunt Abraxares una Phratapherne satrape: Besus elabitur. Qua cura deposita seu dilata, suos per loca belli, siquos reliquerat, congregari iubet, refectisque his quatridui mora, Xazacertam ire decernit [a] urbem illic nihil optimae posthabendam; quam praemissi in hoc ab Alexandro moderabantur. Sed concurrunt prius etiam impedimenta agminis universi [b] loco belli relicta, accitaque post id. Sic enim regia iussa praescripseranı. Ac siqui ab se [c] distracti fortunam belli meritumve victoris elegerunt, vel siqui ad eius iudicium provocarunt [d], venia donati omnes: Graeci quoque mille quingenti qui Dario mercede militabant: eosque suos facit. Interim tamen Mardos excurrit, et captos bello redigit in obsequium nihil omnium rennuentes (sed enim Mardis, praeter arma viresque, nulla sua res est) opum cura posthabita perdurans [2] quae ceteros hominum exercitos habet. Exim revertenti Spartani se offerunt, qui Darii amicitiam petierant: sed custodiri mandantur suspecti simplicis confidentiae [3].

31. Tum moratus Xazacertae in Hyrcania dies quindecim, Parthos Arionosque [e] proficiscitur, et Su-

(a) Cod. *discernit.* (b) Cod. *versi.* (c) Cod. *ac si quis ad se*; (d) Cod. *vel qui adiuvum iudicium putant.* (e) Ita cod. Mallem *Arianos* aut *Arios.*

(1) Arrianus III. 23. ait Alexandrum insequutum esse Besum tripartito exercitu.

(2) Nempe Alexander in captivandis Mardis licet pauperibus.

(3) Nempe deditionis sincerae.

siam civitatem, quod Besum illic bello studere conperisset, non regni modo, verum nominis [a] etiam Artaxersii [b] veluti ad reverentiam sibi vanitate quaesita: quoniam multi refugae Bactriani in eius satellicium confluxissent elati mentis iactantia [c]. Inque id destinanti Satibarzanes Ariorum satrapa nuntiatur, interfectis Macedonum urbis eius ad custodiam quos acceperat, Arios pro Beso armare. Illô igitur praevertens sexcentis biduo stadiis urbem Artacoenta [d] Ariorum regiam venit. Quo viso Satibarzanes una paucis conscius meriti fugit: ceteri puniuntur mali consilii vel obsequii [e] mercede. Quîs gestis, Xazacertam [1]. Alexandro revertenti offertur unus Darïi interfectorum, afficiturque serviliter verberibus ac morte. Edoctusque ab eo super consciis, in Besum ducit exercitium.

32. Eo vero itinere gentes subiugat plurimas: tum Dracas tum Arachotas barbaros vicinos Indiis [f], mari rubro [2] imminentes: Arios quoque qui nuper obsequio defecerant: idque hieme multa iniquum militibus inpeditis. Enim vero in hos ducibus inmissis, ipse Caucasum tendit amore vincendae difficultatis, et illic

(a) Cod. *nomine*. (b) Cod. *Artaxersi*, sed superius bis *Xersii*. (c) Cod. *electi mente iactantiae* quod fortasse retineri potest. (d) Ita cod. Arrianus Ἀρτακόανα, Curtius *Artacacna*, et quidem id vocabulum vehementer variat. Vide Curtii interpretes VI. 6. (e) Cod. *obsequio*. (f) Cod. *Tum Dracastrum Arachotas barbaras barbarorum vicinas Indiis*.

(1) Cod. hoc loco *Xazacurtam*, quae inflexio accedit nonnihil ad Ζευδράκαρτα Arriani. Variat autem in cod. terminatio *tá* et *tām* in eodem casu.

(2) Nempe Erythraeo indico.

quoque Alexandriam sibi ad fidem laboris instituit [a]. Quam molienti nuntiatur, Besum ultra transgressum Oxum flumen navibus superavisse, quas omnes incenderit, ne persequendi [b] sit libido. Igitur nihil moratus ipse quoque audet in Caucasum longitudine sui Tauro continuum, saxis incondite arduum neque gradibilem ut videbatur, intersitumque parvis [c] arboribus. Cetera terebinthum [d] illic aiunt *et* silphium gigni: quo facile adpasci [e] oves floris eius esu frugis et radicium [f] delectatas: eoque et hominibus gaudet [1] carne sola contentis, martiis prorsus, et belli usibus amicissimis. Quippe hinc Besus non modo gentem [g] optaverat [2], verum quidquid suppetule insequentibus foret, id omne corrumpens abolensque [h] incendio, geminaverat difficultatem paria temtantibus.

33. Sed enim frustra id quidem. Ita omnibus superatis, quod se suosque Alexander docuerat [i] fama Aorni primum, tum penes Bactra viatica esse [k], ipse quoque Oxum iam superaverat. Ubi cum facultas transitui nulla esset, probat nihil ita mortalibus arduum, cui non viam perfacile sapientia straverit. Quod enim

(*a*) Cod. *ad finem laboris institutae nominis difficultate.* (*b*) Cod. *par sequentis*, quod fortasse ferri potest. (*c*) Cod. *paris.* (*d*) Cod. *ceteraque vitio bonum illic* etc. quae corrigenda fuerunt ex Arriano III. 28. (*e*) Cod. *quo facile adpari.* (*f*) Cod. *floris eius et usu frugis et usu radicium.* (*g*) Cod. *gente.* (*h*) Cod. *corrupta amolitasve.* (*i*) Cod. *docte.* (*k*) Cod. *viaticassel.*

(1) Nempe frequens est incolis Caucasus, ut ait Arrianus III. 28.

(2) Id est populum in arma abduxerat.

alias [a] praesenti usui suppetiari adverterat [1], promere suos [2] pelles iubet, quibus subtendere [b] gignentium frivola aridaque constringi quam maxime in vinculis crebrioribus docet. His quippe pactis, substratu levium densarumque itidem et superiectu trabilacularum [c] calcatu tabulandarum concexa [d] utrimquesecus pellium pragmenta usum ratium integraverant sibique pecorique. In hunc modum sarcinis transportatis, non superstantibus tantum fida militibus, sed annantibus quoque animandis, si statio horruisset, opinione facilior transmissio fuit, cum sex stadiis latitudinis alveus Oxi amnis pateret. Nec tamen quisquam ausus obsistere est: quin etiam nuntiatur iam planiora perinantibus [e] Besum ibi [f] vinctum a suis communi pretium culpae servari pro his, quibuscum fugerat, reum. Quare exim iter solito patientius [g] facit. Ptolemaeum [h] vero Lagi praeire susceptum Besum ad seque perducere antemittit. Nec mora, vinctus offertur, unaque flamma [i] irae eius extincta. Itaque increpitum perfidiae servilis, eoque [k] nomine verberatum, ad poenae conperendinationem custodiri in tempora mandat. In ceteros venia liberalis.

34. Hisque in hunc modum gestis, exim sibi equo-

(a) Cod. *aliud*. (b) Cod. *promere suos pelles, quibus subtendere iubet eis*. (c) Ita cod. Nisi est mendum pro *trabicularum*. (d) Ita cod. cum una *n*. (e) Ita cod. Videtur autem scribendum *peregrinantibus* aut *permeantibus*. (f) Cod. *ubi*. (g) Cod. *patientibus*. (h) Cod. *Ptolomaeum* heic et alibi. (i) Cod. *offerunt una ceu flammo*. (k) Cod. *proque eoque*.

---

(1) Huius artificii militaris exemplum est etiam apud Xenophontem *Cyri exped*. I. 5. ff. 10.

(2) Nempe milites.

rum numerum integrat, qui admodum plurimi omni genere difficultatum varie defecerant. Ipse ire Maracunda [1] contendit, quae Sogdianis est regia, Tanaimque [2] exim qui subortus e Caucaso ingressurusque hyrcanum mare Asiam Europamque dispertit [a]. Eius pars fertur Tanaidos humo Asia paludibus Maeotis emergere denuo, causasque Euxino dare, ut cursu quo volvitur urgeatur [3]. Eo itinere tamen praemissos Macedonum castra metatum, improviso offusi paucis indigenae opprimunt obtruncantque, qui in triginta [b] haud [c] minus milibus Alexandro venienti obversari decreverant. Enim mox Alexandro ingruente, ad montium celsiora concrepant [d]. Sed ubi eis primo conflictu [e] fortuna blandita est, Alexandro crus sagitta transiecto, ulterius ausi eo usque caeduntur, ut vix octo de triginta milibus laberentur.

35. Quibus gestis, Abii Scythae ab Homero iustitiae laudati [4] legatione se dedunt, moremque gesturos victori profitentur, quantum solis corporibus queant, quoniam

---

(a) Cod. *dispergit.* (b) Ita cod. *in triginta.* (c) Cod. *aut.* (d) Cod. *concrepunt.* (e) Cod. *conflicto.*

---

(1) Ita cod. *Maracunda*, at alii scriptores *Maracanda.* Inferius cap. 37. scribitur *Maracundam.*

(2) Cod. hoc loco *Tanan*, sed mox *Tanaim.* Porro intelligendus *Iaxartes*, teste Plinio VI sect. 18. *Includente flumine Iaxarte, quod Scythae Silin vocant: Alexander militesque eius Tanain putavere esse.*

(3) Nempe: *Fertur pars eius Tanaidos ex Asia allapsa emergere denuo paludibus Maeotidis* (seu *Maeotis*) etc. De Tanai et de Oxo, deque huius sub terra meatibus legendus est Polybius lib. X. 48.

(4) Iliad. XIII. 6. Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

quisque pauperior liberior infestatore [1]. Eorum denique moribus delectatus remissis adiungit, studio veri [a] discendi, qui [b] quid colerent aut viverent, renuntiarent [2]. Ipse progressus ad Tanaim, illic quoque urbem sibi instituit haud disparem magnitudine cognominem Alexandriis: idque cavens, siquando post in eadem [3] militaretur. Sed inconciliantibus [4] Besi sociis, ingumque gentium nominantibus, metu poenae [c] septem urbes consulto pari graecos custodes interimunt. Quarum quae Cyri civitas dicta Craterus multa cum militum manu mittitur obsessurus, neu quid ultra liberius queant. Ipse Gazam primo congressu aliasque quattuor biduo capit.

36. Tum Cyri adgreditur situ murisque firmissimam, quam .xv. scilicet armatorum milia tuerentur nulla victualium [d] indigentia: iamque machinis in id admotis [e], repente amnem, ut prius animo praesumserat, qui eam urbem agmine turbido [f] interfluit, transit Alexander, nihilque opinantes obtruncat. Tunc secure urbis eius potitum se ratus animo deferverat. Neque inpune id aut modestiae merito: acriter enim incolae congrega-

---

(a) Cod. *vero*. (b) Cod. *quicquid*. (c) Cod. *poene*. (d) Cod. *nulli victualibus*. (e) Cod. *amotis*. (f) Cod. *turbi*.

---

(1) Nimirum et apud Frontonem *principia hist.* edit. rom. p. 314. barbari asiatici dicuntur: *libertatem inopia sortiti, quia inopem subigendi sterilis fructus laboris capitur*.

(2) Ex cap. 41. constat Alexandrum Abiorum legatis, redeuntibus ad gentem suam, addidisse aliquot qui explorarent Abiorum mores sibique certius nuntiarent.

(3) Nempe regione Scytharum, ut ait Arrianus IV. 1.

(4) Nempe improbantibus.

ti inter primos qui inruperant Alexandrum quoque saxo caput graviter vulnerant. Sed non eo secius[a] inritatis protinus Graecis capitur civitas vastaturque, nihilo minus rege in opere fervente. Quae vero septima civitas, exempli metu ad modestiam ducta est.

37. Verum sic[b] quoque Maracundam contendit, ubi sui obsederi[c] nuntiautur[d], et praeterea Scythae trans Tanaim obturbabant. Quare suis legat propere suppetias. Ipse vicesima die urbem quam praecoepit substruit[1] poenâ captivorum usus ad operis festinationem tali in tempore necessarii: datis incolis quos aetas aut vulnera deprecabantur, item[e] militiam nolentibus aut etiam nequeuntibus et in id idoneis peritia necessariorum. Verum imminentibus Scythis superbe, is (saepe[f] conatum cum sacrificia cohiberent, idque creberrime) vincit imperatoria indignatione, vinceret ratio quae fato obviabat[2]. Ac nocte Tanai transmisso tam facile quam

(a) Cod. *Sed nos eos etius.* (b) Cod. *si.* (c) Ita cod. *obsederi*, at inferius *obsidebantur.* (d) Videtur scribendum *nuntiabantur.* (e) Cod. *idem.* (f) Cod. *hisaepe.*

(1) Cod *subruit*. Sed omnino dicendum *substruit*. Agitur enim de condita Alexandria ad Tanaim. Recole cap. 35, et Arrianum IV. 3.

(2) Locus nimio studio brevitatis obscurus, vel etiam corruptus, haurit lucem ab Arriano IV. 4, qui ait Alexandro pro transitu Tanais sacrificanti non semel infausta signa fuisse prodita, monente vate Aristandro ut ab eo consilio recederet. Alexandrum nihilominus pudore et indignatione impellentibus Tanaim superasse, Scythasque in fugam vertisse: sed mox ipsum cum exercitu gravissima siti pressum epotaque insalubri aqua periculose aegrotavisse.

audacter hostes primo incursu fugat caeditque palantes. Eos vero intemperantius persequens siti aestivae succumbit. Neque aqua utibilis reperta. Quidquid de fluviis aut rivis [a] ab aestivo in lacunis erat, eo proni ac lingua lambentes hausto ceu necessario, latente eius peste corrupti sunt. Quippe ea qualitas alvo laxandae efficacissima. Ita omnes viribus vacuati aestu [b] intestino caloris, ut minus nonnulli hoste *quam* vitio [c] praevenirentur. Insecuti nihilominus eorum legati veniam erratis post [d] victoriam retulerunt. Ii porro Macedones qui in arce Maracundae obsidebantur, ante adventum auxilii eruptione facta disiecerant hostes ac fugarant. Longius tamen eos in [e] Sogdianos insecuti, ubi de reditu consulunt amnemque Polimetum [f] adfuere, sensim prosequentibus Scythis inexploratam adorti [g] alvei partem, limo profundius retentantur [h]. Idque ubi hostis gnarus [i] locorum videt, praevenit, adortique [k] rerum imperitos ac male cedentes [l], comminus conficiunt [m] omnes, nisi quis praevenisset pedum aut visuum [n] potens. Neque amplius equitibus semiermibus ·XL·, peditibus [o] ·CCC· fugere.

38. Quibus Alexander nuntiatis, Maracunda contendit, auctoremque eius sceleris Spitantem [1] fugien-

(a) Cod. *nivis.* (b) Cod. *vacuate gestu.* (c) Cod. *hostilis vitio.* (d) Cod *pro victoriam.* (e) Cod. pro *in* habet *qui* (f) Arrianus scribit Πολυτίμητον. (g) Cod. *adortari.* (h) Cod. *reretantur.* (i) Cod. *ignarus.* (k) Cod. *adortatique.* (l) Cod. *credentes*, sed fuit emendandum ex Arriano IV. 5. (m) Cod. *fugiunt.* (n) Cod. *visum.* (o) Cod. *peditum.* Sic etiam cap. 28. v. 4. dicendum est potius *equitibus.*

(1) Ita cod. *Spitantem.* At Arrianus IV. 5. habet *Spitamenem*, quod omnino scripsissem, nisi *Spitans* diceretur

tem secutus omni cum socio interfecit. Suos sepelit, vastatque regiones quas Polimetus amnis ambit aut rigat, qui progressus ulterius harenis bibitur et receptatur, facitque invia cuncta, subsidiis colentium [a] nullis: quoniam illic et alii famosi amnes hauriantur [b], Pardis [1] qui Mardos, Dariusque qui Hunnos [2] interfluit, et Estumandrus [c] veniens per Evergetas. Hi omnes illic sepulti vanescunt. Hieme igitur apud Arimaspos declinata, dat sese legationibus obsequentium aut paciscentium quod [d] usus aut quies vellet: Besumque accitum et rursus increpitum et verberibus punit et gloria [3], mutilatis tamen prius et naribus auribusque: idque supplicii genus durius visum quam severitas graeca est.

39. Nam et cetera eius cultûs et affluentiae, mo-

(a) Cod. *et colentium.* (b) Cod. *auriantur.* (c) Ita cod. (d) Cod. *quo.*

---

heic occisus, quum tamen *Spitamenes* (in cod. *Pistamenes*) adhuc vivat inferius cap. 42. Nihilominus et heic *Spitamenem* dicendum puto.

(1) Apud Arrianum IV. 6. est. Ἔπαρδος.

(2) Si Arrianum IV. 6. sequeris, dic *Ariusque qui Arios.* Codex habet *Dariusque qui unos.* Sane superius cap. 34. n. 2. vidimus a militibus Alexandri *Iaxartem* habitum pro *Tanai.* Plutarchus item p. 62. docet, Alexandrum in hyrcano mari putasse paludem Maeotim restagnare, μάλιστα δὲ εἴκασε τῆς Μαιώτιδος λίμνης ἀνακοπὴν εἶναι. Iamvero Hunnos ultra paludem Maeotim incoluisse exploratum est (Amm. Marcell. XXXI. 2.). Sed enim tutius existimo Arrianum sequi, nam codex Ambrosianus perantiquus quidem est sed tamen mendosissimus.

(3) Nempe *ignominia afficit.* Vel scribe *gladio* pro *gloria.*

re Medorum, suorum plerique iam sedulo aversabantur, cum luxu mores adrogantiâque mutasset: tum mensae modo, tum vestium pretio, tum apicis vanitate, is qui [a] utroque de latere Heraclidas sibi Aeacidasque censeret, Arsacidum [1] tamen aemulationi concesserit, victi rem passus [b], quorum [2] moribus obsecundabat: idque ei omnes animi glorias obumbrabat. Praesertim ubi amicissimum sibi Clitum illum Granici propugnatorem ex causa convivii incitus interfecerit (die sacro quod [3] *pro* [4] Libero Castoribus fecerat) qui [c] epulo accubabat una blanditoribus regis. Tum supra ipsos fortitudinis Deos [5] laudari ab adsentatoribus coeptus, patri quoque se Philippo anteferri delectabatur. Enimvero Clitus uti Alexandrum amicum restitueret in viam, neque concederet ei malam morum adrogantiam coalescere, cui modestia et verecundia plus laudis adferret, amico liber, religiosus in Philippum; eum vero se anteferre respondit, qui hos fecerit suos animi viribus corporisque [d] cum quibus vicerit, non eum [e] qui talibus gaudeat.

(a) Cod. *as qui.* (b) Cod. *passum. His.* (c) Cod. *et quae.* (d) Cod. *corporibusque.* (e) Cod. *nunc his.*

---

(1) Auctor loquitur προληπτικῶς.

(2) Nempe Arsacidum.

(3) Nempe *convivii quod die sacro* etc.

(4) Addidi *pro.* Ait enim Arrianus IV. 8. Τὸν δὲ τοῦ Διονύσου μὲν ἐν τῷ τότε ἀμελῆσαι λέγουσι, Διοσκούροιν δὲ θῦσαι, *aiunt tum temporis, neglecto Baccho, Dioscuris sacrum fecisse.*

(5) Nempe *Castores et Herculem*, ut ait Arrianus. IV. 8.

Quae ubi ultra [1], nec pudet regem vino calentem, Cliti [a] verbis gladio respondetur. Sed enim mox in id recidit paenitudinis, ut eum vitae pigeret adeo inpigre intemperantis: ni amici magis id offensae dei Liberi, quam eius moribus darent; qui sic posthabitum sollemne [b] suum ultus furore putaretur: aut invidentia laudum earum aemulus [c].

40. Quare tum quidem curam corporis recipit, vitium tamen gliscit. Quippe iam adoratum se volens, salutari more mortalium neglegebat. Verum sapiens Callisthenes comes et amicus [d] arcere hominem et deducere palpo temptabat: eo quoque addito, quod quam iustum sit infestari eum qui insignia regni quae sua *non* sunt usurparit [e], tam a Diis posse puniri abiurationis qui sibi adeo faveat [f] honore iactantiae [2]. Sed neque proficit Callisthenes, et mox [3] inter proditores relatus ex causa tali morte punitus est. Mos erat, regibus optimatium liberos ministrare [g], ad custodiam scilicet regiam et obsequia liberalia. E quîs Hermolaus

(*a*) Cod. *dati*. (*b*) Cod. *post obitum sollemnem*. (*c*) Cod. *laudantium earum aemuli*. (*d*) Cod. *ei amice*. (*e*) Cod. *usurpari ad*. Cod. (*f*) *ad eos faverant*. Porro haud scio an *ad eos* fuerit retinendum vel *ad Deos* scribendum.. (*g*) Cod. *ministrari*.

(1) Mira scribentis brevitas! Dicendum enim erat *quae ubi ultra modum oggerit*.

(2) Apud Arrianum IV. 11. sic loquitur Callisthenes: οὐδὲ Ἀλέξανδρον ἀνασχέσθαι ἄν, εἰ τῶν ἰδιωτῶν τις εἰσποιοῖτο ταῖς βασιλικαῖς τιμαῖς χειροτονίᾳ ἢ ψήφῳ οὐ δικαίᾳ· πολὺ ἂν οὖν δικαιότερον τοὺς θεοὺς δυσχεραίνειν ὅσοι ἄνθρωποι ἐς τὰς θείας τιμὰς σφᾶς εἰσποιοῦσιν, ἢ π ἐς ἄλλων εἰσποιούμενοι ἀνέχονται.

(3) Quo tempore id evenerit, videsis sis inferius cap. 44.

quoque Sopolidis [a] erat bonis moribus roboreque, quorum utrubique studens, regi de corpore, animo tamen ac disciplinis militans Callistheni, ubi eum quaereres sat placebat. Is venante [b] Alexandro in aprum exspectabilis [1] formae, ipse [c] prior bestiam sternit, et stratâ gloriatur, utque immodestae fortitudinis ab rege verberatur. Quod cum acrius merito sed ingenue doluisset Hermolaus, coniurat in regem cum Sostrato et Amynta et Antipatro Asclepiodori, tum Epimene et Anticle et Philota. His amicis in sua iniuria fervescentibus, pactum fit, nocte Antipatri [2] conclavi [3] regis irruerent. Neque id quitum. Ita pernox rex convivio perdurarat. Sunt qui etiam prohibitum ire vatis *voce*, ne quidquam esset in aula multis praemonitis ratae [4].

(a) Cod. *Selpolidus*. (b) Cod. *venatu*. (c) Cod. *inte*.

---

(1) Ita cod. *expectabilis* pro *expetibilis*. Et quidem eo vocabulo usus est eâdem cum sententiâ Tacitus *Annal.* XVI. 21. Sed lectionem optimam e textu Taciti Rhenanus eiecit.

(2) Nempe qua Antipater excubias agebat.

(3) Nota *irruo* cum tertio casu, quum alibi iungatur quarto, nisi forte est mendum pro *conclave*.

(4) Nempe ex multis divinis indiciis suspicantis insidias aulicas. Locus autem sic est corruptus in codice: *Sunt quia iam prohibitus ire vatis ne quidquam esset in aula erat multis praemonitis rata*. Res quidem ita narratur apud Curtium VIII. 6. *Quum iam lux adpeteret et convivium solvitur, et coniurati exceperunt regem, laeti occasionem exsequendi sceleris admotam; quum mulier adtonitae, ut creditum est, mentis, conversari in regia solita, quia instinctu videbatur futura praedicere, non occurrit modo abeunti, sed etiam semet obiecit: vultu et oculis motum praeferens animi, ut rediret in convivium monuit.*

Itaque Ptolemaeum rem sibi proditam detulisse, Callisthenisque [a] sententiam in discipnli facinore snspectatam, de prioris inefficacia libertatis [1]: cum Hermolaus tamen acri in opere tormentorum, praeter sui verbera, nihil questus sit aut confessus.

41. Sed reverentiam legatio scythica de Abiis *iterum attulit*, dictoque audientes fore se muneribus attestabantur. Quae munera erant filiae regales pulchrae ingenio vel cultu naturae eius, si suis vellet pignore fidei. Namque ad reliqua sat divites sunt Abii libertatis pariter et paupertatis. Adstare [b] vero vel regem [2] ut coram iussis auscultet. Nam [c] et missis in hoc [3] referre volentibus erat [4] mores abios et munditias paupertatis, utque [d] sit eorum invidia potioribus de plus nihil habendo. Enim arcus Abiis [e] et sagitta (quod eis totum est) et vitae quaestus et hereditas: sola sagitta venantibus, carne altis abunde et lacte, et munitis pellibus ad tolerantiam: cetera pro opibus hospitales et loqui blanda cum moribus. Sed Pharasmenes quoque Chorasmiorum rex equi-

(*a*) Cod. *Callisthenique*. (*b*) Cod. *Quae munera erant filia regalia* (Atqui Arrianus IV. 15. ait *filias*) *pulchra ingenio vel cultu naturae eius, si suis vellet pignore fidei. Namque ad reliqua ut alias addivites sunt Abii libertatis pariter et paupertatis. Adstire* etc. (*c*) Cod. *Et nam*. (*d*) Cod. *atque*. (*e*) *Abios*.

(1) Confer superius cap. 40.

(2) Scilicet Abiorum. Confer Arrianum IV. 15.

(3) Confer cap. 35.

(4) Huius syntaxeos exemplum est etiam apud Frontonem *de feriis Alsiensibus* epist. III. ed. rom. p. 211. *Nunc quoque si tibi fabulam brevem libenti est audire, audi.*

tes adduxerat Alexandro militatum, vicinus scythicis Unimammis [1], in quas sibi hostes praeiret si iuberetur, supra viros ut sciat martias. Alexander vero his Indos praeoptans [a], se ait redire in Graecias [b], ut exinde reliqua eius belli agat. Oxum igitur et Sogdianos retractat turbare.

42. Nuntiati [c] ibi Alexandro duo fontes futuri praesagio suborti, horrori fuere prae admiratione: quorum qui olei erat, laboris atque sudoris index aestimabatur, quis mederi valet olivi unguentum [d]: qui vero vini, lasciviae et laeticiae de Dei munere [2]. Haec quippe in id demonstrata de post gestis adsertio est. Dimissis ergo qui praesentia tuerentur, Maracunda ipse festinat. Pistamenes [3] quippe, qui inde desciverat Massagetis congregatus iusti belli facie iam agere nuntiabatur. Sed invaso castello potitum [4] praeda per Sogdianos, Phiton et Aristobolus [5] cytharoedus, qui una aulico ministerio illic agebant, egressi cum equitibus octoginta naviter satis et inpigre incursarant quae ducebantur. Mox tamen excepti insidiis a Pistamene, plerique eorum et una Aristobolus oppetivere. Pistamenes vero post id

(a) Cod. *praeoptatumque*. (b) Ita cod. *Graecias*. (c) Cod. *nuntiato sibi*. (d) Cod. *unguento*.

(1) Nempe *Amazonibus*.

(2) Ita Virgilius *Aeneid*. I. 636. *Munera laetitiamque Dei*.

(3) Recole cap. 38. p. 39. n. 1. Sane Arrianus IV. 16, et Curtius VIII. 3. habent *Spitamenem*.

(4) Nempe *ad potiendum*.

(5) Apud Arrianum IV. 16. est *Aristonicus*.

fugiens conscientia sceleris in desertis caeditur [1], Cratero insecuto. Ipse quoque a suis captus ut auctor culpae arguitur, tumque Alexandro ad supplicium datur iure plectendus.

43. Sed enim hac cura deposita Indos [2] nihil sibi noxios intentus animo petram adgreditur re et nomine arduam. Id vero castellum est praeruptis admodum inpositum inaccessisque [a] rupibus montium, quô plebs multa conveuerat Sogdianorum, nullo indigentiae metu, copiis ante congestis. Ubi ergo oblata sibi venia non cessere, magnum praemium publicat ausuris eius saxi inscensionem auri talentum primo, tunc [3] precium secuturis. Reperti omnes quadringenti viri, qui patravere rem in hunc modum. Paxillis ferreis [b] quibus pelles intendunt, praetenta face, ea parte praerupti qua fieri posset aut gelu cederet, mutuo innixi fiebant: eisque subvecti paulatim omni [c] sub nocte tandem evadunt armis una, cumque luce inopini inruunt securos et inermes barbaros ac semisomnes, impeditosque mulierculis et infantibus praecipites agunt, nihil eorum paucitatis scientes, donicum reliqui sese dederant, et aditu rescrato quem inserabiliter obstruxerant, Alexander receptaretur et [d] copiae. Nec tamen amplius viris

(a) Cod. *incassis quae*. (b) Cod. *paxillos ferreos*. (c) Ita cod. *omni*. (d) Cod. *ut*.

(1) Nempe eius exercitus.

(2) Nempe *in Indos*. Omittit autem saepe praepositiones Auctor Itinerarii.

(3) *Tunc* pro *tum* videsis apud Symmachum *orat. pro Severo* cap. 2, atque in variis lectionibus Plinii in Symmachi editione mea mediolanensi scriptis p. 64.

·xx· desideratis, quos ascensionem molientes, ubi loci conditio fefellisset, deiectos [a] in praeceps ne sepulturae quidem nisi nivium profunditate servarat casus aut fatum. Igitur his victor copiis fotus auctusque, quomodo si arte [1] Bactrianorum regis affectus opesque illic repperisset, eius virginem filiam, Roxanem nomine, magno formae merito et nobilitatis sibi coniungit. Is ille scilicet, quem Darii uxor veneriae sane pulchritudinis femina non evicerit. Denique Oxyartem [2] debito sibi soceri honore dignatur.

44. Hinc ducit in aliam petram celsam stadiis viginti, sed sexaginta *ad* ambiendam faciem sunt [b], alviabilem calli, superne aequoream virentemque, soli ubere et mollitudinis divitem [3]. Chorieni [c] id castellum vocabant, regis nomine, qui illuc [d] confugerat, Chorieni. Verum quod eius saxi calcem naturali vallo munitam intueretur, id primum explet caesu [e] frondium et adgestu humi saxorumque opere pervicaci. Iam denique labore provecto scalisque admotis, Chorienus, internuntio

(a) Cod. *deiectis.* (b) Ita cod. Haud scio an scribendum *ad ambiendum facienda sunt.* (c) Cod. *Chorienis*, at mox bis *Chorienus.* (d) Cod. *illi.* (e) *esu.*

(1) Ita cod. Sed enim videbantur scribendum: *quomodo si in arce Bactrianorum, regis* (Persarum) *affectus opesque repperisset* etc. Sic enim narratio congrueret cum Arriano IV. 19.

(2) Is erat Bactrianorum rex, ut quidem ait Diodorus XVIII. 3.

(3) Nempe divitem ubere soli mollis. Ut illud Virgilii *Aeneid.* VIII. 436.

Squamis serpentum auroque polibant.

Oxyarta, pretium veniae victori se suosque transcribit. Eodem merito procurationem sibi accepit quod regnum habebat, quoniam victorem exercitum non labore militiae modo adeo conperendinatae, verum hiemis quoque vi et indigentia fatigatum apparatus sui largis opibus refovisset, nec decima quidem parte totius affluentiae dispensata. Ad haec, siqui rebellium reliqui, omnibus perditis subiugatisve repedata Bactra tempore quo Callisthenes una cum insidiatoribus regis suspectatus est.

45. Hac [a] sub fine Alexandro Persarum imperium integratum est, quo tuendo Amyntae dato, Bactris ipse profectus retransmittit [b] protinus Caucasum, quem eumdem Taurum [c] diximus [1], nomine modo de continuatione mutato. Undecima die quam super molitus est illic Alexandriam [2] venit. Transmissis inde regionibus Parapapisamidium [d], perque Nicaeam oppidum et Cophoena [e] flumen Indum petere contendit, Taxile sibi munifico, qui partes, quibus viandum, primas Indiae tunc tenebat, eumque præmittit [f] una suis paratum Indi transmissionem conatum [3]. Denique datum hostium ducem viantibus intercedere capiunt [4]: itaque perviant, multis aliis gentibus caesis et

(a) Cod. *haec.* (b) Ita cod. *retransmittit.* (c) Cod. *Caucasuque inremin Taurum* etc. (d) Ita cod. (e) Cod. *Foena.* (f) *praetermittit.*

(1) Cap. 32.

(2) Arrianus IV. 22. ait Alexandrum transmisso Caucaso venisse decima die Alexandriam quam apud Parapamisadas ipse condiderat quum primum in Bactra irrueret.

(3) Nempe praemittit ad conandum Indi fluminis transmissionem.

(4) Ita omnino se habet locus in codice. Videtur autem

oppidis captis. Nec minus Alexander agens, siquis obturbet insequentis sagitta etiam humerum superscribitur: Choëque [a] amni transmisso, quisquis obvius sternitur: et Argacum [1] urbem incensam desperatamque a civibus instaurari procurat merito opportunitatis. Tum reperta hostium multitudine, trifariam superat iustis omnibus [b] proeliis. Ducenta denique triginta boum milia illic capta formae merito destinat una captivis Macedoniae cultum agros suorum et suosce [c].

46. Tum conperto gentes Accas quadraginta milia armavisse, per amnem Poturaeum [2] in eos [d] ire festinat: iique [e] in oppida discessere in id longe ante munita. Sed enim castra eminus molientes inruunt Graecos: hique [f] astu cedere simulant: converso deinde [g] agmine sternuntur: pars muro clauduntur omni praesidio munitissimo. Sed enim res haud in facili erat duplici septu [h] munitos accedere: et ibi denique Alexander crus sagitta vulneratur. Sed die quarta belli in opere prae mu-

(a) Cod. *Civiaque*. (b) Ita cod. *omnibus*. (c) Cod. *Machedio cultum. Agros suorum et suaci*. (d) Ita cod. *eos*. (e) Cod. *eique*. (f) Cod. *hincce*. (g) Cod. *denique*. (h) Ita cod. nisi est mendum pro *septo*.

sententia: *denique hostium ducem missum ad intercedendum capiunt*. Suspicabar etiam locum esse corruptum, intelligendumque *Astem* unum e praesidibus indicis, quem praemissi cum Taxile Macedones quadam in urbe obsessum interfecerunt, uti narrat Arrianus IV. 22.

(1) Ita cod. Variat autem hoc vocabulum apud Arrianum IV. 23. Ἄνδρακα, Ἄνδακα, Ἀνδηλα. Apud Curtium item VIII. 10. *Acadera*, *Acadeira*, *Acadira*, *Adaca*, *Adacae*.

(2) Hunc amnem dicit Γουραῖον Arrianus IV. 25.

ro interfecto rege, se dedunt. Idque Alexandro volenti admodum fuit, ut conmilitio accederent. Sed ubi producti fidem mutant, vallati caeduntur.

47. Hinc Coenona ducem mittit Baziphara obsidere, Attalumque Hora urbem, ratus casu Accarum eas ad obsequium ductum iri. Sed his loco magis quam exemplo fidentibus, ipse utramque urbem, quamvis impigre obluctatas, Baziphara sive Horam [a] nullo negotio transiens capit: quamquam Bazipharae viri contemptu paucorum advenas irruissent. Ubi tamen plerique cecidere, quisque evaserat petram munitissimam confluunt. Is locus petrae ducentis stadiis circumitur, erigitur decem, aditu tenui, mollis in culmine, et fóntium scatens, patiensque industriam mille hominum ruscularum [b]. Igitur cô veniens capit plurimas civitates. Tum petram adgresso obsidionemque molienti transfugae duces coepti moliminis viam praeeunt ei inscensus. Itaque capti deductique praedae fuere qui bello restiterant. At enim nuntiato rursum Accas muros [c] Indos armis oppressisse studio fidentiore, et elephantos suos per silvestria amandasse; ubi cô venit, muros desertos incensamque urbem videt, et dilapsos omnes qua tutius lateant. Quare aliis persecutione legata, quaesitisque eorum elephantis [d] et captis, Indum cum exercitu venit, et his quae longius sunt necessaria copiis reperta transitui substantia [e] non sera transmittit [1].

(a) Ita cod.: at superius *Hora*. (b) Ita cod. nisi mavis *ruricolarum*. (c) Cod. *Sacamuros*. (d) Ita cod. At superius *elephantes*. (e) Cod. *substantiam*.

(1) Sermo est de navibus et ponte iussu Alexandri in flumine Indo constructo. Confer Arrianum in calce libri IV.

48. India omnis orsa e septentrione, amplexaque omne quidquid est persicum [a], Aegyptum usque Aethiopasque continuat. Ipsa vero extrinsecus ubique oceano munitur, interfluo mari Hippallo [1], cuius sinus Persas includit. Sed nomen hoc Indiae late dispersum multarum admodum gentium est ferax praecipue beluarum inter odora gignentium [b], qui [c] sunt elephanti draconesque iugerales: nam pardi leonesve vel tigres iuxtim haec cicures fuant. Ea vero tempestate quam loquor potens Indiae Porus erat, stupendus satis supra hominum magnitudines, neque vero ingenio inferior quam artuatus [2]. Is ubi scit, Alexandrum ad sese moliri iter [d], absit obnuntiat: sed incitat mage, acrique bello superatur et capitur. Receptus tamen ad amicos Alexandri merito virtutium [3] procurare quod [4] erat rex recepit. Ita pars est virtutis, ea [e] quibus praefueris ut potior [f], aeque sane nunc mox cessisse potiori: quoniam quisque mediocritatis est agnitor, satis fecerit sese noscendo.

49. Exim magnas Pecanum et Musicanum re-

(a) Cod. *persicam*. (b) Ita omnino codex. (c) Cod. *quam*. (d) Cod. uno vocabulo *molinire*, quod mendum iudicavi. (e) Cod. *his* pro *ea*. (f) Cod. *patior*.

(1) Mare indicum dictum est *Hippalum* ab *Hippalo* qui primus illud percurrit. Lege Arrianum *peripl. erythr.* ed. Amst. 1683. p. 174, nec non Plinium lib. VI. sect. 26.

(2) Nota novam significationem vocabuli *artuatus*, nisi forte scribendum est *artubus*

(3) Ita cod. Est autem nota grammaticis etiam haec terminatio.

(4) Ita cod. pro *id cuius*.

giones exsequitur, ac sibi congregat. Petram quoque quae Aornis [a] vocatur affectat, cuius proceritudo sunt stadii quadringenti, supra cultoribus dives haud minus locupletibus quam securis: et est ei nomen ex celsitudine, quam nec alites supervolitent. Sed enim hanc [b] quoque optinet fixu vectium, via scansili ac insidiis appetitam [c]. Iam [d] *de* magnitudine belli *ortus est questus* cum primatibus, quod ultra gentes bello idoneas coëgisset experiri. Quo [e] adversum eas animo arderet? Milites vero ad haec ultra laborem et pericula deprecabantur: annos ·xii·, vulnera et suorum desideria numerantes. Data igitur fessis quiete, volentibus utitur. Succenturiari tamen dimissis alios e patria iubet. Itaque victoriae avaritia usus oceanum venit.

50. Ibi quoque inmodicus cupiditatis, quoniam [f] in navibus textis periculum vellet facere naturae, et quid sibi vel quisque id vellet ultra liceret. Verum repente cum flatu violento rediens haustus oceani solito vehementior omnes *ad* hoc paratos inter naves confligit et mergit. Neque agnitu difficile id erat, Deos voto refragari, quibus quamvis ipse obniti *negat*, nequid impium audeat temptare; mittit tamen promptos audaciae, nihilque regi audentes negare Onomarchum et Neona [1] (congestis navi quae cuique sic volenti in longum usui necessaria) uti circumputato oceano comperta nuntiarent.

(*a*) Ita cod. At Arriano est Ἄορνος. (*b*) Cod. *hic*. (*c*) Cod. *acsididaspentitam*. (*d*) Cod. *nam*. (*e*) Cod. *conperisset experire quae*. (*f*) Cod. *quonam*.

---

(1) Ita cod. Hos alii appellant *Nearchum et Onesicritum*.

51. Quippe Alexandrum animo fuisse ad appetentias rigido et indomito, hîc quoque considerandum reliquit. Erat civitas Indiae, quam [1] multi confugerant, magnitudine nimia et firmitudine inexpugnabili. Quam ubi Alexander obsidione adoritur, iubet fieri scalas pro muro praecelsas: easque admotas cum grandibus saxis desuper frangerent repugnantes, sola perdurant qua rex una duobus satellitibus evicerat: ipsum quoque multis desuper ut qua quisque poterat retrudentibus. Et quamvis scalas omnis suorum comminui vidisset, neque ullo sese auxilio periclitaturum, irruit tamen unus omnia hostium milia, una praedictis (Peuce [a] scilicet et Ptolemaeo) qui cunctantem [b] multitudinem protinus urbis eius in sese convertit. Perdius igitur diu secum satellitibus conspirantibus rem pleni exercitus agitabat: ni vergente iam die et latere summo vulneraretur, et recepto altius ferro defici [c] viribus occoepisset. Id Macedones coniectati qui foris rem agebant, metu nequid ulterius (occupatis in regem intramuranis universis nec desuper prohibentibus siquis irrueret) vi claustra effringunt, suppetiatique in tempore iam regem sui recipiunt diffidentem. Facti denique mox ex indignatione saeviores indiscretius dextris in aetates et sexus vires optinent internicione omnibus caesis.

52. Exim constanter suadere milites regi conspirant, ne sese ulterius periculi vilitate dampno tamen in proeliis

---

(a) Hunc alii dicunt *Peucestem*. (b) Videtur corrigendum *cunctam*. (c) Cod. *decipi*.

---

(1) Nempe *in quam*. Confer cap. 43 n. 2.

abuteretur tanti prodigus [a] sanguinis: obtinentque ne ultra, verum Babylona ut redeat: Babyloniique multo cum honore suscipiunt. Per septem denique dies Alexander eo regressus Diis sacrificio operatur, quos fortunae gratus [b] repensaret. Post id conviviis et voluptatibus comioribus [c] causam morti hinc dedit. Morem sibi proceres exercitus fecerant, uti mutuis sese conviviis acciperent. Enim cum forte apud Medium convivarent comessatione se illis convivam [d] Alexander facit. Statim deinde [e] Herculis Medius scyphum offert ad vina: neque is honorem Dei nomine aspernatus, poculum complet stringitque continuo [f]: eaque tantarum virtutum viro causa ad mortem fuit: ut quem tot bellis adversa vulnera non vicerant, sub fati invidia iuvenilis confidentia solveret.

53. Cuius ne casus prinsquam laudium [g] memor sim, ea quoque ponam hic quae per diligentiam laboravit. Quippe quamvis bellorum ultra pertaesus consulenti per se [h] exercitui concederet, bono tamen labori nihilum pepercit. Electo denique sibi ad eiusmodi patientiam comitatu, ad Herculis stelas [1] famae iactantia persecutus est, diebus nonaginta continuis emensa via. Dignam quidem illam rem pretio tanti laboris,

---

(a) Cod. *tanta prodigii.* (b) Cod. *gramen.* (c) Cod. *comitioribus.* (d) Cod. *convivio.* (e) Cod. *denique.* (f) Cod. *continuum.* (g) Ita cod. Confer. cap. 48. n. 3. (h) Ita cod.

---

(1) Praeter celeberrimas gaditanas, indicae etiam Herculis stelae seu columnae memorantur a Strabone lib. III. p. 171. Sed quoniam Alexander a columnis redux venisse mox dicetur ad Thermodonta, heic omnino intelligendae sunt co-

siquis aurem ad fidem dicentis inclinet [1]. Ii quippe tituli alter auro pingui, alter argento [2] proceritudinis erant ·xii· cubitorum, crassi vero per quadrum cubitis binis: adeo inmenso pondere, ut eius periculum ipse rex fecerit terebrata crassitudine auri eius, cuius dampnum mille quingentis mox aureis infercive-rit [3]. Verum exim revertens praerupta per loca caelo inlucido, *ut* iuxtim se viantes vix mutuo noscerentur, tandem Thermodonta amnem [4] . . . .

Reliqua desiderantur.

---

lumnae Herculis in Ponto, de quibus eximium testimonium extat Servii ad *Aeneid.* XI. 262. *Columnas Herculis legimus et in Ponto et in Hispania.*

(1) Nota praeclarum historici nostri iudicium, qui huic narrationi vix fidem adiungendam pronunciat. Quamquam gaditanas quidem columnas adire in animo fuisse Alexandro constat ex Curtio X. 1, et Diodoro XVIII. 4.

(2) De columnis Herculis ex auro argentoque concretis conferatur Philostratus *vit. Apoll.* V. 5.

(3) Comparentur quae scribit Cicero *de divin.* I. 24. super columna aurea in fano Iunonis Laciniae ab Hannibale terebrata, superque bucula quae ex auro exterebrato facta fuit.

(4) Quaenam quotaeque partes huius narrationis desiderentur, facili coniectura adsequeris, si leges apud Iulium Valerium in tertio libro epistolam Alexandri ad Olympiadem.

RERUM PRAECIPUARUM IN ITINERARIO

INDEX.

Numerorum notae indicant capita.

Abiorum scytharum legationes 35. 41.
Alexander Aeropi filius auctor insidiarum 10.
Alexandri ·M· genus, figura et virtus bellica 5. 6. *exercitus quo traiecit in Asiam* 7. *amicitia fidentissima* 11. *humanitas* 10. 14. *effata* 14. 17. *castitas* 17. 22. *vitia* 4. 39. 40. *iter ad Herculis columnas* 53. *causa mortis* 52.
Alexandria Aegypti conditur 19.
Amyntas praeponitur imperio persico 45.
Antipatro procuratio Macedoniae et Peloponnesi mandatur 7.
Aornis petra 49.
Arsacidae προληπτικῶς, *vel per anachronismum auctoris* 39.
Besus insignia Darii recipit 29. *et nomen Artaxerxis* 31. *capitur* 33. *necatur* 38.
Boum ducenta et triginta milia ex India in Macedoniam missa 45.
Callisthenis monita 40. *Idem de coniuratione suspectus* 40. 44.
Caucasus describitur 32.

Chorieni castelli deditio 44.
Clitus Alexandri sospitator 9. *occiditur* 39.
Constantini pater et frater Constantii imperatoris 2.
Constantius Alexandro comparatus 4. *Constantii persica expeditio* 1. *figura* 6.
Cydnus amnis describitur 11.
Darii familia capitur 13. *Darii litterae et legationes* 15. 17. *Eiusdem mors* 29.
Flumina vanescentia 38.
Fontes calidi apud Hammonis fanum 20.
Fontes duo alter olei, alter vini 42.
Gaza obsidetur et capitur 18.
Halicarnassi regina dicta mater Alexandri 10.
Hammonis fanum describitur 20.
Herculis scyphus 52. *columnae* 53.
Hermolai coniuratio 40.
Indi amnis transmissio 47.
Indiae descriptio 48.
Macedonum clades 37. *querelae* 49.
Mare hippallum 48.
Olympias filium comitatur Amphipolim usque 7.
Onomarchus et Neon oceanum circumputant 50.
Orphei statua sudat 7.
Oxi amnis transmissio 33.
Pausanias caeditur cum tribus filiis 5.
Persarum imperium integratur Alexandro 45.
Petrae munitissimae capiuntur 43. 44. 47. 49.
Pharasmenes Chorasmiorum rex 41.
Philippus medicus Alexandri 11.
Pigres, nempe Tigris 21.
Pistamenes capitur 42.
Pori bellum 48.

Prodigia 18. 19.
Pugna ad Granicum 8. 9. *ad Issum* 13. *ad Arbelum* 22–27.
Roxane Oxyartae filia nubit Alexandro 43.
Sal fossilis apud Hammonem 11.
Satrapae VII. Asiam praetendentes 8.
Scythae trans Tanaim 37.
Siti et morbo laborant Macedones 37.
Somnus pinguior Alexandri ante pugnam ad Issum 13.
Tanais Alexandri 34.
Tarsus urbs paene fatalis Alexandro 10.
Taxiles rex indus 45.
Terentii Varronis ephemeris ad ·Gn· Pompeium 3.
Tigris, nempe Pasitigris 27.
Traiani Itinerarium 1.
Tyri excidium 16.
Unimammae sive Amazones 41.
Xerxis regia inflammatur ab Alexandro 28.

IULII VALERII ·V·CI·

RES GESTAE

ALEXANDRI MACEDONIS

TRANSLATAE

EX AESOPO GRAECO.

ALEXANDRI MACEDONIS

RERUM GESTARUM

LIBER I.

QUI EST ORTUS[1].



1. Egyptii sapientes sati genere divino[2] primi feruntur, permensique sunt terram ingenti pervicacia, et ambitum caeli stellarum numero assecuti. Quorum omnium Nectanabus prudentissimus fuisse conprobatur; quippe qui quod alii armis, ille arte potuisse convincitur: denique mundialia elementa ei parebant, adeo ut si metus bellicus illi immineret, non exercitum, non machinamenta martia moveret; quin potius ingressus aulae regiae secreta, ibi se solitarium abdebat inferens secum pelvim, quam dum ex fonte limpidissimo impleret, ex cera imitabatur navigii similitudines, effigiesque hominum illic collocabat: quae om-

---

(1) Acephalo codici mediolaoensi supplementa suppeditamus ex vaticanis duobus usque ad cap. 10. Est autem vaticanorum codicum textus haud plane idem atque mediolanensis, sed paulo contractior, et verbis saepe diversis compositus.

(2) Loquitur Auctor secundum Aegyptiorum fabulosas origines, de quibus legesis Eusebium in chronico lib. I. 20.

nia cum supernatare coepissent, mox moveri ac vivere videbantur. Adhibebat etiam et virgulam de ligno hebeni, et praecantamina loquebatur quibus vocaret Deos superos inferosque, sicque laborabat pelvi naviculam submergi. Ex quo fiebat ut simul cum submersione illius cerae et cereis insessoribus, etiam omnes hostes, siqui adesse pernuntiabantur, pelago mergerentur. Itaque multo tempore regno ac securitate potitus est. Quodam igitur tempore nuntiatum est ei multas adversus eum gentes una conspiratione, atque eadem voluntate consurrexisse: scilicet Indos, Arabes, Phoenices, Parthos, et Assyrios, nec non et Scythas, Alanos, Seres, et quascumque orientis barbaras gentes. Quibus ille auditis, plausum seu sonitum dans manibus, magno risu dissolutus est.

2. Igitur ad consuetae artis confugit peritiam, et more solito adhibuit sibi pelvem, atque omnia alia instrumenta; quibus intellexit se vincendum, atque ab hostibus capiendum, nisi fugae consuleret. Mox autem raso capite, et barba, electisque omnibus quae sibi erant pretiosarum opum, appulit Macedoniae; ibique amictus veste linea, astrologumque se professus, peritiam suam cum magna admiratione commendabat. Ergo Nectanabus iam longe celebratior apud Macedones erat, adeo ut fama illius nec Olympiadem quidem reginam lateret. Enimvero Philippus tunc bello forte aberat, coepitque regina consulere peritiam viri. Qui ut ad eam ingressus est, non eam dominae appellatione dignatus est, qui se quondam dominum fuisse meminisset: moxque illius pulchritudinem admiratus, amore illius captus est. Cum ergo iuxta sedisset, ait regina ad eum: tu ne es Nectanabus ille matheseos sciens?

Dic ergo quanam usus peritia es, ut verus amicus sis Deorum? At is respondit: multifida quidem est, o regina, haec nostra vaticinandi scientia, neque est in tempore uno omnium meminisse: nam interpretes sunt somniorum, et astrologi quibus omnis divinandi ratio reservatur; multaque praeter haec sunt, quibus uti ad praescientias solemus.

3. His dictis cum acrius in vultum reginae intueretur, Olympias ait: quid ita defigeris in me o propheta [1] intuens? At ille, recordor, inquit, oraculi illius, quod apud Aegyptum a Diis acceperam, quod oporteret me reginae vera praedicere. Quare consule super his quae cupieris: et cum verbo promit tabulas, quas huius peritiae docti Penates nominant: auro enim et ebore variatum pretium cum sui operis admiratione confuderat. Tunc promit etiam septem stellas, et horoscopum pariter, quibus singulis metalli species inerat: Iovem quippe inserens aureo lapide nuncupatum, solem crystallo, lunam adamante, Martem sub lapide amethysto, Mercurium smaragdo, Venus autem sapphyrina erat, Saturnus in ophite, at vero horoscopus lygdinus erat. Exinde mirans Olympias stellarum mirabilem varietatem, et propius se sistens: o, inquit, tu intuere quaeso meam et Philippi congruentiam: nam multa fama est, quod si ex hoste rediens adfuerit, abiecta me, velit in alteram transmigrare. Tunc Nectanabus statim suam adhibet constellationem, exploraturus ea quae regina petiverat: quo facto, ait: non vana, inquit, ista ad te fama pervenit: sed ego propheta ex Aegypto opitulabor, ne

(1) Propheta nomen fuisse sacerdotale apud Aegyptios, exploratum est.

quid de divortio formidaveris. Nam facile tibi est, secundum quod perspexi, misceri te Deo, genituramque filium ultorem omnium, siquid in te Philippus audebit. Tunc illa, et cuinam, inquit, Deo ad torum debeor? Respondit: Hammoni deo Libyae. Quare parari te velim, ut feminis mos est, et reginae decorum, ad huiusmodi nuptias. Videbis enim ante sompnium, et in sompnio nuptias tibi cum Deo futuras. At illa: hoc, inquit, sompnium si sompniabo, iam non ut mago utar te, sed honore maximo te venerabor.

4. Progressus inde Nectanabus herbas quaeritat ad sompnia necessarias; quibus carptis, atque in sinu pressis, effigiat ex cera corpusculum feminae, eique nomen reginae adscribit; lectulum ei fabricatur, cui illa effigies superponitur. Iuxtaque lucernis accensis, sucum herbarum superfundit, carmenque indicit efficax et secretum. Quo effectum est, ut quicquid ille simulamini loquebatur, id omne fieri sibi regina per sompnium sit opinata.

Sequitur in codicibus vat. parum oppido decens historia magi Nectanabi sub Dei Hammonis specie cum Olympiade impudice versantis; quae historia minus certe incredibilis videri potest, siquis pompeianae mulieris persimilem casum recogitet. Deinde artes quoque narrantur quibus Philippo reverso idem Nectanabus illusit: quae omnia vix ullo cum litterarum damno libens praetermitto: praesertim quum eiusmodi narratio apud varios auctores extet, puta apud Syncellum, Malelam, Cedrenum, Glycam.

5. Dum igitur Philippus in quadam regione sederet ubi aves pulcherrimae errarent circum, intentusque agendis animum rebus occuparet, repente gallina in si-

num eius supersiliens considensque, enixa est ovum: sed ovum illud sinu eius evolutum humi concrepuit, cuius testula dissultante, visus est de eo dracunculus exisse; isque circumcursans, atque ambiens ovi testulam, dum rursus eo unde exierat intrare vellet, morte praeventus est. [Rex igitur Antiphontem, qui coniector sompniorum id temporis egregius habebatur, accersiri iubet, super re visa sciscitans illum. At ille percunctatus respondit ei filium nasciturum qui omnem mundum obiret, omnemque suae ditioni subiugaret: hunc ante quam in patriam, de qua exierat, redeat, occasu periturum. Draco quippe regale est animal, ovum mundialis est forma, ex quo cum draco erupisse videatur, perque omnem huius rotunditatis ambitum circumisse, atque ingredi eo unde ortum habuerat cupivisse, mortuus est priusquam id proveniret; cuncta haec, quae praedicta sunt, portendisse liquet.

6. Apparente autem iam partitudinis tempore, consederat Olympias honere partus levanda, et adsistens Nectanabus, inspectansque caelites cursus, motusque astrorum: mane, inquit, quaeso mi mulier, et vim partitudinis vince: quippe si nunc fiat editus partus, servile quiddam, captivumque futurum astra minantur. Atque cum obdurasset mulier, seduloque aculeis pulsaretur, rursus ammonet eam magus: nunc et quaeso, inquit, si obduraveris paululum, quia si nunc editu victa sis, gallus et semivir erit qui nascetur. At tunc demum intuens astrorum cursus, motusque elementorum, sic ad mulierem ait: en tempus est nunc, et voce fortiori, et omni conatu emitte; quippe quod nunc editum erit, totius mundi dominabitur. Tunc mulier vehementius ingemiscens exegit puerum; qui cum ad humum lapsus est, motus protinus

insequitur terrae, et tonitruum crepor, ventorumque conflictus, et fulgurum coruscatio, uti viseres omni mundo huius partitudinis curam elaboratam. Ergo et Philippus utile mihi inquit, consilium, o mulier, profiteor, non nutriendi quod natum est, quoniam id de meo semine non provenit; sed cum videam sobolem esse divinam, Diis quoque atque elementis cordi fuisse, educationi esse concedo, inque eius filii *memoriam*, qui mihi ex prioribus nuptiis natus occubuit, Alexandri ei nomen dabo.

7. Postea vero regalius, et conpetentius initiabatur. Erat autem vultu et forma pulcherrimus, subcrispa paululum et flavente caesarie, et comae leoninae, oculique egregii decoris, altero admodum nigro, laevo vero glauco, atque dissimili. Crescebat ergo ut corporis gratia, ita studiorum et prudentiae maiestate. Nutrix eius Alocronis, paedagogus Leonides, litteraturae Polemicus [1], magister musicus Aucipus, geometricae Alomodes, oratoriae Anaximenes, philosophiae Aristoteles. Erat quidem ille ad omnes litteras peritus, et si quisque ludus, imperiale quiddam erat meditamentum. " Interea viri qui Philippi equitia curabant [2], equum spe-

(1) *Lysimachus?* et mox *Cleomedes?*

(2) Salmasius in adnotationibus ad Capitolini Marcum p. 96. b. ita scribit: *incertus auctor in magni Alexandri vita, QUI SUB CONSTANTIO VIXIT, de bucephala: interea viri qui Philippi equitia curabant etc.* usque ad *saevit*. Cur autem adfirmavit Salmasius auctorem nostrum sub Constantio vixisse? Fortasse hoc argumento usus est, quia vidit copulatum in uno codice cum Itinerario, prout reapse est in mediolanensi. Fortasse etiam in lacuna mediolanensis codicis nomen Constantii periit cum operis praefatione. Utcumque

„ ctabili forma deducunt, aiuntque illum armenti quidem fuisse regalis generis, formatum pedibus ad Pegasi fabulam, et si equi fuisse Laomedontis eiusmodi praedicantur. Addunt vero, et aiunt: unum quidem ei beluinnm est vitium; namque ut homines videt, in eiusmodi pabulum saevit [a]„. Rex vero claudi eum atque ali praecepit sub claustris sed praeferratis. Interea Alexander iam annum XII. agens patri comes fiebat, et usu armorum semper indui meditabatur, et cum exercitibus videri gaudebat, et equis insiliens, cuncta ut prudentissimus miles agebat.

8. Dum ergo Philippus ad quamdam proximam civitatem proficisceretur, nempe simili affectu quo solitus; protinus Olympias Nectanabum repetit, eumque consulit super clandestino mariti consilio. Qui dum assidenti sibi Alexandro ex arte illa astrica loqueretur, ait Alexander: num, inquit, ista est similitudo stellarum, quae visuntur in caelo? Et Nectanabus, ita respondit esse. Et Alexander; possumus ne ista usurpare oculis? Annuit posse. Tempus exigit. Vesperam pollicetur. Quae ubi advenit, comitare, inquit, mecum ad campestrem locum, easque tibi lucentes in caelo ostendam. Ergo progressi oppido, dabat videre Alexandro quae cupiverat. Qui dum sedulo huius artis peritia frueretur, iamque in huiuscemodi doctum se perpenderet; nocte quadam ad praecisum

vero se res habet, Salmasii auctoritas et testimonium de nostri auctoris aetate apud me plurimum valet.

(a) Notemus lectionem *saevire in aliquem*. Nam codex Salmasii mendose sine *in* fuit; quo accidit, ut Salmasius hoc sit usus falso exemplo ad perperam confirmandam verbi *saevire* syntaxim cum quarto casu sine *in*.

fossae venientes, Alexander hominem improviso impellens, praecipitat; ibique letali ictu cervicis afflictus; haec conquestus est: mi, inquit, Alexander, quidnam huiusce facti consilium tibi fuit? At ille respondit: conquerendum tibi erit de arte quam noveras; quippe nescius quae te impenderent, humi nunc resupinus iacens, rimare ea quae sunt caeli. Ad haec magus: nulli, inquit, mortalium contra fatum fuga permissa est. Et Alexander, cur ista, inquit? Respondit magus: olim quippe per hanc scientiam cognovi me a filio interemptum iri. Et Alexander ait: num ego sum filius tuus? Ita esse confitetur, tum Aegypti fugam, tum ingressus ad Olympiadem, et quanam arte uxore sit potitus ad similitudinem Dei. Et his dictis anima exaestuat. Hinc Alexander conperto quod sibi fuerit pater, quem interfecerat, naturali monitus affectu, superponit humeris hominem, regiamque revectat. Ut autem reversus est ad matrem, cuncta narrat quae pater supremo colloquio dixerat; atque huic mulier nimium admirata indicavit quot annos artibus lusa probri rem fecisset. Patri quoque filius sepulchrum erigit operosissimum.

9. Enimvero Philippus Delphos mittit super regni sui sollicitus successorem. Responsum accepit in hunc modum: o Philippe, ● demum tuis omnique orbe potietur quicumque Bucephalam equum insiliens, medium Pellae transierit; vocabatur enim equus ille quem praediximus eo nomine. Nam quartum decimum annum Alexander agebat, qui dum quadam die locum quo clausus praedictus erat equus praeteriret, conversus ad amicos ait: o viri, hinnitus ne aures meas, an vero rugitus aliquis leoninus offendit? Ad haec Ptolemaeus, qui postea Soter dictus est: quin imo hic il-

le est Bucephala equus, quem ob vehementiam et saevitudinem dentium claudi rex pater iussit. Alexander vero custodibus evocatis claustrisque remotis, animal educit; comam quoque eius laeva cum apprehendisset tergum quadrupedis insiluit, effrenemque hac atque illac circumduxit; quod cum admirationi visentibus foret, cucurrit quidam, et rem periculi Philippo nuntiavit: sed ad memoriam revocans monitus oraculi, occurrit ad puerum, eumque salutat ut totius orbis dominum.

10. Sed enim Alexander quintum decimum agens annum, petiit ut sibi Pisas adire liceret, gratia quadrigis certandi, et Philippus equos illi, et cetera itineri necessaria praeparari iussit: *nihilque impedit*, *ait*, *quin tibi omnis* [1] ad votum proclivitas fiat: neque enim improbo huiusce desiderii gloriam. Tunc filius, gratiam equidém tibi, pater, huiusce muneris facio [2]: habeo quippe equos quos exacta tutela recenti ad haec mihi studiosius praeparavi. Haec quoque professio Philippum iuvat, laudatumque studii filium facile permittit, cum primum illi [a] deduci ad navigia currus et arma iussisset [3]. Igitur escensa [b] navi comitatusque He-

(a) Cod. *sibi*. (b) Cod. *excensa*.

(1) Hactenus ex codicibus vaticanis supplementa dedi exemplari mediolanensi acephalo, qui hinc incipit.

(2) Equorum scilicet a patre oblatorum.

(3) Latinus alius codex habet: *Alexander quintum decimum agens annum petiit ut sibi Pisas* (cod. *Pilas*) *adire liceret gratia quadrigas tractandi. Philippus quoque equos illi et cetera itineri necessaria praeparari iussit.*

phaestione amico, secunda admodum tempestate Elim [1] appellitur.

11. Quo in loco cum equorum curam famulis mandavisset, atque ipsus [a] visum loca deambulatumque procederet, obviat forte Nicolao cuidam adolescenti regulo [b] ex Acarnania. Celsius quidem illo et sublimius se ferente [2] (quippe qui duplici eoque perflabili Deorum adminiculo levaretur opulentia scilicet et fortuna) habebat tamen Nicolaus ipse quod sibi de suis viribus polliceretur. Nihilominus salutando Alexandro praestitit se priorem, nescius [3] etiam tunc itûs illius causas et certaminis stadium. Fuit tamen non sine contumelia salutatio: nam et ave, inquit, o puer: nec ille [c] sedulo resalutat. Tunc secundo Nicolaus, ecquem, inquit, arbitrere te tam [d] incuriosius salutasse? Quippe ego Nicolaus ille sum rex Acarnanum. Alexander refert: istam arrogantiam non probo. Quid enim te iuvabit imperii vana iactatio de secundis crastinis fluctuantem? Non enim vides ut stare fortuna hominum nesciat, utque in his fragilior habeatur quicumque illa Dea victitant nixabundi [e]? Ad haec Nicolaus: haec quidem, inquit, non invenuste [f]:

(a) Cod. *ipsius*. (b) Cod. *reguli*. (c) Cod. taurin. *nec ille non sedulo*. (d) Cod. taurin. *tamen curiosius*. (e) Cod. med. *nexabundius*. (f) Taur. *invenusta*.

---

(1) Nota verissimam terminationem *Elim* non *Elida*, et confer Petrum Victorium ad Cic. *epist. fam.* XIII. 26.

(2) Nempe *Alexandro*.

(3) Ita cod. *nescius* cum quarto casu, nisi forte est mendum pro *nesciens*.

enimvero velim scire cur adsis? nam te Philippi filium fama praelocuta est. Fatetur Alexander sese ad certamina quadrigarum studio coronae venisse. Tum Nicolaus felle de nimia indignatione suffusus [a], despectansque eius aetatulam, neque vim animi considerans, consputum adolescentulum et maledictis increpitum dereliquit. At vero Alexander qui omninm disciplinarum continentiam magistro [b] ostentare didicisset, abstersit clementer sputamenta; quin etiam [c] arridens ait: iuro equidem tibi, Nicolae, patris mei ac matris pariter maiestatem, ut te et in hoc praesenti certamine et Acarnaniae telo [d] superabo. Hinc soluta est fabulatio.

12. Non multo autem post cum dies certaminis advenisset, aurigandique professio studio excitaretur [e], novem quidem omnes et [f] regii iuvenes [1] competebant, quorum sortito primus Nicolaus astitit carcere, secundo Xanthias, tertio Conon [g], quarto Clitomachus, Balcheus quinto, Aristippus vero sexto in loco, Picrus

(a) Taur. *rufus*. (b) Cod. mediol. *mago*. Taur. *magne*. (c) Cod. *iniuriamque*. Cum dico deinceps *cod.*, mediolanensem intelligo. (d) Ita cod. *telo*. (e) Taur. *citaretur*. (f) Cod. *sed*. (g) Taur. *Cimon*.

(1) Apud Plutarchum *vit. Alex.* edit. Londin. anni MDCCXXIII. T. IV. p. 9. (et *de fort. Alex.* or. I. edit. Xiland. p. 331.) rogatus ab aulicis Alexander puer num Olympiae certare vellet, sane si habiturus sum, inquit, adversarios reges: τῶν περὶ αὐτὸν ἀποπειρωμένων εἰ βούλοιτ' ἂν Ὀλυμπιάσιν ἀγωνίσασθαι στάδιον, εἴ γε, ἔφη, βασιλεῖς ἔμελλον ἕξειν ἀνταγωνιστάς. Quoniam vero apud antiquiores Alexandri historicos nulla videtur esse mentio curulis huius victoriae ad Olympiam, idcirco suspicor e memorato Alexandri dicto totam hanc Iulii Valerii sequiorumque aliquot Scriptorum narrationem fuisse conflatam.

septimo, Alcan octavo, Alexander post summo nono. Hi cum ex more artis atque certaminis instituissent curribus, lituoque signum sollemniter increpasset, cuncti una prosiliunt. Enimvero Alexander erat quartus a primo, Nicolao propius [a] insequente, et spe transitus et infesto consilio, ut si praetervehi queat, non absque periculo Alexandri consulturus. Id quidem illum non satis fugerat. Nam et causa odii commonebat, quod bello Nicolai patrem Philippus oppressisset. Igitur astu se dedebat Alexander a Nicolao praeteriri. Quippe iam ceteri, qui cursu praevenerant, alii [b] alio casu prolapsi primam spem potiundae palmae Nicolao dabant. Qui cum finem certaminis iam sperasset, infert sese Alexander voto praeterlabendi. Ad hunc conatum equis Nicolai convertentibus, titubans dexter equus [c] cernuantique persimilis, implicatos reliquos secum moratur. Enim tunc Alexander subiens, praeteracto prolapsoque Nicolao supervectus [d], rem belli [1] sub stadio transegit. Exin [e] victor corona redimitus escenso templo cum Iovem olympium salutaret, aestimatione rei gestae aut instinctu Dei, sacerdotem ferunt sic fortunam victoriae interpretatum, ut quod primo certamine Nicolaum vicisset, esset sibi coniecturae, perfacile multos eum populos victurum [2], universitatisque dominio potiturum.

(a) Cod. *prius*. (b) Taur. *alius*. (c) Cod. *dexterae medis cernuantique* etc. Locum emendavi ope codicis graeci. (d) Taur. *supervectu*. (e) Ita in hoc opere saepe *exin*. At in Itinerario *exim*.

(1) *Bellum* apud I. Valerium nec non apud Auctorem Itinerarii dicitur quodvis certamen.

(2) Ita cod. *vinciturum*. *Vinciturum* habet item Petro-

13. Hisce ergo omine atque laetitia ovans repatriat Macedoniam. Sed offendit forte, ex licentia regia spreto coniugio [a] Olympiadis, Philippum tunc in Cleopatrae nuptias demutantem Apali [1] cuiusdam non ignobilis filiae. Die igitur nuptiarum irruens regis triclinio coronatus, sume, inquit hunc primum, o pater, laboris mei fructum: et unâ [b] coronam in patris caput transtulit. Tunc adiecit: nam de eo quod in praesenti laetamini, et ego cum matrem aliis regalibus nuptiis coniugabo, vos quoque participabo convivio: et una cum dictis adversim Philippum discumbit. Sed rex asperatus [c] ad dicta [d] intus in animo saeviebat. Aderat tunc inter multas regalesque delicias Lysias [2] quidam risui excitando quam facetissimus, qui cum in gratiam regis admordere adulescentulum vellet, potiare, inquit, o rex, Cleopatrae, potiare: e qua tibi spero privatos filios atque incommunicatos [e] alteri proventuros: eosque qui vultibus tuis et felici respondeant semini. Haec ubi dicta sunt, irritatior iu-

(a) Taur. *consortio.* (b) Cod. *unam.* (c) Cod. *asperacius.* (d) Taur. *dictum.* (e) Cod. *incomminicatos.*

nius *fragm. Tragur.* cap. XLV. Est autem cogitandum de etymologia vocis *Nicolaus*, nempe *victor populi.*

(1) Dic *Harpali* vel *Attali.* Cleopatrae certe notissimus est patruelis Attalus, vir bellicis studiis clarus post Philippi necem iussu Alexandri oppressus in Asia ob praecavendam exercitus macedonici seditionem. Vide Diodorum siculum XVI. 93. XVII. 5. Iustinus autem IX. 5. ait Attalum fratrem Cleopatrae.

(2) Apud Plutarchum loco nuper laudato, et Iustinum. IX. 7, nec non Athenaeum mox laudandum, non Lysias sed Attalus convivium, de quo hic sermo, dicteriis conturbat.

venis, protinus poculum [1], quod sibi prae manu erat, in Lysiam iaculatur eumque vulnerat. Sed rex effervescente irae professione, prosiliens in Alexandrum, labitur, crureque laeso et vulnerato procumbit. Tum parum temperans voci iuvenis, en, inquit, ille qui Asiam Europamque subiecit, unius lectuli spacium sine periculo non emensus est [2]! et cum dicto rapit gladium, omnesque qui forte sese veluti ad comprehendendum irruerant, dissicit: prorsus ut nihilum de Centaurorum Lapitharumque convivio demutaret: aut quod illi rei sit proximum, procos diceres cum ultore Ulixe decernere. Egressus igitur concedit ad matrem.

14. Enim qui aderant Philippum non absque discrimine vulneratum cubiculo invehunt [a], lectoque deponunt. Sed is cum post complusculos dies iam bonam spem curationis promitteret, ingreditur amica sollicitudine tunc Alexander, assidensque lectulo: quaeso, inquit, o Philippe (adhuc enim te hoc communi [b] nomine adloquar, ut amicus, donicum [c] patris in te animum recognovero) quid tandem hoc rei est quod te avertit a coniuge? Aveo [d] enim scire, vindex et ultor futurus in matrem, si culpa meruit quod evenerat. Huc

(a) Med. *inducebant.* (b) Cod. *ad hoc enim te hoc et communi.* (c) Med. pro *donicum* habet *boni cum.* (d) Cod. *habeo.*

(1) Confer Athenaeum lib. XIII. 1. p. 557.

(2) Apud Plutarchum loco nuper laudato iisdem prope verbis loquitur de Philippo Alexander: Οὗτος μέντοι εἰς Ἀσίαν ἐξ Εὐρώπης παρεσκευάζετο διαβαίνειν, ὃς ἐπὶ κλίνην ἀπὸ κλίνης διαβαίνων, ἀνατέτραπται.

adde, si placet, probes ne illam Lysiae in Alexandrum petulantiam? probesve etiam patris in filium truculentiam? Quid enim uterque commeruimus a patre et marito? Abiecta Olympias coniux, et Alexander filius incursatur [a]. Quin ergo surge, et confirmato corpusculo, animum etiam labantem [b] una curaveris, adeo saucium fatalibus forsitan temptamentis. At ego tibi Olympiadem tuam in gratiam una atque in cubiculum iam deducam. Geret enim morem profecto Alexandro filio, cuius tu pater, ut video, esse fastidis „.

15. His dictis transit ad matrem, Philippo iam inter pudorem paenitentiamque distento, et ait ad eam: Ne, inquit, quaeso, ne moveare, mi [1] mater, super hisce quae in te gerit [c] rex maritus. Etenim ipsa quamvis clam habeas quid commerueris, age tamen morem conscientiae tuae, cuius memet testem habes [2], qui hanc tibi concordiam suadeo. Quare remeес ad coniugem censeo, et redde te marito morigeram. Cedit auctoritati suadentis filii Olympias, et duce tali revenit ad maritum. Tunc Alexander: en tibi, pater, Olympias tua (iam enim te paterno nomine usurpabo, cuius adeo libens fueris auditor). Igitur et precator ad eam fui, remittit tibi meritum tuum abolitione omnis iniuriae. Agite igitur, quaeso, post iram integrationem coniugalis affectus. Nec sit pudendum si filius sim pa-

(a) Taur. *incusatus*. (b) Taur. *labentem*. (c) Med. *egerit*.

(1) *Mi* feminino genere, quod et retro vidimus.

(2) Nimirum Olympias ante confessa fuerat Alexandro, patrem eius fuisse Nectanabum aegyptium, qui se magicis artibus ad probrum illexerat.

rentibus copulator. His dictis impetrat quod laborat: idque ei largiter apud omnes patriae proceres bonum admodum tertimonium fuit. Placet denique Lysiae nomen coniugalibus ritibus in perpetuum aboleri: quod appellatio illa solutionem [1] coepti cum Cleopatra coniugii fecisset [a].

16. At his ferme diebus, quibus haec acta videbantur, descivisse obsequio Mothona [2] civitas nunciabatur. Ad quam animo Philippus incitatus, cum adhuc viribus corporis deficeretur, optimum ratus ultionem non distulisse, numerum qui forte adesset militum ducere Alexandrum iubet, idque adulescens properanter exsequitur diligenterque: subactam enim populatamque ad vindictae ostentationem raptim Mothonam reversus annunciat. Sed enim cum, illo reditu de Mothona, ingressus ad patrem foret, videt ibi assistentes habitu barbaro viros, percontansque agnoscit persae Darii satrapas: causam autem [b] adventus esse, quod ex more regio petitum pecunias a Philippo ve-

---

(a) Cod. mediol. pro *coniugii esset* habet *convivisset* et mox eadem manu emendatum *convivasset*. (b) Cod. *tamen*.

---

(1) Graece λύσις *solutio*. Similiter ludit Cicero Phil. XI. 6. in nomine *Lysidicus*.

(2) Codex Iulii Valerii hic *Mathana*, et mox bis *Mothana*. Graecus codex Μοθώνη, latinus item *Mothona*. Et quidem huius urbis macedonicae nomen mire variat apud alios etiam auctores. Vide interpretes Iustini VII. 6. et Salmasium *exercit. plin.* p. 108. b. C. In huius urbis obsessione Philippo Alexandri patri oculus telo aliquot ante annos effossus fuerat. Vide Diodorum XVI. 34, et Iustinum loco citato.

nissent [1], pretium scilicet aquae atque terrae: his enim nominibus subiectos obsequi sibi Persae deposcunt [2]. Miratus igitur Alexander et petendi morem et titulum; haecine [a], inquit, elementa [b] Persae mortalibus venditant, quae cunctis Deus in commune largitus est? Dolebat ergo, altiusque adulescentuli vim carpebat, quod viri graeci nominis ac dignitatis vectigales barbaris fierent: quae res esset pendentibus iugiter ad magisterium servitutis. Tum igitur paululum [c] barbaris indidem separatis, ferre a se mandata ad Darium iubet: haec illi [d] Alexandrum nunciare et dicere: boni consuleret, et ab hac petendi consuetudine temperaret. Quippe quem ipse morem petendis pecuniis indixisset, hunc a se protinus exactum iri: unaque cum his, quae ante dispensa sint, propria quaecumque sint Persis Alexandrum petiturum. Cum his dictis exigit homines proficisci, ne litterarum quidem regem responsione dignatus. Ad animi eius magnificentiam Philippus erigebatur, quod adeo fidentem et intrepidum eum naturae suae bona asserere intueretur. Igitur cum vicina rursus civitas de obsequio vacillaret, datur Alexandro expeditio. Pergitque quo iussus est.

17. Enimvero interea Pausanias quidam nomine, tum divitiis affluens tum opibus potens, ex oppido Thes-

(a) Ita cod. cum una *c* quae est vetus orthographia. (b) Cod. *elimenta*. (c) Taur. *pauculum*. (d) Cod. *sibi*.

(1) Macedonas tributarios Persarum dicit ante se Alexander apud Curtium X. 2. Aquam pendit Persis Alexander primus macedo apud Syncellum ed. paris. p. 247. B.

(2) Rex Persarum petit a Graecis terram et aquam (sive eius rei pretium) etiam apud Herodotum VII. 32.

salonicae nobilis, in Olympiadis desiderium amoremque animo prolapsus est. Qui cum per internuntios adtemptasset, ecquid mulier consentiret ut deserto Philippo ad sese transnuberet, neque id ex sententia provenisset [1]; comperiens filium Philippi, cuius adeo formidolosum in omnes accolas erat nomen, peregre profectum; certamenque thymelae [2] tunc agi a Philippo praesidente; repente satellicio stipatus, strictis gladiis theatrum irruit, Philippumque vulnere praevenit. Qui cum altius et letaliter ictus esset, veluti caedis absolutione securus ad regiam Pausanias properato festinat, raptu scilicet Olympiadis desiderio consulturus. Igitur cum populus adhuc in theatro turbaretur, Pausanias vero, ut diximus raptum moliretur; forte, rebus ex sententia perpetratis, Alexander supervenerat, offenditque turbas, et vim et vulnera Philippi. Quibus, ut res erat, cognitis, auctoremque earum rerum Pausaniam haec designasse, irruens regiam in ipso raptu matris Pausaniae violentiam deprehendit: eumque cum iaculo destinaret, tenereturque formidine matris vulnerandae, Olympias sic adhortatur: iaculare, in-

---

(1) Olympiadem causam praebuisse Philippi neci, narrant etiam Plutarchus *Alex* p 16, et Iustinus IX. 7; non tamen eo nomine quod Pausaniam amaret, sed quia infensa Philippo ob Cleopatrae nuptias Pausaniam alia de causa eidem Philippo iratum ad facinus exstimulaverit.

(2) Isidorus *Etym.* XVIII. 47. ait: *thymelici erant musici scenici qui in organis et lyris et citharis praecinebant. Et dicti thymelici, quod olim in orchestra stantes cantabant super pulpitum, quod thymele vocabatur.* Iam certamina musica eo tempore proposita a Philippo narrat etiam Diodorus XVI. 91.

quit, fili, iaculare ne dubites; habeo enim praesidem Hammonem et protectorem.

18. Enim vero Alexander nullo impetu vinci. Sed cum spirare etiam tunc patrem Philippum conperisset, eundem advehi illorsum iubet, gladiumque quem gerebat ipse conlatum in dexteram patris misit, quo manu eius oppeteret Pausanias, cui poenam quamque pro facto debuerat. Ergo iam moriens Philippus; nihil nunc sane est, inquit, quod me vitae finis aut huiuscemodi mors contristet: ultus enim auctorem iniuriae libens obpetam. Atque ideo illa et nunc ab Hammone dicta reminiscor, quae tunc matri tuae Olympiadi filium fore talem praegnanti dixerant parituram, qui non eius modo assertor esset, sed vindex quoque patris foret futurus. Et eum his dictis moritur. Curatur igitur Philippo regia sepultura, in memoriam eiusdem omni Macedonia et reliqua Graecia conspirante.

19. Ubi igitur iam moti animi hominum illa rerum novitate quietiores visi esse potuerunt, scandit Alexander paternae statuae suggestum, et propter illam assistens in haec. verba concionatur: O Pellae proles et Macedonum et Atheniensium Corinthique progenies ceterarumque Graeciae gentium nomina, en tempus est quisquis Alexandro sese cupiat militare, ut scilicet nunc nomen labori fateatur. In eos quippe militabimus barbaros, qui nos iampridem re, nunc vero spoliare pergunt etiam libertate. Igitur eamus ducere in servitutem [a] Persas. Hi, quibus turpe erat servientibus non subvenire, enim nunc etiam ipsi servimus. Et

(a) Taur. *servitium.*

haec quidem dicta praesentibus edicit. Tamen it eadem illa sententia et per singula oppida civitatesque, ut una cum classibus ii, qui armorum desiderio tenerentur, ad sese confluerent. Igitur ut si incentivum [a] aliquod divina voce intonavisset quo facilius ad eiusmodi opus studia hominum exardescerent, ita votum certamenque erat Macedonibus militandi. Alexander aedibus reseratis, quibus condita patris arma militaria visebantur, his quos inermes viderat dilargitur.

20. Sed enim quisque armiger Philippi aetate provectior, diu [1] militiae laborisque pertaesus, negabat se idoneis conatibus fore, aetate scilicet sua praesentibus refragante. Ad haec Alexander; equidem, inquit, veridicentiae isti testis accedo, nec labores vestros, quos praetenditis, non adstipulor. Enimvero militiae ius eiusmodi res est, uti magisterio callentium ordinata, mox fiducia virium exsequenda [b] sit. Peritiâ quippe veteris usus, rudis manus audacia [2] dirigenda est: quorum alterum vos, alterum iuventus existimatur. Nam ut ille iuventutis fervor ad audaciam promptior, ita inconsultior ad cautionem: ac sic eorum boni coeptus plerumque malos eventus reperiunt. At vero ista maturitas vestra etiam arduis quibusque felices exitus parit et desideratos eventus, quoniam me perito consilio, manum duci, commodat obsecuturum. Par est igitur, inquit, vos meo commilitio numerari: non ut ipsi bellorum urguentiam subire cogamini, sed ut

(a) Taur. *incendium*. (b) Taur. *exaequanda*.

(1) Cod. *de vi* Conferatur autem Iustinus XI. 1.
(2) Nempe *audacia quae est veluti rudis manus*.

iunioribus manibus consilium vos fiatis. Alterum quippe alterius egere quis dubitet? Cum, nisi per prudentiam vestram illorum titubantia sit directa, perfracto praesidio iuventutis, in seniores periculum vadat. Contra autem si recti per vos voto fruantur, vos quoque gloriae parte potiore celebremini. His dictis eos quoque, quos senium iam obsederat, in sententiam suam ducit.

21. Connumeratis igitur et vetere milite et quos ipse recens scripserat [a], congregat Macedonas quinque et decem milia pedites, auxiliaque diversa in octo milibus, equites vero indigenas septingentos et duo milia, levis quoque armaturae Thracas numero octingentos. Unde hoc numero cum veterano milite congregato ·DCLIIII· ad ·LXX· milia militantium erant [1]. Tunc viae sumptum a Philippi thesauris conlatuque studentium rebus suis auri talenta ·LX· cum ·CCCC· quatuorque et decem milibus cogit [2]. Classi ergo elaborata in Macedonia tam longis quam onerariis navibus, transit in

(a) Taur. *recenseri praestat.*

(1) Mirari subit quod ·I· Valerius tam diligenter numerum ineat militum Alexandri, nempe septuaginta mille sexcentorum quinquaginta quatuor. Atqui hic numerus duplo fere maior est quam apud alios veraciores scriptores. In taur. desunt *quinquaginta.*

(2) Nempe quatuordecim milibus quadringentis sexaginta. Est autem insigne figmentum. Plutarchus enim *de fortun. Alex.* (ed. Paris. an. MDCXXIV. T. II. p. 327.) ait Alexandro per id tempus fuisse in aerario talenta ad summum LXX. Curtius (X. 2.) Arrianus (VII. 9.) scribunt eum reperisse in patris arca talenta vix LX., aeris autem alieni D Arrianus addit, Alexandrum ab amicis mutuatum DCCC.

Thraciam, quae sibi patris Philippi virtute quaesita hereditarium studium deberet atque deferret.

22. Unde illic ea gens etiam rebus ad ordinem redactis, quod sibi studiosius obsequeretur, lectissimos quosque et argenti talenta ·cccc· viribus suis cum adiecisset, pergit ad Lycaoniam [a], cui nunc aetas recens nomen Lucaniae [b] dedit [1]. Igitur eius loci magistratibus ad amici-

(a) Taur. *Liguonam*, quasi *Liguriam*. (b) Taur. *Ligunae* vel *Liguriae*.

(1) Alexandrum macedonem vel in Italiam venisse vel omnino negotii aliquid cum Romanis gessisse, mera fabula est. Multa tamen sunt, quae huic rei confingendae ansam praebuerunt. In primis bellum eodem tempore Italiae illatum ab Alexandro Molossorum rege, qui avunculus erat Alexandri magni, frater nempe Olympiadis. Iamvero scriptores aut remoti aetate ab his gestis, aut non satis eruditi, molossum Alexandrum cum macedone commutaverunt. Deinde plura apud veteres etiam auctores vestigia erant, ex quibus non temere suspicari liceret, Romanos quoque ad res Alexandri gestas pertinuisse. Clitarchus quidem aequalis Alexandri, legationem ad hunc Romanorum dicitur a Plinio (III. sect. 9.) narravisse. Memnon historicus apud Photium (cod. CCXXIV. p. 726.) minaces litteras memorat Alexandri ad Romanos quum in Asiam esset traiecturus. Strabo (lib. V. p. 232.) expostulationem Alexandri cum Romanis refert, quod hi iuncti Etruscis piraticam exercerent. Plutarchus (*de fortun. Romanor.* sub finem) imminentem Romanis Alexandrum pingit, nisi morte immatura occupatus fuisset; quam rem innuit etiam Arrianus. VII. 1. Quin et Curtius (X. 1.) deliberatum Alexandro in Italiam iter scribit. Ipse Livius hanc qualemcumque opinionem non ignorasse videtur, praesertim si libro IX. cap. 16 legendum est, ut nonnulli antumant: *quin eum* (Papirum Cursorem) *parem destinarant animis magno Ale-*

tiam communi sacrificio foederatis, transmittit protinus ad Siciliam [a], atque ibi siqua forte ab obsequio refragarentur oppida recepit. Exinque Italia transiens legatio-

(a) Taur. *Massiliam.*

xandro ducem, si arma, Asia perdomita, in Europam vertisset: eamque lectionem confirmare videtur codex Livii ambrosianus (D. 542. part inf.) in quo legitur *destinatum.* Sed enim vera lectio credenda est *destinant* (cui favent et tres alii Livii codices ambrosiani) ita ut referatur ad posterorum iudicium. Alioqui sibi turpiter contradiceret Livius, qui mox cap. 18. ait, arbitrari se Alexandrum ne fama quidem Romanis notum fuisse (quam ob rem oblivionis arguitur Livius a Mureto lib. XV. *Var.* cap. 14, et a Bay'io in Lexico voc. *Macedoine*). Ceterum ut Livius sapienter fecit, qui hanc rem eatenus attigit, quatenus quaereret, quinam eventus romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit; ita temere admodum dixit, Alexandrum ne fama quidem Romanis innotuisse videri. Asiae enim universae domitor, Alexandriae conditor, Alexandri etiam molossi (qui tunc in Italia bellavit pacemque cum Romanis fecit teste ipso Livio VIII. 17) ex sorore nepos, quo pacto Romanis ignotus prorsus fuisset? Livii opinionem exscribunt Orosius Hist. III. 15, et Lydus de mag. rom. I. 38.

Hactenus ea dixi, quae occasionem fabulae de Alexandri cum Romanis congressu dederunt: quam quidem fabulam, praeter Iulium Valerium, persuasisse sibi videtur Malela (*Chronogr.* p. 246.). Praeterea eamdem narrant Pseudo-Callisthenes, codex graecus et codex latinus ambrosianus, et denique aegyptius historicus Makrisius (cap. *de differentia inter Alexandrum et Dulkarnaimum*), cuius arabicum scriptum et in regiis parisiacis codicibus recenset Sancticrucius (p. 182. n 3.) et in ambrosiana bibliotheca cum aliis Arabum copiis servatur (part. inf. C. 87. cuius vide p. 143).

ne pariter et honore potitur Romanorum. Per Aemilium [1] quippe tunc consulem [2] corona ei auri pondo ·C· insignita etiam margaritis honoraria [3] datur ad argumentum amicitiae perpetuo post futurae: idque Alexandro magnae gloriae fuit, amicitiamque amplectitur, et verbis liberalibus Aemilium honoratum remittit. Addunt tamen Romani et militum ·II· milia et argenti talenta ·CCCC· eoque amplius fore daturos sese respondent, nisi bellum adversus Carthaginienses intentissimum ageretur [4]. Indidem Tyrrheno transmisso cum Africam quoque appulisset Alexander, eius gentis illi [a] magistratus obviantes precari sunt ausi [b] ut a se vis [c] romani exercitus amoliretur. Sed haec dicta non

---

(a) Cod. *sibi*. (b) Cod. *precario sunt usi*. (c) Ita cod. *vis*, habet enim significationem quoque passivam τὸ *amolior*.

---

(1) Dionysius Halicarnasseus Antiq. rom. suppl. (ed. rom. an. 1827. cap. 49.) ait, Q. Aemilium consularem ivisse legatum ad Pyrrhum cum Fabricio et P. Cornelio. Id mihi suspicionem ingerit, bellum Pyrrhi adversus Romanos commutari ab Aesopo cum ficta Alexandri in Italiam expeditione.

(2) ·T· Aemilius consul occurrit anno Urbis conditae CCCCXV. At Alexander regnare coepit tribus annis post. L. Aemilius consul fuit anno Urbis CCCCXXV; tunc vero Alexander Persido domita Hyrcaniam et Bactrianos bello vastabat. Consul Aemilius intermedius videtur nullus fuisse. Reapse autem veritatem in fabula curiosius quaerere, stultum est.

(3) Huius coronae meminit etiam Memnon apud Photium cod. CCXXIV. p. 726.

(4) Bellum punicum primum anno Urbis CCCCXC. susceptum est. Alexander magnus ante annos LX. vitam cum morte commutaverat.

modo ad favorem regis animum non convertunt, verum ignaviae increpitos tali responsione dimittit: quod boni Carthago consuleret, si aut melior hostibus foret, aut potioribus praecepta penderet [1].

23. Hinc igitur pergens paucis admodum comitatus omnem Libyam peragrat, itaque ad Hammona, qui locus deserto Aegypti celebratur, ipse contendit. Enim vero exercitus multitudinem navibus superpositam Pharum destinat. Ipse ergo Hammona veneratus, operatisque largioribus sacrificiis, praesidium sibi operis et coeptorum veluti a Deo patre deposcit: quippe eius fabulae tenax, quod huiusce Dei cum matre per somnium fuerit coniugatio. His denique verbis Deum convenit: o pater Hammon, inquit, siquid materni seminis est verum, eaque mater conceptus nostri ex te principium est sortita, quaeso uti istud astipulare [a] praesenti mihi ut filio praestes. Igitur doctus evidentibus monitis, non absque numen illud [2] curam esse sui, et templum Deo operosius et augustius fabricatur, et ad prodendam militibus confidentiam, PATRI HAMMONI id fecisse inscriptione testatur [3]. Tunc responsum etiam quaesitum a Deo, et quô sibi monimentum

(a) Ita cod. *astipulare*.

(1) Carthagini Alexandrum infensum ait etiam Curtius X. 1. Hanc tamen sententiam non de Carthaginiensibus sed de Romanis prolatam ab Alexandro scribit Memnon loco nuper citato.

(2) Ita evidenter codex. Hoc autem syntaxeos genus eruditorum ingeniis indicandum permittimus.

(3) Inscriptio est in codice graeco ambr. ΠΑΤΡΙ ΘΕΩΙ ΑΜΜΩΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ.

imperii sui aliquod instaurare fas esset? Animo quippe conceperat urbis quam maximae conditum. Ergo per somnium sic eiusdem Dei alloquio fruitur.

Haec tibi, rex, Phoebes [1] lunatis cornibus [2] edo.
Nomen si pergas aevo celebrare perenni,
Urbs tibi condenda est qua stat Proteia tellus,
Praesidet et Numen cui Dite potentius ipso [3],
Vertice quinqueiugo rerum secreta gubernans.

Ad haec doctus Alexander tali responso, omni dili-

---

(1) Cod. *Phoebo* vel *Phoeba*. Malui *Phoebes*. Ceteroquin Hammonem apud Aegyptios fuisse symbolum solis, tot argumentis tantaque veterum auctoritate confirmat Iablonskius (*Pantheon aegypt.* lib. II. cap. 2. ff. 5–9.) ut verbum addere supervacaneum sit. Addo tamen, id confirmari etiam nummis quibus impressus est Hammon cum globo capiti imminente. Vide Eckhelium *doctr. num. vet.* T. IV. p. 34. Nunc id innumerae Aegyptiorum picturae demonstrant.

(2) Locum declarare videtur mihi Eusebius *Praep. ev.* III. 12. Κατὰ τὴν Ἐλεφαντίνην πόλιν τετίμηται ἄγαλμα, πεπλασμένον μὲν, ἀλλ' ἀνδρείκελον καὶ καθήμενον, κεφαλὴν κριοῦ κεκτημένον, καὶ βασίλειον, κέρατα τράγεια ἔχον, οἷς ἔπεστι κύκλος δισκοειδής. Δηλοῖ δὲ ἀπὸ μὲν τοῦ κριοῦ πρόσωπον ἔχειν καὶ αἰγὸς κέρατα, τὴν ἐν κριῷ σύνοδον ἡλίου καὶ σελήνης: *apud Elephantinopolim* (urbem Aegypti) *quoddam simulacrum* (Dei cuiusdam anonymi) *venerantur, quod sedens ipso quidem corporis trunco virilem prae se fert speciem, arietis vero caput habet, in eoque proprium ac primarium insigne, hirci cornua, quibus circulus disci figura sustinetur. Et arietina quidem facies, caprinaque cornua, sollemnem in arietis signo solis ac lunae congressionem repraesentant.*

(3) Nimirum Serapis, quem ab Aegyptiis habitum pro sole infero seu Plutone, satis compertum est. Vide certe Aristidem *orat. in Serapidem*, et Tacitum *Hist.* IV. 84. Reliqua huius oraculi lucide explicantur deinceps.

gentia rimabatur quam Proteiam insulam Deus vellet, quidve illi numinis praesideret. Quae etiam tunc animo volutans [a], peractis rite sacrificiis indidem proficiscitur. Multo denique itineris exanclato, apud vicum Astrata fessum commilitium refecit [1]. Ibi autem rex cum forte in agro, ut assolet, spatiaretur, cervam intuitus pascuis occupatam, unum ex his qui destinandis sagittis sollertior habebatur, iaculari bestiam iubet. Qui cum non ex opinione praeiudicata fecisset, leviusque ictum animal evasisset, exclamasse Alexander fertur graeco scilicet verbo, quod remissior arcus et intentio sagittam inbecillius exegisset, παρὰ τόνον istud factum [b] videri. Ex eoque dieto [c] Paratonium etiam post frequentatae urbi nomen ibidem datum [2].

24. Hinc porro ad locum, qui vulgo Taposiris diceretur, appulit. Inquirens autem [3] nominis causam,

---

(a) Cod. *voluntas*. (b) Cod. *fatum*. (c) Cod. *dictum*.

---

(1) Conditum in Hammonia Paraetonium ab Alexandro dicit Eusebius in chronicis tabulis ad olympiadem CXIII. Iam in Hammonia ponit *Castra Alexandri* Ptolemaeus *Geogr.* IV. 5. ἐν τῇ Ἀμμωνιακῇ ἡ Ἀλεξάνδρου παρεμβολή. At Curtius IV. 7, apud quem Alexander e Syria ingreditur in Aegyptum, de *Castris Alexandri* in Aegypto post Gazam loquitur.

(2) Noster quidem Auctor originem nominis Paraetonii parum credibilem narrat: sed enim haud levius peccatur in Eusebiano chronico cum dicitur Alexander post Hyrcanos et Mardos captos reversus, in Hammone (seu Hammonia) Paraetonium (seu Paratonium) condidisse.

(3) Cod. *tamen*. Particulam scilicet graecam δὲ non *autem* sed *tamen* saepe Iulius Valerius explicat, quod vix probaverim.

accipit ab indigenis sepulchrum Osiridos illic esse, quod a veteri compositione corruptum Taposiridus dictus esset. Operatus igitur illicce Deo, ad id loci transit, quem extensum quidem magni et uberis aequoris pulchritudine miratur, frequentem autem [a] commanentium conventiculis. Sedecim quippe et [b] iustar urbium vicis decoriter admodum distinctis atque dispositis consistit, quorum magnitudini honor et cura deferebatur. His sedecim desessilibus [c] flumina quoque duodecim intererrabant, pariter omnia vergentia iuxtim in mare, sicuti nunc etiam ad memoriam veteris insulcationis datur visere. Quippe quamvis congestu postea sint ad aequoris uniti faciem exaequata, quisquis tamen ille ductus fluminis fuit, is nunc plateis apud Alexandriam tractus est: sed duo tantum ingressus fluminum reservati: ceteri nomina partibus oppidi praestiterunt. Igitur [d] omne spatium eo loco, cui Interdidium vetus nomen est, usque ad Hermopolim urbis eius ambitu [e] occupatum est. Sed enim nomen hoc longe secus ac se veritas habet in usu appellationis resedit, Hormoenimpolis, non Hermopolis, dicta est, quod portuosius illic alveus Nili, latiusque in latera descendens, fidam stationem [f] navibus per sese labentibus faceret.

25. Hanc igitur urbem nominis sui appellatione dignatus in omnem, quantum visi datur, magnificen-

---

(a) Cod. *tamen*. (b) Ita cod. *et*. (c) Ita cod. Haud scio an scribendum sit *his sedecim sessilibus* aut *sessibulis*. (d) Cod. *igiter*. (e) Cod. *ambitum*. (f) Cod. *aestimationem*.

tiam laboravit [1]: quamvis Cleomenes [2] Ecnaucratus [3] et Dinocrates rhodius [4] in eam sententiam non accederent, ut tantam illam urbem, quanta nunc est, niti deberet: quod neque repleri aedificiorum spatia et tecta [a] turbis competentibus opinarentur, nec repleta ali facile potuissent. Ex quo fore arbitrabantur bella fre-

(*a*) Cod. *et ita*.

(1) Ante ·I· Valerium editum nemo Alexandriam copiosius describebat quam Strabo XVII. p. 791 et seqq. quem conferre cum hoc nostro Auctore pretium operae erit. Immo quoniam cap. 27. scriptor hic sive Aesopus sive Valerius se prodit alexandrinum, hac quidem in re non spernendam sibi vindicat auctoritatem

(2) In architectis Alexandriae *Cleomenem* numerant etiam Iustinus XIII. 4. et codex graecus ambr. At Arrianus III. 5. *Cleomenem* praepositum Arabiae ab Alexandro dicit, Curtius autem IV. 8. Africae et Aegypti vectigalibus, scilicet postquam Alexandriam aedificaverat, ut ait Iustinus loco citato.

(3) Cod. habet *Cleomenes ac Neucratus*, et cap. 26. *Cleomene de Neucrato*. Arrianus III. 5. dicit Κλεομένην τὸν Ἐκναυκράτιον, ita ut sit unus idemque vir. Iamvero si ad primum ·I· Valerii locum respicias, facile putes errore librarii factum *ac Neucratus* pro *Ecneucratus*; si ad secundum, non immerito suspiceris ipsum ·I· Valerium vocabulum Aesopi Ἐκναυκράτιον interpretatum esse *de Neucrato*. Quae utcumque res se habuit, locum ego ad Arrianum èxegi, quamquam nec Arrianus varietate lectionis caret.

(4) *Dinocratis* architecti meminerunt Ammianus XXII. 16, Vitruvius praef. lib. II, Solinus XXXII, Valerius Max. I. 4, aliique. Corruptum videtur nomen *Dinochares* apud Plinium V. sect. 11. et XXXIV. sect. 42, et apud Ausonium *Mosell*. v. 312. Codex item graecus ambr. prave habet Ἱπποκράτης. Quin et alias corruptiones *Dinechares* et Χειρομοκράτης et Δημοκράτης emendat Salmasius *Exerc. plin*. p. 357. b. G.

quentia vel necessitate quaerendae alimoniae ab ipsis incolentibus iucunda, seu opulentia praevalerent seu viribus deficerent, dum aut impeterent aliquid aut peterentur. Quippe moderatum urbium statum et consiliis facilius cedere, et ad sustentationem sui promptius occursare: amicum siquidem multitudini, nec facilis sui apud omnes singula dinoscentia [1], atque etiam difficilis et conspiratio [2]. Quamquam igitur longe auctius rex metitus locorum amplitudinem foret, tamen ad sententiam persuadentium ire aliquanto contractius sivit ambitus lineam. Quare facesserat [a] magnificentiae animo contemptae [b]. Longitudinem quidem urbi procurat ab eo loco cui Draco nomen est (est autem pars supradicti Taposiris [3]) usque ad locum cui Agathudaemonos appellatio manet. Latitudini vero indulget [c] a Canopo usque ad locum qui Eurylochi vel Melanchium dicitur. Iubet igitur omnes quique per ambitum usque ad lapidem tricesimum coluissent, universos eodem commigrare, locumque omnem unde ad oppidum convenissent, suae editioni [d]

(a) Cod. *facesserari*, tum factum eàdem manu *facesserat*. Mihi scribendum videbatur: *quare facessendum ratus a magnificentia animo contenta* (vel *concepta*), *longitudinem quidem* etc. (b) Nempe *contentae*. Codex habet *contemptat*. (c) Cod. *indalgent*. (d) Ita cod. haud scio an pro *aedificationi*.

(1) Nempe: *nec dignoscentia singula sui facilis apud omnes, quare et fit difficilis conspiratio*. Et nota vocabulum *dinoscentia*.

(2) Civitatem modico potius quam grandi civium numero constare debere, sententia fuit Platonis atque Aristotelis, ut dixi in adn. ad Cic. de rep. lib. II. 30.

(3) Cod. *Taporis*. Sed recole cap. 24.

servire. Et haec quidem super spatio urbis eius accepimus.

26. Adhibitis autem [a] rex architectoribus [1], qui ex arte nobiles et celebratiores habebantur, ut Cleomene Ecnaucrato [b], et Olynthio, et Eratheo, Herone etiam libe [c] qui cum fratre Eponymo erat, accepit omne [d] magnificentiae huiusce monimentum in eo posse tuto consistere, si antea quam fundamenta urbi iacerentur, subductiones aquae purgamentisque relinquendas [e] procuraret: quibus iugiter ablutis dirivatisque atque in mare perpetuo dilabentibus, neque aedificiis perniciem aliquam remansuram, et ab hisce, quae intervenire corrumpendo aëri soleant, purgatius oppidum fore. Elaboratis igitur his cloacis, quibus haud facile capaciores ulla [f] urbs habeat [2], omnis post id operum imposita molitio. Quare cum hae urbes, quae in omni orbe terreno maxime celebrantur, in haec spatia numeratae sint; Syriaeque sit civitas vel amplissima Antiochia extenta stadiis octo, pedibus septuaginta duobus; Carthago vero, quae principatum Africae tenet, stadiis decem porrecta videatur, stadiique parte quarta; Babylon porro stadiis duodecim longa sit, et pedibus ·CC· atque ·XX; ipsa quoque domina omnium gentium Roma [3]

(*a*) Cod. *tamen.* (*b*) Cod. *de Neucrato.* (*c*) Cod. *Libii.* (*d*) Cod. *omnem.* (*e*) Cod. *reliquias.* (*f*) Cod. *captiores illa.*

(1) Nota vocabulum *architector*, quod apud Plautum *Mostell.* III. 2. 73. legebat Turnebus.

(2) *Alexandria* (inquit Hirtius *de bell. Alex.* cap. V.) *est fere tota suffossa, specusque habet ad Nilum pertinentes, quibus aqua in privatas domos inducitur.*

(3) Hinc coniiciendum videtur, scriptum hoc (saltem graece) exaratum esse ante divisionem imperii, conditamque

quatuordecim stadiis et pedibus ·C· atque ·XX· longa primitus fuerit, nondum adiectis his partibus, quae multum congeminasse maiestatis eius magnificentiam visuntur; Alexandriam mensi sunt sedecim quidem stadiis, pedibus vero ·CCC· atque ·LXXV· [1].

Constantinopolim. Namque Iulianus *or. I. in Constantium* p. 8. dicit Constantinopolim maximam omnium urbem post Romam: quare et illius mentio, si ea extitisset, facta esset ab historico,

(1) In harum urbium describendis mensuris nihil aliud profecto denotat ·I· Valerius, quam earum diametrum. Proderit autem et ex aliis auctoribus mensuras urbis Alexandriae huic loco subiungere. Ait igitur Strabo XVII. p. 793. Ἔστι χλαμυδοειδὲς τὸ σχῆμα τοῦ ἐδάφους τῆς πόλεως· οὗ τὰ μὲν ἐπὶ μήκους πλευρά ἐστι τὰ ἀμφίκλυστα, ὅσον τριάκοντα σταδίων ἔχοντα διάμετρον· τὰ δὲ ἐπὶ πλάτος οἱ ἰσθμοί, ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ σταδίων ἑκάτερος, σφιγγόμενος τῇ μὲν ὑπὸ θαλάττης, τῇ δ᾽ ὑπὸ τῆς λίμνης: *urbis solum chlamydis figuram habet, cuius latera, quae in longum tendunt, aqua circum alluuntur, XXX. fere stadiorum habentia diametrum: latera vero, quae in latum sunt, isthmis stringuntur septem octove stadiorum, hinc mari illinc lacu allutorum.* Iosephus *de bell. iud.* II. 16. Μῆκος αὐτῆς τριάκοντα σταδίων, εὖρος δὲ οὐκ ἔλαττον δέκα: *triginta stadiis in longitudinem patet, in latitudinem vero non minus decem.* Philo *in Flaccum* (ed. Mangey. T. II. p. 530.) Τὸ μεταξὺ τῶν λιμένων καὶ τῆς ἐν τοῖς βασιλείοις ὁπλοθήκης, δέκα σταδίων τὸ διάστημα σύμπαν ἔχον: *inter duos portus et regium armamentarium fere decem stadiorum spatium intercedit.* Diodorus XVII. 52. Ἔχει πλατεῖαν, μέσην σχεδὸν τὴν πόλιν τέμνουσαν, ἀπὸ πύλης ἐπὶ πύλην διήκουσα, τεσσαράκοντα μὲν σταδίων ἔχει τὸ μῆκος: *mediam fere* (Alexandriam) *platea secat, magnitudine et elegantia admirabilis: longitudo eius, qua a porta ad portam excurrit, quadraginta stadiorum.* Hi tamen auctores Alexandriam, uti se habebat sub Caesaribus primis describunt. Iam ipsum ambitum antiquae urbis narrat Plinius V. sect. 11. *Metatus est eam Di-*

27. Occupato igitur omni solo, quod praedictis alveis atque vicis olim consitum mox urbs una contexuit, videt insulam eminus perbrevem rex, cui nomen Pharus esse cum diceretur, coluisse vero Pharum istam Protea [1]; conlapsum etiam ibidem cerneret Proteos sepulchrum; id quidem protinus et reformari ad faciem novitatis et coli religiosius mandat: exinque civitas Pharos est: eiusque mos ad nos usque prolapsus Sacrum inter nostros [2] Heroos dicitur. Additur tamen ad fabulam [3] metatae primum discretaeque urbis huiusce, quod cum

---

nochares architectus XV. *milibus passuum laxitate insessa, ad effigiem macedonicae chlamydis orbe gyrato laciniosam, dextra laevaque anguloso procursu: iam tum tamen quinta situs parte regiae dicata.* Curtius item IV. 8. *Elegit* (Alexander) *urbi locum, ubi nunc est Alexandria, appellationem trahens ex nomine auctoris. Complexus quicquid loci est inter paludem et mare, octoginta stadiorum muris ambitum destinat.* Et Alexandria quidem olim romana urbe amplior, mox infra hanc decrevit, ut ipse ·I· Valerius innuit, ita tamen ut proximum illi locum tenuerit, teste Iosepho *de bell. iud.* lib. IV. in fine. Quare et *Romae* appellationem in nummis interdum sortita videtur. Consule Zoëgam *num. aegypt.* p. 1-2, et in addendis p. 395.

(1) Consonant Homerus *Odyss.* IV. 355. et seqq., Virgilius *Aeneid.* XI. 262, Lucanus X. 509, Philostratus *vit. Apollon.* III. 24, Ammianus XXII. 16. De Proteo Aegypti rege legendus Herodotus II. 112-121. qui et eumdem fano memphitico honoratum narrat.

(2) Hinc colligas, vel Aesopum vel ·I· Valerium fuisse alexandrinum.

(3) Nempe *ad narrationem.* Iulius enim Valerius fabulosus saepe scriptor inique diceret *fabulam* id quod graves auctores narrant Strabo, Arrianus, Valerius Max., Plutarchus, Ammianus, Auctor Itinerarii.

lineae ductae ab architectis forent, quibus spatium et descriptio metatae urbis notaretur, subiecta sit lineae farina pro pulvere. Sed ubi id factum fuerit, mox congreges multi numeri et generis aves eodem advolavisse, raptimque omnem illam de farina lineam obligurisse. Id ergo portenti turbulentius Alexandrum formidantem consuluisse protinus peritissimos coniectorum, eorumque sententia rescivisse [a], civitatem hanc non suis modo, verum peregrinis etiam populis, ad alimoniam uberrimam fore. Ut enim in illo avium numero non solum indigenae, verum advenae etiam atque undique versus adlapsae, iacto polline avide pastae sint; ita hominibus quoque et incolentibus et appellentibus urbem hanc fructuosissimam fore [1].

28. Aedificandi autem [b] Alexandriam constat principium ex meditullio esse factum [2], idque etiam nunc nomen in ea urbe retineri, quod Mesopontion [c] vocetur. Coeptis autem molitionibus surgere visitur draco [3]

(a) Cod. *rescivit*, mox eädem manu addita alia lectio *consipivit*. (b) Cod. *tamen*. (c) Cod. *Mesopondio*. Additur autem recentiore manu in margine Μεσοποντίον.

---

(1) Hinc ab Hirtio *de bell. alex.* cap. III. dicitur Alexandria *urbs fertilissima et copiosissima*. Confer et Strabonem XVII. p. 793.

(2) Curtius IV. 8. *Alexander ab Hammone rediens, ut a mari ad Mareotim paludem, haud procul insula Pharo sitam, venit, contemplatus loci naturam, primum in ipsa insula statuerat urbem novam condere. Inde, ut adparuit, magnae sedis insulam haud capacem, elegit urbi locum ubi nunc est Alexandria.*

(3) Simile prodigium anguis erumpentis e substructionibus narrat Livius I. 56.

quidam terribilis magnitudine ac maiestate, qui plerumque opifices incursabat, eiusque nonnihilum impediri operâ videbantur non minus metu visentium quam religione. Quod cum in aures Alexandri perventum foret, iubet [a] insequenti sub die, sicubi forte sacra illa belua videretur, omnes nndique confluentes necem draconi moliri: idque naviter factum, oppressusque eo loci est draco nbi nnnc Stoam [b] vocant: et sepulchrum tamen draconi consurgit opere admodum laborato [1], et iuxtim Alexander iubet coronarias quoque opificinas adiacere: ut quod haec bestia famulitium quoddam templis praestare videbatur Daemon melior [2] appellaretur, ipse quoque divina quadam religione coleretur. Quae cum multa sint Alexandriae [c] et alia vel miranda, mons quoque propter illic visitur ex congestu, quem incuriosi vetustatis naturalem etiam opinantur. Sed ea moles egestis undique terra atqne ruderibus, quibus fundamenta sint moenibus exhausta [d] vacuataque, eoque collatis ac superfusis, huiusmodi erecti et ardui montis magnitudinem sumpsit.

29. Omnem autem [e] moenium varietatem distinxit

(a) Cod. *Iubet.* (b) Cod. *Scoam.* (c) Cod. *Alexandria.* (d) Cod. *exausta.* (e) Cod. *tamen.*

(1) Sepulchrum Agathudaemonos (uti mox appellatur hic draco) memorat Abd-Allatifus in *Aegypti descriptione* edita a summo viro Silvestro Sacio p. 177.

(2) Scilicet *Agathodaemon*, de quo copiose dispntat Iablonskius *Panth.* I. 4. Serpens Agathodaemon et appellatur ab Eusebio *Praep. ev.* I. 10, et in multis visitur nummis Alexandrinis, et passim in pictis papyris aegyptiacis. Ptolemaeo *Geogr.* IV. 5. *Agathodaemon* est alveus Nili, occidentale latus τοῦ Delta definiens.

nominibus et secrevit sub appellatione graecorum elementorum [a] primarumque quinque litterarum [1], non utique quod hoc regi sit tantummodo libitum, verum uti ex hisce litteris sui nominis perpetuitas in urbis partibus celebraretur: significante scilicet prima littera nomen Alexandri, secunda vero regis ex greco, tertia porro generis, quarta etiam Iovis, quinta sese fecisse [2]. Sic enim siqnis hasce quinque orationis partes usurpaverit graecâ linguâ, inveniet his nominibus ac verbis pronas [3] has litteras fuisse praepositas, quod [b] Alexander rex genus Iovis fecisset. Sepulchro autem [c] draconis illius iam perfecto, cum trabes quaedam qua ad gressum [d] eius columnas impresserat, casu repentino corruisset dissiluissetque [e], angues conplusculi indidem emersisse sunt visi [4], hique reptabundi prout cuique ad lubentiam impetus fuit, constructarum domuum penitralia [f] invasere. Quod cum ipsum quoque terribile admodum videretur, non cunctanter arioli pronunciavere, hos quoque daemonas et praesules locorum esse, domibusque singulis colendos pro Diis penatibus

(a) Cod. *elimentorum.* (b) Cod. *quod et.* (c) Cod. *tamen.* (d) Cod. *adgressum.* (e) Cod. *dissiluissentque.* (f) Ita cod.

(1) Confirmat Philo *in Flaccum* (ed. Mangey. T. II. p. 525.) *Πέντε μοῖραι τῆς πόλεώς εἰσιν, ἐπώνυμοι τῶν πρώτων στοιχείων τῆς ἐγγραμμάτου φωνῆς: quinque sunt urbis* (Alexandriae) *regiones, nomen sortitae a prioribus scriptae vocis litteris.*

(2) Ἀλέξανδρος βασιλεὺς γένος Διὸς ἐποίησεν.

(3) Id exprimitur recentiore manu in margine sic ▶ ⊐ ⅂ ▷ Ш.

(4) Sic et Theodoretus *Hist. eccl.* V. 22. e Serapidis signo amputato narrat agmen murium erupisse.

tradi oportere [1]. Eiusque mos vivit et adhuc Alexandriae religiosus est sub penatium Deorum honore, et aestatis diebus suetus coli more religionis eiusmodi. Polentam ex tritico quod sit esui anguibus iaciunt, et coronatis optimatium mos est templum Herois [2] scandere, cui talia scilicet anguina [3] obsequio famulentur. Quod autem oraculum regi somnio dato quinqueverticem [a] fore urbem somnio pronunciavisset [4], advertens diligentius, invenit eius unius loci esse eminentias quinque, quibus in cetero aequore extuberascentibus decus urbis est maximum, constructâ arâ quam maximâ in eo colli, qui adversim [b] Heroos locum visitur erigi.

30. In ea igitur ara Deo summo rerum praesidi opulentioribus sacris et religiosius operabatur cum prece tali:

Quisquis tu Deûm rex es, qui praestare diceris
Huic terrae, mundumque istum interminem [c] regis,

(a) Cod. *quinquevertice*. (b) Cod. *adversi*. (c) Cod. *intermine*.

(1) Serpentium allapsus boni ominis visos esse veteribus satis constat ex Homero *Iliad.* II. 308. et seqq., Virgilio *Aeneid.* V. 84. et seqq. Heliogabalum imp. habuisse Romae aegyptiacos dracunculos, quos Aegyptii *Agathodaemonas* vocabant, narrat Lampridius in illius vita cap. XXVIII. Plutarchus autem in *Amatorio* (T. II. p. 755.) duos Aegyptios litigantes repraesentat, quod quum serpens arrepsisset, quem *Agathodaemonem* appellabant, eum uterque sibi vindicaret. Serpentes sacros apud Thebas aegyptias religione quadam observatos, eosdemque plane hominibus innoxios, tradit Herodotus II. 74.

(2) De *Heroibus* omnino legendus Suidas voc. οὐκ εἰμι, cum eius adnotationibus.

(3) Nota *anguen* genere neutro.

(4) Recole cap. 23.

Recipias quaeso sacrum hoc, litantique mihi
Auxilio fias rebus pacis et bellicis.

Et his dictis exta flammis ex more inferebat. Enimvero involans invisitatae [a] magnitudinis aquila exta quidem e manibus Alexandri praeripit, transverso volatu quam tranquillissimo aëris intersitum spatium (*secans*) et alteri cuidam arae procul exta quae praeripuerat superponit. Quem depositi locum cum quidam e speculatoribus regi nunciasset, properato eodem venit, agnitisque extis quae sacra ales advexerat, videt templum illic [1] vetus magnitudinis religiosae, quodque aevi longinquitas superasset ac diruisset, simulachrumque intrinsecus sedens ex materia figuratum, quam dinoscere homini virium non est [2]. Sed propter sedentarium [3] Deum adstiterat puellaris effigies spectabili ma-

(*a*) Ita cod.

(1) Videretur hoc sacellum illud Serapidis atque Isidis, quod Tacitus *Hist.* IV. 84. ait extitisse ante Ptolemaeorum aetatem in loco, cui nomen *Rhacotis*; nisi infra diceretur Iovis atque Iunonis.

(2) Convenit admodum haec descriptio Serapidis signo. Loquitur autem Auctor plane ex veterum idololatrarum doctrina. Namque horum alii, teste Clemente Alex. *Protrept.* ed. Oxon. T. I. p. 42-43. id signum humanis manibus factum esse negabant. Alii ex auro, argento, aere, ferro, plumbo, stanno et omni genere lapidum, etiam pretiosorum, concretum dicebant a quodam artifice Bryaxe iussu Sesostridis, a quo post victorias maximas Numen illud dedicatum sit. Sane et Rufinus *Hist. eccl.* XI. 23. ait vulgo creditum simulachrum ex omnibus generibus metallorum lignorumque compositum. Theodoretus tamen *Hist. eccl.* V. 22. ligneum dicit.

(3) Confer Plutarchum *de Os. et Isid.* Sic est Serapis in statuis et papyris.

gnitudine et [a] pulchritudine veneranda [1]. Cumque eius religionis Numina percunctaretur, sese quidem accolae certim [b] scire renuebant [c]; accepisse tamen traditu veteri, Iovis ac Iunonis [2] templum illud fuisse. In eo obeliscos quoque duos videt proceritudinis erectissimae, qui adhuc Alexandriae perseverant in Serapis templo [3] circum septa extrinsecus assistentes eius templi, quod aetas iunior laboravit [4]. Sed haec saxa (quos [d] diximus obeliscos, quod ad veru ferreum saxi [e] sublimitas quadret) insignita sunt et inscripta aegyptiis ac sacris litteris. Eorum causam et originem

---

(*a*) Cod. pro *et* habet *eo*. (*b*) Ita cod. *certim*. (*c*) Ita cod. (*d*) *Saxarios*. (e) Cod. *ferreo saxis*.

---

(1) Intellige Isidem. Sane Macrobius *Saturn.* I. 20. post aegyptium Serapidem descriptum ait: *Isis iuncta religione celebratur.*

(2) Cod. *Iovis Acui*. Sed emendationem suppeditat codex graecus ambr. in quo legitur Διός καὶ Ἱεράς (lege Ἥρας) ἱερόν. Iamvero etiam numen Iunonis adoratum ab Aegyptiis testantur Diodorus I. 13, Horapollo *Hieroglyph.* I. 11, et Porphyrius *de Abstin.* II. 55. Quin diserte templum Iovis et Iunonis antiquissimum in Aegypto tradunt Diodorus I. 15, et Euseb. *Praep. ev.* II. 1. Legesis denique cl. Champollionium *Precis* p. 99.

(3) Hinc eruas, scriptam hanc historiam certe ante Christi annum CCCLXXXIX, quo tempore iubente Theodosio Serapeum deletum a Theophilo patriarcha alexandrino fuit. Incolume Serapeum celebrat Ammianus XXII. 16; deletum luget Eunapius in *Aedesio*.

(4) Sic distinguit et Pausanias *Attic.* XVIII. Αἰγυπτίοις ἱερὰ Σαράπιδος, ἐπιφανέστατον μέν ἐστιν Ἀλεξανδρεῦσιν, ἀρχαιότατον δὲ ἐν Μέμφει *templorum Serapidis apud Aegyptios omnium clarissimum habent Alexandrini, antiquissimum Memphitici.*

cum requisisset, Sesonchosim [1] regem eorum auctorem esse dicebant, qui potitus universitatis ad sui monimentum esse voluisset, quos Diis religiosius consecraverat. Lectae denique per interpretem litterae continere sunt proditae huiusmodi gratiam:

Rex Aegypti Sesonchosis orbis potens [2]
Praesuli mundi totius Deo Serapi [3] consecrat [4].

31. Adit ergo Alexander prece maxima deposcit-

---

(1) Intellige Sesostrim. Iam hoc nomen miris modis varians videsis apud Zoëgam *de orig. et usu obelisc.* pp. 16. 600. 642. Vide et interpretes Diodori I. 53. Sed plane consentit cum ·I· Valerio Iustinus martyr, apud quem *Cohort. ad Graec.* cap. IX. diserte legitur Σεσόγχωσις; nec non apud Scholiasten ad Apollon. rhod. IV. 272.

(2) Res maximas a Sesonchosi (seu Sesostride) gestas legesis apud Diodorum I. 53. et seqq. Porro huiusmodi titulos laudationesque passim crepant papyri aegyptiacae.

(3) Serapim summum rerum dominum copiose praedicat Aristides *orat. in eundem.*

(4) Igitur duos hos obeliscos Sesostris ipse dedicaverat. Sane obeliscos eius opera erectos commemorant Plinius XXXVI. sect. 14, et Diodorus I. 57. Hinc etiam cognoscas, de Iulii quidem Valerii sive Aesopi sententia Serapidem cultum in Aegypto ipsis Sesonchosis (seu Sesostridos) temporibus, scilicet omnino ante Troiae excidium, nedum ante Alexandrum. Idque notatu dignum est propter controversiam veterum novorumque Eruditorum satis celebrem disputantium num Aegyptiis ante Ptolemaeos nota fuerit ea religio nec ne. Vide et Tacitum *Hist.* IV. 84. et 33, atque Augustinum de civ. D. XVIII. 5. Ex iis autem qui de antiquitate Serapidis aegyptiaci, longe supra Ptolemaeorum aetatem, scripserunt, neminem legi doctiorem auctore gallicae dissertationis de Deo Serapide, cuius viri cognomentum in lexico Anonymorum T. I. n. 1414. dicitur Galliotus.

que, uti si ista rata esset fama quae scripta sit, sese Numen illud mundi totius dominum recognosceret, et eidem evidentius intimaret. Ergo quietis proximo tempore [1] idem [a] Deus confessus se regi magnitudine [2] pariter ac maiestate sic ait: "Nonne, inquit memineras, Alexander, sacrificantem te cum primum exta sacris inveheres, totius mundi orbisve domino sacravisse, eiusque auxilia petivisse? Quae cùm dicata mihi merito quoque sint in meam aram [b] transvecta, quid dubitationi relictum erat, quin cum me crederes, quem auxiliatorem tibi religionibus captasses [c],,? Ad haec Alexandro de urbis [d] perpetuitate quaerenti, et an nominis sui inhaesura appellatio videretur, visus est Deus manu sese apprehendisse, exinque ad editum celsumque admodum montem una duxisse, atque ibidem consistenti: "potesne, ait, o fortissime molem hanc montis in diversa trasducere,,? Negitante Alexandro, addidisse: "haec ergo similitudo est eius scilicet difficultatis, quam de tui nominis mutatione quaesisti. Ut enim naturae viribus spes ista deficit, quod mons tantus loco mutari queat, ita possibilitate res caret, inolitum nomen tuum urbi nunc conditae olim posse mutari,,. Ibi adhuc petente Alexandro, ut sibi

(a) Cod. *eidem.* (b) Cod. *mea ara.* (c) Cod. *ceptasses.* (d) Cod. *orbis.*

(1) Sarapidis oraculum peti solitum per somnia dicit Strabo XVII. p. 801.

(2) Rufinus *Hist. eccl.* XI. 23. *Simulachrum, ait, Serapis ita erat vastum, ut dextra unum parietem* (aedis) *alterum laeva perstringeret.*

de fine vitae Deus aliquid fateretur [1], in haec reresponsum est:

Prae cuncta vita commodum est mortalibus [a].
Nescire quibus metis fata claudantur sui.
Mens quippe homulli non videt variantia,
Quae reformat perpes aevi aeternitas.
Nam si cessat casuum scientia,
Laeta est timoris omnis ignoratio.
Quare id putato tute commodissimum,
Si spes futuri nullo foedetur metu.
Ergo hisce quae fas est instruare et praescias.
Tu nam levatus nostra praepotentia
Quaecumque gens sit obvia sternes manu.
Tuncque haec revises animo liber tuo [b].
Urbs vero quam nunc erigis mundi decus
Nitoris urguet [2], cunctis exoptabilis
Saeclis, virescens temporum recursibus,
Unaque semper fulta beatitudine,
Frequens Deorum templis atque numine,
Decusque vincens civium concordia:
Obtata [c] sedes vitae quale tum sapit
Cunabulisque gratior genitalibus.
Quippe ipse laetis coetibus praesul Chao
Interminatis saeculorum cursibus

(a) Cod. *prae cuncta vitae commoda est mortalibus de fine certum finissem nescire* etc. (b) Cod. *liberar tuus*. (c) Cod. 1. manu *oblata*.

(1) Recte Alexander de vitae suae fine interrogat Serapidem; quem superius cap. 23. p. 86. n. 3. diximus eundem esse ac Plutonem seu ᾅδην.

(2) Id est *urguet* seu *vincit decus nitoris mundi*.

Fundata quod sit tellus hisce legibus,
Ridens sereno vel corusco lumine.
Quippe astris solum sontibus iam libera
Flabris fovetur blandeque aspirantibus,
Nequit potentum vis meditulla daemonum
Exim nocere imperioso numine.
Est namque fatum motibus nutantibus
Telluris huius penita contremiscere,
Famemque nosse celere perfuncta metu,
Tractus luales [1] atque bella percita.
Enim facessent ista ceu si somnium.
Honorem reges multigenarum gentium
Divinum summo cultu exambient
Astris receptum caelitumque congregem:
Quorum frequente cultu is beatior,
Tuoque [a] praestas numine augustissimo.
Haec quippe sedes corpori est caelum tuo [b].
Nunc ipse qui sim, mente bibula percipe,
Nomenque nostrum hisce numeris collige [2].
Sub graia primum bis centena littera
Unum repone numerum, et centum dehinc,
Unumque post id [c]: tunc quater viginti sint
Decemque iuxtim: eaque sit novissima
Quae prima fixa est, idque sit nomen mihi [3].

(a) Cod. *tuosque*. (b) Cod. *tui*. (c) Cod. *post idus*.

(1) De morbis, quibus Alexandria obnoxia est, lege Hirtium *bell. alex.* cap. V, et Galenum *de art. curat. ad Glauc.* lib. II. cap. X.

(2) Serapis per aenigma suum nomen prodit etiam apud Macrobium *Sat.* I. 20.

(3) Scilicet *Sarapis* (nam *Sarapis* rectius scribitur quam *Serapis*). Id vero nomen non conficitur nisi numeris graecis.

32. Hoc igitur oraculo per quietem edoctum Alexandrum Deus cum somno dereliquit. At ille expergitus recoltisque [a] verbis ac memoriae confirmatis, hunc demum esse, quem quaereret, scilicet Serapim mundi totius dominum rectoremque confirmat. Ara igitur vel maximo opere laborata [1], largioribus sacris tam animantium stratu quam odorum profusione munificus, convivia etiam exequitur ibidem quam laetissima [2]. Tunc Parmenioni architecto laborandi scilicet simulachra cura mandatur, ut ne illis [b] Homeri versibus demutaret qui sic [c] elocuntur:

Caerulea hinc olli [d] Saturnius annuit arce,

Aurea caesaries quae [e] signat mentibus almis [3].

Et Parmenion quidem iussa complet, ipse quoque non inhonoris [f] hoc labore. Quippe templum etiam nunc Serapion Parmenionis appellatur. Enimvero *hoc* tibi super civitatis illius conditum [g] dictum habebis.

33. Alexander porro coacto omni exercitu exim ad Aegypti ulteriora contendit, classi iussa sese apud Tripolim opperiri. Sed iter longe laboriosissimum militi

---

(*a*) Ita cod. pro *recultis*. (*b*) Cod. *illi*. (*c*) *demutare quasi*. (*d*) Cod. *caerula tunc oli*. (*e*) Cod.. *que*. (*f*) Ita cod. pro *inhonorus*.. (*g*) Ita cod. *conditum*.

---

(1) Confer Malclae initium libri VIII.

(2) Serapidem mire gaudentem conviviis pingit Aristides *orat. in cumdem*. Cruenta Serapidis sacrificia memorat Macrobius Saturn. I. 7; famosam denique caenam serapiacam Tertullianus *Apologet*. cap. XXXIX.

(3) Ita se habent versiculi in codice. Atque haud scio an respiciendum sit ad locum Homeri *Iliad*. I. 528.

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.

Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος.

fuit, quippe ob locorum et itineris difficultatem. Omnes tamen accolae qua perrexisset Alexander una cum Diis Deorumque simulachris religiosisque operationibus obviam pergere festinabant, iuniorem Sesonchosim [a] praedicantes. Quare cum Memphin venisset, inductum eum in aedem [b] templumque Vulcani [1], Aegypti regni veste dignati [c] sunt [2] et sella ac sessibile Dei. Tum ibi [d] Alexander statuam quandam nigro lapide intuetur, cum ista [e] super Nectanabo inscriptione "imperatorem scilicet eum qui fuga indidem abfuisset, rursus Aegyptum reventurum, non seniorem, enim iuniorem, eumque fore loci illius hostium subiugatorem„ [3]. Statim igitur scripti istius causas diligentius quaerit, refertque responsum, hunc illum Nectanabum fuisse, qui, infestantibus Persis, cum Deorum monitu praescivisset fortunae suae lapsum, locum [f]

(a) Cod. *se sorti sui.* (b) Cod. *eadem*, mox factum *eandem.* (c) Cod. *dignatae.* (d) Cod. *ille*, sed *ibi* alius cod. lat. ambr. (e) Cod. *illa.* (f) Ita cod. *locum.* Adde et alium cod. lat. ambr. Num dicendum *iocum* ?

(1) Templum Vulcani memphiticum, quod Sesostris statuis olim ornaverat, commemorat Diodorus I. 57. Vulcanum principem Deum dicebat Alexander M. in epistola ad Olympiadem, teste Minucio F. in ed. Hackiana p. 163.

(2) In margine codicis notatur varia lectio: *Al. Aegyptii regni veste dignum eum duxerunt.*

(3) Intellige Alexandrum filium Nectanabi, si qua est fides fabulae de qua alibi locuti sumus, et quam Moses quoque armenius historicus narrat lib. II. 12. Haec autem de statua narratio occurrit in utroque etiam graeco et latino codice ambr. nec non in Pseudo-Callisthene apud Sancticrucium p. 165.

casuum declinasset. Tum sese quaerentibus civibus oraculum datur, quod sub illa statua legeretur. Igitur Alexander, his auditis, involat statim statuae complexum ac parentem salutat, eiusque se filium profitetur, ut congrue retur de responsione cum spe Alexandrum demirantium.

34. " Unum tamen mihi de civitate vestra miraculum est, ait, quod [a] vis barbara adversus huiusmodi muros potuerit obtinere, quos coram [b] cerno supra humanarum manuum violentiam pulchritudine pariter ac firmitate congestos: praesertim undique fluminibus convallantibus, ut murorum quoque ipsorum haec sit firma munitio: aditus porro tenues angustique, quique agminibus militaribus inviabiles [c], atque exim occursu perfaciles habeantur. Cuius quidem rei ipse periculum certius fecerim, quamvis huc manu parva non congregato exercitu commearem. Enimvero haec est illa aequitas ac providentia, ut vos qui ex ubertate terrae praecluatis, atque his fluminibus obvallemini [1], eorum violentiam sentiatis qui ista non habeant. Quippe ad hanc opulentiam rerum si vis quoque et militare vobis exercitium adfuisset, nulla profecto gens foret, quae duabus hisce fortunae viribus obviaret. Est igitur natura descriptum, ut quis ista rerum opulentia sit donata, idem [d] careant bellicis viribus: ut siquid illi, qui armis et manibus indulgent, de solo genitali indigebunt, huiuscemodi afluentibus petant ". Hi-

(a) Cod. *et quod*. (b) Cod. *curam*. (c) Cod. *inviabilis*. (d) Ita cod. pro *iidem*.

(1) Confer Diodorum I. 57.

see dictis exigit protinus ab Aegyptiis, ut quidquid illud pensuros se Dario recepissent, id sibimet inferrent: quod quidem eo se petere testatus est, non ut opibus suis indidem incrementi aliquid pareretur, enimvero ut extruendae urbis foret substantia largior. Haud cunctanter in haec Aegyptii obsecuntur, datisque pecuniis et honorata deductione per Pelusium properantem votis pariter et vero amore prosecuntur.

35. Rursus igitur recepto omni exercitu, et in Syrias itinere destinato, urbes eas per quas sibi transitus foret nomini suo addit; unde mille etiam cum cataphractis viros accipit, quod armaturae genus orientis inventio est: ac tum Tyrum advenit. Sed enim Tyrii moenibus obseratis ab ingressu oppidi arcere Alexandrum obfirmaverant, non contemptu scilicet virium tanti nominis, sed oraculi cuiusdam memores, quo docerentur, quod si rex urbem Tyriam invectus cum exercitu transivisset, fortuna lapsum tunc oppido minaretur Alexander tamen cum admolitus violentiam oppidum cuperet subiugare, ancipiti proelio, multis etiam Macedonum caesis ac vulneratis pedem refert. Praeter illud igitur prius magnanimitatis suae studium iam etiam indignatione ferventior excidium Tyriis minabatur: deque ea re somniat moneri sese ne legationem [a] sui Tyrum per sese faciat: id enim animo praedestinabat.

36. Missis igitur internuntiis litteras dat Tyriis perferendas, quarum sententia haec est. " Macedonum rex filius Hammonis Philippique, rex regum maximus Asiae seu Europae vel Libyae, Tyriis haec dicit. Equi-

(a) Cod. *legatione.*

dem graecum et imperiale videbatur cum clementia pariter ac iustitia invehi urbem vestram. At enim vos primi omnium extitistis qui mihi insolentius obviaretis. Igitur per vos ceteris etiam magisterium procurabitur, quid virium sit in Macedonum dexteris ac fortitudine. Neque enim vos iuvabit oracli illius iactatio. Transgrediar enim oppidum vestrum sed dirutum atque disiectum. Valete si sapitis: non enim valebitis si perseveratis „. His litteris lectis tyrii primates legatos protinus corripi iubent, eisque multatis pergunt exigere tormentis, quisnam eorum ipse Alexander foret. Sed de hoc, ut res erat, negitantes crucibus adfixere. His igitur incentivis extimulatus Alexander irruptionem oppidi acrius agitabat, et rursus in somnio Saturum [1] conspicatur assem sibi Tyrum [2] porrigentem, eumque proiectum sese pedibus protrivisse. Quod interpretibus haud difficile in enodando fuit. Tyrum enim proteri mox pedibus haberi principis respondere. Ex quo sive admonitu sive impetu suo adgressus oppidum vehementius capit pariter ac vastat, indiscrete [a] satis sexubus et aetatibus interemptis. Tres vero vicos, quorum navi auxilio ad operam bellicam usus

(a) Cod. *indiscreta*.

(1) Nempe *Satyrum*, uti est apud Zonaram et Cedrenum ad hunc historiae locum.

(2) Videtur scribendum graece *τυροῦ*. Est enim lusus in verbo, quod patet ex graeco codice ambr. in quo scribitur *τυρὸν ἐκ γάλακτος*. Igitur *assem τυροῦ* intelligas *casei orbem* aut *segmentum*. Aliter, sed non venustius, ludunt Cedrenus et Zonaras, apud quos Satyri visum significat Alexandro *σὰ Τύρος ἔσται*.

erat, ad magnitudinem confrequentat urbis, Tripolimque appellari iubet [1].

37. Tyriis ergo satrapam praeficit, atque inde Syriam pergens accipit litteras Darii Persae in hanc sententiam scriptas. "Rex regum et consanguineus Deorum consessorque [a] Dei Mithrae unaque oriens cum sole Darius ipse Alexandro famulo meo iubeo dicoque haec [2]. "Mando tibi reverti ad parentes tuos, famulos scilicet meos, atque illic in gremio matris cubantem doceri virile officium. Ad quam rem habenam scythicam tibi et pilam loculosque cum aureis misi: quorum habena admonet te disciplinae videri indigentem; pila vero quod eius congruat cum tua aetatula lusitatio, non haec opera quam latrocinantium ritu cum tuis similibus es adgressus. Neque enim si omne eiusmodi hominum genus ad te pari conspiratione conduxeris, adtemptare quatereve Persarum imperium queas. Tanta quippe mihi multitudo exercituum adest, ut quis promptius harenae quam nostri numeros adsequatur. Auri porro argentique ea copia, ut humum ipsam, si libitum est, consternere indidem possim. Quare tibi loculos auri refertissimos misi, ut si indi-

(a) Cod. *concensor*.

(1) Aliam passim Geographi appellationis huius causam narrant, nempe quod ea urbs coaluerit ex trium populorum coloniis Aradiorum, Sidoniorum, atque Tyriorum.

(2) Sic et apud Ammianum XVII. 5. *Rex regum Sapor particeps siderum, frater solis et lunae, Constantio Caesari fratri meo salutem.* Et quidem ambitiosissimos titulos epistolis praeponi solitos ab asiaticis regibus, multo exploratissimum est.

gebis sumptibus ad reversionem, tibi tuisque habeas quod suffecerit. Quod si hisce monitis ac praeceptis ulterius refragare, mittam protinus qui te comprehensum huc transferant. Non enim ut Philippi filius coërcebere „.

38. His lectis ab Alexandro publicatisque, metus plurimos quatiebat dictorum magniloquentiam contemplantes. Quod ubi Alexander mente intuitus est, in haec verba concionatur. "O Macedones nostri, quid tandem adeo dictis barbaricis perturbamini? quae arrogantiae quidem vanitatisque habent testimonium, confidentiae vero carent probatione. Nam et canibus inbecillioribus mos est quanto plus defuerit virium, tanto cristas acuere sublimius et latratibus irritatioribus indulgere. Haec mihi visa est conpetentior ad Darii iactantiam comparatio: quod praestare viribus non potest, verbis indulget. Ego tamen aveo [a] cuncta proinde a vobis existimari ut verbis etiam exprimuntur. Malo enim nos praesuspectantes aliquid difficultatis, animis fortius praeparatis in rem bellicam vadere [b], quam fiducia hostium molliorum inopinatas offendere difficultates „.

39. Et ubi haec dicta sunt, corripi internuntios iubet crucibusque suffigi. Cuius supplicii merita cum a sese barbari defensarent, ac ius legationis intemeratum sibi vellent; non, inquit Alexander, ex sententia vel moribus meis est forma praecepti; enim quoniam ut ad latronem a vobis ista suscepta legatio est, uti latronis etiam vehementiam iniquitatemque sentiatis. Tum illi, nec Darium omnia pro merito eius po-

(a) Cod. *habeo*. (b) Cod. *vadare*.

tentiae cognovisse, et se pariter opinione deceptos esse cum dicerent; magnificis verbis eius exercitum praedicare viresque coepere confiteri tantas, quantas si rex quoque sedulo rescivisset, moderaturum profecto verbis fuisse. Tum Alexander, neque sibi verum interficiendorum hominum consilium fuisse profitetur, et maluisse potius ostendere quid iniquitas soleat tyrannorum, quam iustitia graeca permittat. Et post haec curari homines liberalius iubet participatque convivio dapsili et afluente. Eius convivii tempore cum unus e numero legatorum proditionem quoque illi [a] regis Darii subsereret, prohibitus ab eodem est, ulterius super hac re addere quam promiserat: praesertim cum is [b] qui ista dixisset, mox ad regem rediturus fortunae posset ansam inprosperam dare, nequa ab illo quoque proditio aut proditionis causa quaereretur. Id enim demum ago, inquit, non tam mei commodi cura quam vestri, metuoque ne cuipiam mali semen ac principium videar praestitisse. Ad haec Persae verbis honoratioribus gratias confitentur: neque detenti ultra donatique auro omni quod secum in loculis advexerant, ad regem cum litteris remittuntur quae fuere huiusmodi.

40. "Rex Alexander patris Philippi matris Olympiadis regi regum et consessori [c] Dei Mithrae simulque cum sole orienti maximo Persarum domino Dario salutem dicit. Turpe mihi admodum videri solet, tantum regem Darium et hisce viribus consitum, Deorum ut praedicat consessorem, sub ditionem ho-

(a) Cod. *sibi.* (b) Cod. *his* (c) Cod. *concessori.*

mullorum, ut retur, contemptibilium deventurum [1], et inter eos abiecto cuidam ac latroni Alexandro serviturum. Quippe ista magnificentia nominum ubi semel cuipiam sit persuasa, corpora membratim vel spiritus erigantur [a] inprudentium. Magno dolore tibi fore ista quae pronuntiantur intelligo, ac si superna caelitum vis (*adversus*) abusionem huiusmodi in ultionem contumeliae suae facile consurgat. Equidem spero priora esse quae spondeo quam quae tu minaris. Quare adero ut mortalis mortalem violentiam experturus: inclinationisque eius ac potestas est penes Superos. Nam illud quaeso te, quorsum tantopere congestum est, auri te et argenti opibus aestuare? An ut his cognitis, si modo eorum amor nobis est, spe praedae obstinatius et audacius dimicaremus? atque hinc fiat ut superato te, hinc quidem nobis in commune quaestus et emolumentum victoriae fiat? Mihi vero istud quo tute gloriare Persidos cunctae orbisque totius accedet imperium. Sin tibi (*fors*) faverit, nihilum amplius quam obpresso [b] latrocinio gratulabere [c]. Adde

(*a*) Cod. *erigunt*. (*b*) *obpressum*. (*c*) *gratulare*.

(1) Hic locus plane mihi prodit, codicem aliquem ·I· Valerii lectum fuisse olim a Francisco Iureto. Is enim ad Symmachi epistolam XXXIII. libri IV. (ed. paris. an. MDCIV. in miscell. p. 127.) ut symmachianam vocem *homullus* exemplis confirmet, ait: *Aesopus manuscriptus ineditus in vita Alexandri magni* " *sub ditione contemptibilium*, *ut retur*, „ *homullorum deventurum* „. Erat autem a Iureto citandus non Aesopus sed ·I· Valerius, quoniam non graeci exemplaris sed latinae interpretationis verba laudabat.

nunc illud, misisse te mihi habenam unam, et [a] pilam loculosque auri refertos: de quibus quamvis tu quae visa fuerint dictitaris, ego tamen mihi ut auspicato cuncta ex te concessa ac sponsa profitebor. Accepi enim habenae scilicet potestatem, ut habeam qua in subiectos uti scientius possim. Pilae vero simulamen, quoniam ex ambitu sui et rotunditatis orbis imago videatur, haud dubie mihi universitatis ipsius per te imperium repromittit. Quodque hic tertium est, loculos ego auri ac si opum tuarum factam mihi accepi cessionem, subiectumque te viribus meis annuum istud mihi fore pretium servituti [b] desponsurum „.

41. His igitur litteris palam lectis atque signatis, redire internuntios iubet. Ipse autem [c] omni mox Syria superata, ac redactis eius gentibus in potestatem, ad Asiam ire contendit. Enimvero acceptis Alexandri litteris rex Darius, eisque gravius et arrogantius motus, ad satrapas suos ultra Taurum regentes talem continentiam scribit. "Nuntiatum sibi Alexandrum Philippi insanientem admodum adulescentem Asiam incursantem. Igitur illos [d] oportere eum protinus obviantes conpertum ad sese dirigere: esse enim regi consilium, uti adfectus verberibus puerilibus amictusque post veste purpurea cum tabellis et crepitaculis matri reddatur: sic enim Macedonum pueros lusitare. Tum fore ut cum illi praefectus ad observantiam disciplinae Persa aliquis comitaretur, virile officium rectius disceret. Igitur oportere satrapas quidem classem eius una cum navitis alto submergere, milites ve-

(a) Cod. *vel*. (b) Ita cod. *servituti*. (c) Cod. *tamen*. (d) Cod. *se* cum litura.

ro cunctos ferro vinctos ad rubri maris ulteriora transduci, ut illic colere iuberentur: equos ceteraque militum impedimenta sibi ipsos habere privos amicisque largiri,,. Sed hisce litteris nihilominus [a] ad metum satrapae moti regi respondere: " Hystaspes et Spynther Deo Dario salutem dicunt. Miramur satis, latuisse te, rex, tantae multitudinis impetum supervenire nostratibus, qui quales quantique sint quo facilius noscitares, quinque quos forte indidem captos haberemus vinctos transmisimus, non ausi eorum ultra aliquid adinquirere quae sint fortassis regi praescitui. Boni igitur consules, quamprimumque cum exercitu vel potentissimo eidem obviabis,,.

42. Sed nec sic quidem abiciendam molliendamve [b] Darius arrogantiam putat. Enim respondit ducibus memoratis. " Ultra illis spem vitae agendae [c] iam deponendam, si modo creditis sibi finibus abscessissent [1]. Quippe virtutes hosticas magnifice executos nihilum periculi monstravisse, quare abscessum [d] ire Macedonum fortitudine [e] potuissent. Ecquem enim vulneratum, inquit, vestrum, quemve interemptum audiens hoc conicctem? Nihil igitur superesse, quam uti probro fuisse huiusmodi duces Persarum regno sentiret,,. Sed inter haec iam Alexandrum iuxtim posuisse castra noscit, propterque vicinum fluvium invisitare. Igitur ad ipsum rursus et nominum arrogantiam et

(a) Cod. *nihilum.* (b) Cod. *moliendamve*, ex quo faceres etiam *amoliendamve.* (c) Cod. *agere.* (d) Cod. *abscessu.* (e) Cod. *fortitudinem.*

(1) Confer Itinerarium cap. 8.

Deorum consortium sibi vindicans, gentiumque se centum atque viginti dominum praedicans ita scribit. " Latuit ne te solum, Alexander, Darii nomen honosque ille, quo nos donat atque participat supera maiestas? eoque ausus es [a] transmisso mari Persas veluti hostis appellare? non beatissimum ratus si contentus imperio Pellae ac Macedoniae sessu audaciam tuam inter proximos iactitares? Enimvero usurpas [b] regium nomen, et congregata tibi ad societatem sceleris parilium conspiratione hostem te nostri profiteris, cui quam longe praestantius [c] foret id inter Graeculos iactitare, quos Graecos fere ut inutiles [d] Persarum regna non quaerunt. Sat igitur habeo vel hoc tantum imprudentiae signum, quod ratus nos vestratibus similes huc contendisti. Quin ergo errata corrige, nec addas huiusmodi facinoribus incrementum. Est enim scire, nos quibus Deorum pariter et prudentia et dignitas favet, peccatis istis ut hominum subvenire. Censeo igitur uti ad adorandum me venias, ne contra inobsequens poenam pro venia merearis. Quod ut tibi ratum sit, Iovem iuro et parentes meos, omnem tui iniuriam protinus pectore recessuram ,,.

43. Et haec quidem scripta regis Alexander legerat. Enim ulterius non verbis sed gladio agendam rem ratus, per Arabiam exercitum ducit, atque in aequore quod agendae rei opportunius videbatur aciem extendit. Qua inspecta Darius spem primam eamque vel maximam in falcatis curribus ponit: qui ut facilius aciem hostium

---

(a) Cod. pro *ausus* habet *rursus ex*. (b) Cod. *usurpasse* non sine litura. (c) Cod. *praestantia*. (d) Cod. inter *inutiles* et *Persarum* interponit *necessarios*.

incursarent a latere conlocantur. Sed id consilium Persae dissici Alexander facilius inopinatus [a], incurrentibus curribus per acies phalangasque locum transitui pandi praedicit, tumque iu transvehentes peditum suorum iacula torqueri: eoque perfectum est ut brevi omnis ille currnum numerus teneretur una equis et aurigantibus fixis. Igitur sedata formidine quam Persae de curribus intemptaverant, aequatum omne proelium videbatur. Agebat porro Alexander in dextro cornu, quod laevo scilicet persico obviabat. Inscenso igitur equo signum increpari bellicum mandat unaque coeuntium clamor attollitur ancipiti satis proelio ac diuturno: cum interea sinistrum cornu Macedonum a Dario qui in dextris suorum agebat vi maiore belli conspicatus (*impeti*) implicatosque ordines universos non tam discriminum necessitate quam multitudinis inconsulto [b]; subpetiari laborantibus properaverat. Exim pari utrimque oborta caede cum spes exitus fluctuaret, repentino forte imbri procedente, vel adversari sibi caelitus id Persae interpretati, vel ad elementi eius iniuriam molliores, fuga facessunt, unaque his Amyntas macedo Antiochi filius [1], qui olim transfuga Darii amicitiam cooptaverat [c]. Quippe fugientibus et tempus ore blandiebatur, quod vesperascens foeditatem fugientium

(a) Ita cod. pro *opinatus*. (b) Ita cod. *inconsulto*. (c) Cod. *coaptaverat*.

(1) Ab hoc ipso narrat Arrianus II. 6. transfuga Amynta Antiochi filio monitum frustra Darium, in pugnam, quam deinceps malo pugnavit ad Issum, in Assyriae planitie conserendam curaret Idem narrat Plutarchus in *Alex.* p. 28–29. De hoc Amyuta transfuga ad Persas vide etiam Curtium III. 11.

pariter et periculum protexisset Darius autem [a] (*haud*) ratus delicatiore [b] illa fuga et vehiculo [c] regali periculum evitare, quodque e suggestu regiae turris promptius conspicabilis foret, currum quidem in loca quaedam abdendum mandat et avertendum : ipse autem equo conscenso properantiae consulit.

44. Sed enim Alexander hanc sibi peculiarem gloriam appetens si rex fugiens conprehenderetur, animosius insecutus, currum [d] quidem armaque regalia matremque una et uxorem cum virginibus filiabus emensis stadiis sexaginta conprehendit: ipsum vero Darium non minus tenebrosior nox quam cursus velocitas liberaverat : quippe iam primum in haec et huiuscemodi fortunaria dispositis equis et itinere proviso. Macedones vero potiti victoria in castra persica migravere, unaque Alexander tentoriis regiis superveniens expertus ibi primum est una cum militibus suis fortunae illius ac victoriae emolumentum. Neque mage uspiam continentis animi moderamen Alexander potuit ostentare, quam quod in hoc fortunae favore ex aequo suae atque adversae partis iniit rationem, non secus scilicet probatis hostium navioribus qui pro patria fortiter oppetissent, quam siquis suorum strenuus extitisset. Cunctos igitur, quos in bello nobilitaverat militiae experimentum et mors inclytos fecerat, inquiri prostratos et magnifice sepeliri et sepulchris honorari iubet. Matrem vero Darii una cum uxore filiabusque cultu regio prosequebatur : ac siqui praeterea in potestatem hostium devenissent fortuna pristina dignabatur [e]. Enimvero cecidisse tunc

(*a*) Cod. *tamen*. (*b*) Cod. *deligatiore* (*c*) Cod. *vehicula*. (*d*) Cod. *currus*. (*e*) Cod. *dignabantur*.

Macedonum satis constat peditum quidem septingentos, equitum porro centum et sexaginta, sed vulneratorum numerum [a] in duobus [b] milibus extitisse. Contra Persarum desiderata quidem centum et viginti milia: praedae autem, una servitiis pecuisque vel quae vehebant, pecunia fuit talenta quatuor milia.

45. Sed Darius fuga reversus longe auctiore numero contracto, in Alexandrum moliebatur, suisque undique convenire, iu quantum manus armari potuerat, iubet. Id autem [c] conpericus Alexander ex hisce exploratoribus qui in ditionem Macedonum devenissent, omniaque illa Darii milia iuxta Euphrateu castra posuisse; ipse quoque ad Cassandrum [1] ducem suarum partium, quique curabat tunc Macedoniam, sese [2] profecto scribit omnis phalangas quas armaret [d] aut siquid praeterea in auxiliis virium foret propterea admoliretur: neque enim hostes longius adsidere. Quae dum pro commodo festinantur, ipse una exercitu Achaia [3] peragrata, mul-

(a) Cod. *hominum.* (b) Cod. *in duabus.* (c) Cod. *tamen.* (d) Cod. *armare.*

(1) Cod. *Scamandrum.* Ita etiam alter latinus cod. ambr. Sed sine dubio lege *Cassandrum*; quamquam revera Antipater Cassandri pater Macedoniam curabat. Recole Itinerar. cap. 7.

(2) Ita cod. pro *ad sese*, omissa praepositione quae mox sequitur cum verbo *admoliretur.* Recole quae notavi ad itinerarii cap. 43. et 51. Nisi forte heic mavis deinceps legere *propter* quam *propterea*

(3) Achaia provincia asiatica memoratur in inscriptione triumphali Pompeii magni, a me edita inter Diodori siculi excerpta vaticana *Script. vet.* T. II. p. 129. Ceteroquin I· Valerius itinera Alexandri et geographica nomina pervertere ac miscere non semel videtur. Quamobrem heic graecam Achaiam potius intelligo.

tisque praeterea civitatibus receptis aut quaesitis, etiam centum et septuaginta milia collegit armatorum, Taurumque transducit. Tumque summo in culmine Tauri montis hasta defixa dixisse fertur: quisquis illam rex milesve graecus aut barbarus humo evellere ausus foret, edictum sibi urbis ac patriae suae suisque excidium meminisset [1].

46. Ipse autem [a] ad civitatem Pieriam, quae Habruchiae [2] urbs habetur, iter exim fecit: qua in urbe et templum opiparum et simulachrum Orphei erat admodum religiosum. Ibidem musae etiam Pierides consecratae videbantur, unaque omnigenûm figmenta viventium Orphei musicam demirantia. Cum igitur admirationis studio simulachrum illud Alexander

---

(a) Cod. *tamen*.

---

(1) Iulium Valerium, seu Aesopum, fucatis fabularum decoramentis veritatem saepenumero adumbrare, ex hoc opere toto constat. Iamvero Alexandri scriptores sinceri Diodorus XVII. 17, Iustinus XI. 5. (confer etiam Itinerarii Auctorem cap. 7.) narrant, Alexandrum, quum Hellesponto transmisso Asiam esset contacturus, telum in littus iecisse, quo sibi omen faceret regionis eius bello acquirendae. Ex hac genuina narratione figmentum hastae in Tauro monte defixae natum suspicor.

(2) Ita cod. Neque melius se habet codex graecus, in quo legitur *παραγίνεται ἐπὶ τὴν Ἱππερίαν τῆς Εὐρικίας*. Iam Pieriam dicit urbem Boeotiae Tzetzes *Chil.* VI. 90. Neque probabilis videtur coniectura eius viri qui multo recentiore manu scripsit in codicis margine *Ambrachiae* (Ambraciae) *forte legendum*. Ceterum nec alii scriptores inter se consentiunt. Nam Arrianus quidem I. 11. id prodigium accidisse scribit ἐν Πιερίδι; sed Plutarchus in *Alex.* p. 21, et Tzetzes *Chil.* VI. 91. ad urbem seu fontem montemve Λείβηθρα.

intueretur, sudor repente profluere et per omne simulacri illius corpus manare visus non sine admiratione videntium fuit. Motus ergo portenti novitate, coniectatorem vel celebratissimum Melampodam [1] sciscitatur quid tandem ille sudor sibi simulachri minaretur? Tum ille sudor sane largus labor est, qui erit quam prolixissimus tibi quoque in rebus praesentibus, o rex: quippe gentium peragratio et operum difficultates tete manent, quod illi quoque Orpheo fuit, qui peragrans urbes graecas et barbaras, ad favorem sui animos admirantium flexerit. Hisce auditis Alexander honore quam largo Melampodam muneratur, eximque in Phrygiam venit, atque illic Hectora Achillemque unaque alios heroas Divum honore participat. Praecipue tamen Achillem muneratur, ac rogat uti sibi et ipse faveat, et dona, quae ferret, dignanter admittat. Haec enim a sese non ut ab externo ac superstitioso verum ut consanguineo [2] ac religioso dedicari:

Hinc primus extat Aeacus [a] Iovis proles [3],

(a) Cod. *Itachus.*

---

(1) Alius Melampus vates occurrit apud Diodorum IV. 68. Sed enim apud Arrianum I. 11, et Plutarchum p. 21. id prodigium edisseritur ab Aristandro vate. De Melampode celeberrimo vate lege Plinium VII. sect. 23. XXV. sect. 21, cum Harduini notis, et Tertullianum *Apologet.* cap. 21.

(2) Hinc Propertius IV. 12. 39.

Et Persen proavi simulantem pectus Achillis.

(3) Magni facienda sunt haec Iulii Valerii carmina, quibus maiores Alexandri materni recensentur iam inde usque ab Aeaco Iovis filio. Hos quidem, ducto initio a Pyrrho Achillis filio, qui molossici regni fundamenta iecit, studiose nisus erat colligere Reineccius (*Monarchiae* in molossici re-

Atque inde Peleus Phthiae regna possedit,
Quo tu subortus inclyta cluis proles.
Pyrrhusque post id nobile adserit sanguen,
Quem subsecuta est Pieli [a] fama non dispar.
Pielique proles Eubius [b] dehinc regnat.
Post Nessus ardens excipit domûs [c] nomen,
Argusque post id qui potens fuit Xanthi [1].
Ex hoc Aretae [d] nobilis genus ducitur [e].

(a) Cod. *pueri*, quod fortasse retineri potest. (b) Cod. *Pierique proaeseubius*. (c) Cod. *domos*. (d) Cod. *Arete*. (e) Cod. *duci*.

---

gni descriptione p. 544-550). Fatendum tamen Reineccio fuit (p. 548.) post Pielum desiderari novem regum succedentium nomina, quae nunc demum videntur longissimo postlíminio cum Iulii Valerii versibus in lucem reverti. Immo ne eorum quidem regum quos ante Tharypum collocat Reineccius, nomina ex Antonino Liberali (*Metamorph.* cap. 14.) et Stephano byzantino (voc. 'Αφειδαντες et Γενοαιοι) eruta, cum his Valerianis consentiunt. Et Iustinus quidem XVII. 3. mire reticet in loco suo plerosque omnes Epiri reges: *Molossorum primum in ea regione regnum fuit. Post Pyrrhus Achillis filius in his locis consedit. Successor huic Pialis* (dic *Pielus*) *filius fuit. Per ordinem deinde regnum ad Arrybam descendit.* Fuit autem Arrybas patruus Olympiadis. Pausanias item *Attic.* XI. a Pyrrhi filiis transit ad Tharypum, intermediorum regum suppressis nominibus. Porro ad Pielum quod attinet, etsi is secundo loco natus est ex Andromacha et Pyrrho, nempe post fratrem Molossum, nihilominus docet Pausanias *Attic.* XI. ad illum potius, quam ad hunc, Pyrrhidas generis originem solitos fuisse referre.

(1) Pergamum quidem Pyrrhi et Andromachae natu minimum ait Pausanias *Attic.* XI. traiecisse cum matre in Asiam, ibique urbis sibi cognominis regnum tenuisse.

Areta natus Priami nomen accepit,
Tryinus unde et Erimachus post illum,
Ex quo Lycus fit dives, et dehinc Castor.
Castore natus est Dromon qui dat Phocum.
Atque hinc suborta est Metrias quae suscepit
Neoptolemei [a] nominis vicem dignam.
Cui substitutus Charopus [1]. Hic Molossorum
Regni potitus auctor extitit stirpis nostrae.
Sicque iustum inclitum matris (*genus*),
Et qua subortus vestro sanguini adnotor.
Quaesoque nomen adseras tuum nobis,
Bellisque praestes gloriasque subtexas,
Velut feracis seminis fructum,
Quod cuncta spatia [b] terrae pervadat:

(*a*) Cod. *Neptolemei.* (*b*) Cod. *cuncta lex spatia.*

(1) Scribendum suspicor *Tharypus*. Et quidem hoc nomen magnopere variat *Tharypus*, *Tharymbas*, *Tharrytas*, *Tharyps*, *Arymbas*. Vide Reineccium p. 549–550. Porro in hoc Iulii Valerii catalogo a Charopo (seu Tharypo) ad Pyrrhum Achillis filium quindecim retro numerantur reges, cui rei mirifice adstipulatur Pausanias *Attic.* XI. Ἀθηναίοις εἰκὼν ἔστι καὶ Πύῤῥου· οὗτος ὁ Πύῤῥος Ἀλεξάνδρῳ προσῆκεν οὐδὲν, εἰ μὴ ὅσα κατὰ γένος. Αἰακίδου γὰρ τοῦ Ἀρύββου Πύῤῥος ἦν, Ὀλυμπιάδος δὲ Ἀλέξανδρος τῆς Νεοπτολέμου· Νεοπτολέμῳ δὲ καὶ Ἀρύββᾳ πατὴρ ἦν Ἀλκέτας ὁ Θαρύπου· ἀπὸ δὲ Θαρύπου ἐς Πύῤῥον τὸν Ἀχιλλέως πέντε ἀνδρῶν καὶ δέκα εἰσὶ γενεαί: *apud Athenienses Pyrrhi quoque* (qui cum Romanis bellavit) *conspicitur effigies, cui cum Alexandro* (magno) *sola generis propinquitas intercessit. Nam Pyrrhus Aeacidâ Arybbae filio, Olympiade vero Neoptolemi filia Alexander genitus est. Neoptolemo et Arybbae pater fuit Alcetas Tharypi filius. A Tharypo autem retro ad Pyrrhum Achillis, quindecim sobolis gradus numerantur.*

Unaque metis nostra Phaëthontis [1] regna
Explicari mundus adserat totus.

47. Haec precatus in istum Alexander modum, ibidem flumen Scamandrum cum videret, clypeumque Achilli [2] templo Herculis consecratum, nec alvei illius latitudinem demiratus nec magnificentiam clypei pondusque famosum, o te beatum Achillem, fertur saepe dixisse, qui Homero praedicatore celebraris [3]! His auditis ab eodem, cum multi admodum litterati studiosius erga amicos religioneve tracti iter eius prosequerentur [4], parique sese stilo opera eius [a] prosecuturos esse promitterent, optasse se dixit vel Thersitem apud Homerum magis, quam apud scriptores eiusmodi Achillem putari maluisse. Huc usque autem [b] comes eius itineris ac laboris mater Olympias fuit [5]. Sed exim participato convivio cum illam

(a) Cod. *sua*. (b) Cod. *tamen*.

(1) Phaëthon heic quidem solis loco dici videtur. Et tamen Plutarchus (in *Pyrrho* statim ab initio) regnum Molossorum ab antiquissimo Phaëthonte Pelasgi socio auspicatur.

(2) Ita cod. *Achilli* in secundo casu, uti habet Fronto, cuius videsis indicem latinitatis in ed. rom. p. 409.

(3) Adscribendus heic omnino locus Ciceronis *pro Archia* X. *Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! Atque is tamen cum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, o fortunate, inquit, adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!*

(4) Symmachus *Laud. in Gratianum* cap. VII: *cum magno Alexandro mundanam paene militiam philosophorum comitatus exegit.*

(5) Confer Itinerarium cap. 7.

ad Macedoniam remisisset, dat una ducere comitatum spectabilis multitudinis optimatium captivorum [1]: ipseque devertens iter instituit ad Darium.

48. Igitur cum sibi per urbem Abderam [2] transitus foret, obseratis urbis suae claustris Abderitae eum ne reciperent obfirmaverant. Id contumeliam ratus, et convenire protinus milites, et urbem illam igni vastare mandavit. Sed legatione Abderitae docent, sese illud non odio contemptuve graeci regis eiusque iustissimi factitare; enim metuere impetum barbarorum motusque Darii inconsultiores: cui si post meatus [a] aliquid in sese relictum foret, non absque poena Abderitum foret, quod Alexandrum in amicitiam contra Persae commoda receptassent. Igitur reverso tibi, aiunt, et victori parebimus. Ad haec rex illum quem conceperint de Dario metum abicere supplices iubet, neque ulterius eius vim atque inpotentiam formidare. Nec tamen se velle, respondit, urbem quam confidentissime reserent: se in praesenti oppidum haud ingressurum: enim cum revenero, inquit, non hospes vobis sed amicus ero. His dictis iter ad Euxinum tendit, omnesque sibi urbes eius litoris vendicat.

49. Equestri denique Neptuno [3] sollempniter operatus, ad Maeotim [4] paludem venit asperam satis et invia-

(a) Cod. *ineatus*. Num *reatus* ?

(1) Confer Itinerarium cap. 9.

(2) Mirari subit quod Alexander ab Ilio iter insistens ad Darium, Abderam veniat Thraciae urbem, et deinde ad Maeotim paludem. Recole p. 118. n. 3.

(3) Neptunus enim colebatur a Scythis. Herodot. IV. 59.

(4) Confirmat Syncellus *Chron.* ed. Paris. p. 264. A.

bilem prae rigore. Quae circa occupatus omnibus hisce deficitur quae ad alimoniam requiruntur. Igitur fame obsessis ita praesentibus consulit, uti equos militum interfici iubeat eisque milites vesci. Enimvero quamquam id consilium ex necessitate sequerentur, tumultus tamen et indignatio omnium congruebat, veluti studio factum, ut necessitate praesenti spes sibi futura laberetur. Quare (*cum*) omnis militaris observantia solveretur, neque ad custodiam solitam vigiliae ceteraque munia servarentur, rex motus in haec verba concionatur. " Neque me fugit, fortissimi milites, rem militiae necessitatisque bellicae prima subsidia equos haberi oportere, quos ego interfici iusserim, et de usu illo ad alimoniam utcumque proficere. Sed cum in ea re duorum nominum periculum versaretur, ut aut equis aliti viveremus, aut hisce servatis vel priores vel pariter oppeteremus; secutum me fateor consilium quod pro deteriore melius videbatur. Quippe spem foveo, Diis coepta iuvantibus, fore uti cum primum gentem aliquam et subsidium uberius nacti fuerimus, equos quoque haud deterioris usus parare sit nobis facultas. Quippe si vos, quod omnes Superi difflaverint, detestabili illa necessitate famis animas poneretis, milites quidem forsitan possem, sed Macedonas milites ubinam repperissem? Quare animos reformate in melius, vobisque suadete, nullum vestrum adeo sui amantem atque sollicitum, quem non pro summa cura praevertam. [a]" Hisce dictis sedati erant animi militum, revocatisque viribus ad officia castrensia sese converterant.

50. Quare prensis [b] plurimis civitatibus, iter in Lo-

(a) Cod. *uraevertat*. (b) Cod. *persis*.

cros [1] protinus vertit: qua in urbe refectis animis omnium, Agragantum [2] tendit. Eam urbem ingressus nihilum moratus scandit Apollinis templum, sacerdotemque quae ibidem antistabat solitam vaticinari in id ipsum coepit urgere. Enimvero cum vates, Dei in se spiratione cessante, nihil tale se posse fateretur, Alexander motus, ni faceret interminatur tripodam [3] quoque se ad Herculis fabulam sublaturum. Et cum dicto aufert scilicet tripodam, quem Croesus quidem opulentissimum consecrarat [4]: sed per eum divino spiritu commeante vaticinari antistitem fas erat. Tum fertur ex adyto vox ad Alexandrum:

Id quidem quod tu facis,
Hercules fecit et ille Deus
Et divinitati iam destinatus.

---

(1) *Locros* scilicet Graeciae.

(2) *Agraganti* (seu *Acraganti* vel *Agrigenti*) nomine urbes quinque appellatas ait Stephanus byzantinus, siculam scilicet, threiciam, euboicam, cypriam, aetolam. De aetola nunc sermonem esse arbitror, quoniam Locris in eam transit Alexander. Porro inficeta Alexandri historia, quae saeculo XV. edita est, huius nominis *Agraganti* vestigium conservat cap. XXX. his verbis: *venit in locum qui dicitur Tragacintes* (at in codice ambrosiano eiusdem historiae *Traganes*. Ab alio cod. latino ambr. et graeco haec narratio abest). Sequitur autem in ea edita historiâ narratio eadem, quamquam aliter deformata. Plutarchus p. 20–21. ait, oraculum ab Alexandro petitum Delphis. Revera et quod heic additur de tripode ab Hercule sublato, id factum Delphis narrat Pausanias *Phocic.* XIII.

(3) Confer p. 120. *Melampodam.*

(4) Tripodem aureum a Croeso (sed Thebis Apollini Ismenio) consecratum memorat Herodotus I. 92.

Quare et te par est nihil
In nostri contumeliam niti;
Si modo virtutibus tuis
Ex favore Numinum consulis.

Hisce dictis ex adyto addidit [a] vates:

En vides, rex, quod illa tibi
Numinis praestigiat divinatio.
Quare et Herculem et Alexandrum vocat [1]
Igitur praenuntio tibi fore actus tuos
Humanorum omnium fortiores,
Nomenque per saecula porrigendum.

51. Hinc cum Thebas Alexander transcendisset, peteretque Thebanos indidem armatorum mille comitatum, Thebani portas post haec praecepta eluserunt: factique eius temeritatem cum supplicatione non excusassent, arma sumpsere, et ad resistendum violentiae Alexandri sese paravere. Adduntque his illud, quingentos armatos e suis muris insistere ac voce maxima clamare iussere, atque Alexandro dicere uti aut veniret ad proelium aut de moenibus et obsidione [b] discederet. Sed ad haec ridens Alexander, o vos stultissimos dixerim qui [c] cum ipsi custodiam vestri murorum vallo teneatis, nobis praecepta bellandi praebetis! Igitur gerendum his ait morem, proeliaturumque se minatur, non ea tamen opinione qua cum fortibus disceptaret [d]. Etenim protinus iubet mille quidem equites circumvallare eos qui in muro constiterant; pedites vero

(a) Cod. *addit et*. (b) Cod. *subsidione*, sed alius latinus ambr. *obsidione*. (c) Cod. *at qui*. (d) Cod. *disceptare*.

(1) Nimirum ab Apolline Alexander dictus est *Hercules*. Confer historiam editam cap. XXX.

securibus vectibusque adgredi claustra portarum ac fundamenta subruere murorum. Non enim difficile esse id aedificium armis excidere, quod per lyrae cantus et musicam tumultuario convenisset: et statim iniici flammas arietesque admoliri iubet, quorum crebro et vehementi admodum pulsu non difficile nec diu casus omnium est moratus. Ipse vero cum mille funditoribus totidem [1] obire discursim, adeo ut omni telorum genere fatigatos aut prosternerent Thebanos aut vulnerarent. Atque ita tertio fere die, conlapsis omnibus quae obstabant, invehitur Alexander Thebas easque [a] diripere exscindereque festinat tot scilicet saeculis et Cadmi ceterorumque imperiis nobiles [b].

52. Ad quam fortunam ceteris praestupescentibus prae vi malorum, uni tibicinum forte consilium subit aptare tibias, et melos quam posset flebile [c] canere regis pedibus provoluto [d]. Quod cum Alexander videret, acuto et religioso consilio efficax multum atque ad movendam sui misericordiam esse provisum; tunc auloedus [2] ille manibus extensis:

Hancine tu urbem, maxime regum Alexander,
Properabis exscindere, quam tibi Dii

(a) Cod. *eamque*. (b) Cod. *nobilem*. (c) Cod. *febrile*. (d) Cod. *provolutus*.

(1) Dicit *totidem*, quia superius dixit *equites mille*.

(2) Apud Iustinum XI. 4. non *auloedus*, sed *Cleadas* captivus coram Alexandro Thebarum excidium deprecatur. Nisi forte *Cleadas* credenda est mendosa lectio pro *auloedus*. Huius loci causa videndus esset laurentianus codex laudatus a Montfaucouio biblioth. mss. p. 307. A. in quo hic legitur titulus: *quibus verbis uteretur Ismenias tibicen coactus ab Alexandro tibiis canere super Thebarum eversione*.

Immortales prosapiae tuae principes
Pepererunt [1]? nonne te subit hinc Liberum
Ortum? hanc Herculis esse nutricem?
Hinc illa orgia et praestantissimos
Deorum cultus diffusos esse per mundum?
Boni igitur consules, ac facesse
Ab hac tam sacrilega voluntate.
Neque enim, siquid inpatientius
Ira belli mandavit, non mox te
Ad paenitentiam (*arbitror*) reversurum.

Addebat etiam:

Hos tibi muros haec moenia Zetus [a] ille
Vel Anphion stirpis tuae pars maxima [2],
Apolline Musisque adminiculantibus
Fecit. Nec vides, in rem tuam tuique
Generis gloriam te saevire? Quid quod [b]
Idem illi Dii praestites et maiores tui
Laetitiam suis et ultionem ex hostibus,
Pacem denique cum [c] ignotis
Maiestate sui et virtutibus pepererunt?
Hoc Liber ex India, hoc nobis Hercules
Ex omni terrarum orbe procurat:
Quorum te malo imitatorem potius
Quam invidentem fuisse. An tibi putas

(a) Alius cod. ambr. *Zethus.* (b) Cod. *quicquid.* (c) Cod. *tum.*

(1) Apud Iustinum XI. 4: *Cleadas privata etiam regem superstitione deprecatur, geniti apud ipsos Herculis, unde originem gens Aeacidarum trahat: urbi parcat, quae maiores eius apud se genitos, Deos adoret.*

(2) Quia uterque filius Iovis, a quo et Alexander genus trahebat maternum per Aeacum, paternum per Herculem.

Sine sacrilegio rem futuram
Locum istum ferro et igni postulari,
In quo Semelem suam rex Deûm Iupiter
Maritaverit, in quo Alcumenam quoque
Idem Iovis (*nuptiis*) dignatus sit?

53. Addebat et fabulas, quaecumque thebanae sunt, et memorias religiosas quas vetus historia commendat. Sed hîc commotior rex "quam vellem [a], inquit, o tu qui civium tuorum infortunio suffragaris, consultor potius fuisses in melius, et illic tuam prudentiam exercuisses, ubi cautione opus fuerit, non huiusmodi experimento! Quare neque tibiis vinci pectus martium potest, nec contumelia militaris tam artificio quam subplicatione sopitur„. Et post haec peragi excidium iubet. Sed Thebani quicumque fugae contra eversionis suae impetum consuluerant, ubi tempus fuit, congregati sciscitatum Apollinem mittunt, ecquid [b] sibi redintegrare urbem thebanam fata permitterent? Ad haec igitur huiusmodi Apollinis est responsum:

Maingena, Alcides, et Pollux cestibus [c] auctor
Arte sua Thebis reditum cultumque dedere [1].

Hac sorte data opperiebantur Thebani siquid tale proveniret.

54. Alexander vero cum Corinthum devenisset, eamque occupavisset, forte acciderat sollempne certamen gymnicum apud illos agitari: inde Corinthii quoque uti adesset atque illi certamini praesideret magnopere

(a) Cod. *vellet*. (b) Cod. *et quid*. (c) Ita cod. constanter sine diphthongo.

(1) Lege Suidam voc. Σωτήριχος, qui ait ab hoc auctore scriptum fuisse Alexandri bellum thebaicum.

contendunt. Annuit igitur rex: cumque plurimos pro merito coronis donisque largissimis muneraretur; thebanus quidam, cui Clytomachus nomen esset, certamen luctae profitetur, idemque de cestibus pugnam, atque identidem [a] pugillatum [b]: denique tria ista certamina idem profitetur et subit. Ergo cum primum luctando adversario praestitisset, coronamque laboris exegisset, iubet Alexander cetera quoque eundem prius exequi quae promisisset, quaeque si pari fortuna obtineret, nihil omnium fore quod sibi petenti rex negaret. Igitur usus fortitudine atque fortuna, cum esset cestibus potior et pugillatu felicior foret, revertitur ad regem coronandus. Sed ab eo cum quaereret praeco [c] more sollempni quis esset nomine, quemve se civem profiteretur, ut illud ex more praedicaretur, Clytomachum quidem se appellari ait, civitatem vero habere desisse. Sed id cum coronis redditis iam deesse diceret Alexander [d] gloriae victoriae [e] illius, addit Clytomachus, olim se habuisse etiam civitatem, sed priusquam Alexander regnum adeptus foret; eo vero imperante, sibi patriam deperisse. Hinc intellecto quo pergeret intentio deprecantis, uti suum esset quod ille foret pro patria petiturus, edicere [f] praeconem iubet, condi Thebas esse permissum in honore scilicet trium Deorum, Mercurii qui repertor luctandi cluat, Herculisque qui pugillatus invenerit, Pollucis etiam qui cestibus sit magister. Eoque effectum est uti oraculum Apollinis congrueret cum Alexandri pronuntiatione.

(a) Ita cod. nisi mavis *itidem*. (b) Ita cod. constanter cum duplici *l*. (c) Cod. *et praeco*. (d) Cod. prima manu *Alexander*, mox factum *Alexandri*. (e) Cod. *victor*. (f) Cod. *edici*. Vel dic *edici per praeconem*.

ALEXANDRI MACEDONIS

RERUM GESTARUM

LIBER II.

QUI EST ACTUS.



1. Igitur Alexandro iter e Corintho Plataeas erat, urbem quidem illam operis maximi populique, enimvero religioni intentam Proserpinae Deae, cuius templum etiam erectum ad magnificentiam visitur [1]. Sed forte illo in tempore annuo sacro tegmen Numini parabatur [2].

(1) Proserpinae fanum non commemorat plataeense Pausanias, sed Iunonis, Minervae et Cereris fana tria *Boeotic.* III. IV. Aedem Proserpinae et Cereris paene dirutam scribit adhuc sua aetate superfuisse stadiis XL. procul urbe Plataeis. Cereris et Proserpinae fanum prope Plataeas sub Cythaerone cognoscimus ex Plutarcho in *Aristide* (T. II. p. 304). Edita historia Alexandri cap. XXXIII. dicit templum Dianae quod Iulius Valerius Proserpinae. Ego quidem vehementer suspicor, apud Iulium Valerium loco *Proserpinae* scribendum esse *Iunonis*, cuius reapse Plataeeis templum erat amplissimum et ornatissimum, cum signo Iunonis velato. Immo Plataeenses certo tempore sollemnia sacra *daedala* (quae erant *velatae statuae*) circumducebant. Lege Pausaniam, *Boeotic.* III.

(2) Proserpinae vestitam statuam memorat Pausanias in *Arcad.* ed. Hanov. p. 506. Aedificium, in quo peplum Iu-

Coniectura vaticinandi sacerdoti eiusmodi fuit, multum ad gloriam gestarum rerum et gerendarum eidem Alexandro auspicari, quod illo in tempore sacri supervenisset: idque responsum et ad spem et gaudium illi fuit: liberaliterque acceptam vatem a se dimittit. Enim et aliud testimonium vati ad veridicentiam forte tale provenerat. Stasagorae quippe magistratui Plataeensium postea ingresso templum locumque eum in quo idem tegmen Numini texeretur, cum ei perexiguum superesset, adversum ea vates, quae secunda Alexandro praecinerat, illi respondit, eumque ait [a] magistratu suo protinus deponendum. Quod cum inclementius vir ceteroqui melioris conscientiae accepisset, in iram commotionemque conversus, increpare vatem falsidicentiae coeperat. Verum ad haec sacerdos: ne sane, inquit, moveare his dictis, o vir: nam cuncta ista quaeque hominibus divinitus praenoscuntur, colligi coniecturis argumentisque praenosci Diis sedet. Accipe denique argumentorum vias. Quippe ut illud melioris spei Alexandro diceretur, id temporis supervenerat, quo insigniri vestis intextu purpurae [b] coeperat. Id enim demum ad ornamentum rei praeparatae adhibebatur. Enimvero, ut vides, iam textu ferme conpleto et labore omnis operis absoluto, tu met ingressus. Igitur quod ista vestis ab opere laboris pausam haberet, idcirco non ab re visum est tibi quoque terminum magistratus futurum. Id cum altius animum Stasagorae descendisset, simulque metu ponen-

(a) Cod. *eum quaerit.* (b) Cod. *purpureae.*

nonis texebatur, cognoscimus ex eodem Auctore in *Eliac.* poster. p. 392.

dac potentiae ageretur; quo [a] vates sibimet, non Stasagorae, contraria praedixisset, ipsam illam sacerdotio deduci iubet.

2. Quod cum Alexandro nuntiatur, adversum iudicium et gratiam suam Stasagoram nisum, graviter infestus, eundem illum ut praedicatum [b] fuerat a sacerdote, spoliat magistratu, sacerdotemque loco restitui iubet. Quod igitur Stasagorae magistratus ab Atheniensibus datus foret, eo recurrit, ibique iniuriam facti deflens, opem ab his, a quibus dignitatem illam acceperat, imploravit. Animo incitatiore Athenienses ne verbis quidem a regis contumelia temperavere. Quibus acceptis Alexander in hanc sententiam litteras ad Athenienses dedit. "Equidem me scio, post susceptum patris mei regnum, procuratione fortunae iampridem occiduo orbe disposito, idque per litteras [1], paratisque his partibus et ad auxilium eius mei commilitio copulatis, gratiam reliquis eius studii fecisse, contentum his modo qui mecum a Macedonia inierant hunc laborem, quorumque comitatu Europa nobis omnis accesserat. Sed ex his omnibus Thebanos quidem non levi de causa occidione interemi: de Atheniensibus vero spes mihi erat dextros mihi satis et obsequentes futuros. Enim cum secus dictis vos insolentibus velitatos audierim, accipite sententiam meam non verborum scilicet agmine gloriantem (quod [c] decentius fieret a potentiore) verum uti sciatis, boni vos consulturos, si praeceptis mandatisque nostris libentem operam commodetis. Aut enim melio-

(a) Cod. *quod.* (b) Ita cod. (c) Cod. *sed.*

(1) Recole lib. I. ad cap. 22. p. 82. n. 1.

res esse oportet, aut melioribus obsequentes [1]. E qua re mille annua talenta dependi mihi ab Atheniensibus iubeo „.

3. Ad haec illi rescribunt. " Non nos diffitemur et patris tui vita diu offensos, et eius morte gravisos esse [2], quod idem iam coepimus de te quoque velle, iuvenis inconsultissime, cum tibi ab Atheniensibus dependenda mille talenta scripseris, uti scilicet inter nos principium bellandi pareres [a]. Quod si tibi tanta est confidentia, paratioribus occursabis„. His rescribit Alexander in haec verba. " Iam miseram Leontam qui vos excisos linguis ulcisci vecordiae potuisset, vestrosque una oratores ad me perducere. Enim consultius visum est ipsum me ad evertendas Athenas protinus militare, quia iussis nostris adiecerint [b] contumaciam. Si igitur huic experimento consulitis, decim [c] oratores vestros [3] ad me deduci patiemini. Hoc enim modo reliquorum urbis vestrae habebitur ratio „. Hisce Alexandri litteris cum hoc tantum, non se facturos esse snperscripsissent, eandem epistolam referri protinus mandavere. Quae causa cum mox curiam contraxisset, deliberatione praesentium necessaria, orator Aeschines [4] in haec verba concionatus est.

(a) Cod. 2. manu *parares*. (b) Cod. *abiecerit*. (c) Ita cod. *decim*.

(1) Eadem sententia est lib. I. 22.

(2) Consonat Diodorus XVII. 3.

(3) Alexandrum petivisse ab Atheniensibus ut sibi decem oratores dederentur, scribunt etiam Diodorus XVII. 15, et Iustinus XI. 4.

(4) Alexandro studuisse Aeschinem, constat ex eius oratione *in Ctesiphontem* cap. LII. Quae nunc sequitur apud

4. "Etsi video, Athenienses viri, quantum nos impendeat ex praesenti [1], propiusque et saluti vestrae [a] communi et voluntatibus [b] stare (*non*) dedi [c] nos [2] Alexandri voluntati; tamen conprehendisse me sentio, nihil [d] neque commodis vestris neque quod ad nos pertinet saluti propius videri, quam si [e] in hac sententia perseveretis uti conditionibus regiis praeceptisque pareamus. Non enim inani iactantia periculum periclitandi videor mihi hanc fovere sententiam, sed quod intuear spe cupiti firmiorem [f], cum et Alexandri institutionem et Philippi vehementiam recordor atque considero. Etenim Philippo adrogantiae mos proprior erat, Alexandro vero adsunt Aristotelis disciplinae. Neque in hoc ducor [3], ut qui illius educationibus laborarit [g], non his reverentiam deferat, a quibus ortae sunt sibi hae disciplinae, ipsique ars regnandi sit tradita. Quare fiet profecto ut omnem intentionem animi, quam ad nos armasse videbatur, in benivolentiam protinus vertat, nisi mavultis [h] mage arma hominis experiri ".

(*a*) Cod. *salute vestra*, sed mox inferius *saluti*. (*b*) Ita cod. *voluntatibus*. (*c*) Cod. heic *didi*, sed cap. 7. *dedi*. (*d*) Τὸ *nihil* suppleo ex alio codice. (*e*) Cod. *quasi*. (*f*) Cod. *formiorem*. (*g*) Cod. *laboraret*. (*h*) Cod. *mavult*.

---

apud Iulium Valerium eius oratio in eamdem sententiam conspirat.

(1) Sensus est: *etsi videtur multum nobis malorum impendere* etc.

(2) Nempe nos oratores, quos sibi dedi postulat Alexander.

(3) Nempe *fallor*.

5. In hanc fere sententiam cum Aeschines perorasset, Demades [1] enimvero oratorum viribus haud contempnendus intervenit atque hinc exoritur [a]. " Quousque tandem, Aeschines, meditatis hisce et ad mollitiem effeminatioribus verbis timiditates nobis et dissolutiones Atheniensibus struis, territans nos et avertens a belli studiis, quibus inclyti semper atque inopinabiles fuimus? Aut quae te tam infesta caelestium vis in haec verba sollicitat, cum tu suaseris et merito olim constanterque persuaseris arma nos sumere adversum Persas [2], et in illa tot hostium milia instructos ferme sola animi virtute militasse? At nunc contra, quasi intentus [b] arcus, sic idem obfirmatas sententias nostras remittendas ac relaxandas putes? Censes ne igitur vitandam declinandamque nobis pueritiam cum tyrannide, duo nomina inconsultissima, freta te-

(a) *Exorditur?* (b) Cod. 1. manu *intentos*, 2. *intentus*.

(1) Demades apud Iulium Valerium bellum in Alexandrum decernit: verum alii auctores plerique paci illum potius studuisse confirmant: et quidem id ipse ait Demades in orationis fragmento quod sub eius nomine circumfertur. Livius tamen IX. 18. ait: *adversus Alexandrum Athenis in civitate fracta Macedonum armis, cernente tum maxime prope fumnntes Thebarum ruinas, concionari libere ausi sunt homines', id quod ex monumentis orationum patet.* Sed enim nulla extare scripta Demadis Cicero (*Brut.* IX.) et Fabius (*Inst.* XII. 10.) tradunt. Quare et haec, quam nos edimus, concio tota ex Historici ingenio procusa videtur.

(2) Nempe, ut arbitror, cum olim agebatur de summo Graecorum imperio deferendo ad Philippum belli persici causa suspiciendi.

meritate sola et audacia patris confidentissimi? Deinde illi nos horum tela atque aciem perhorrebimus, qui Xerxae milia verterimus, Lacedaemonios vicerimus, Corinthios [a] straverimus [1], Megarenses [b] in fugam verterimus [2], Zacynthios exciderimus [3]? Nosne ergo Alexandro illi quem dixi, ut Aeschines suadet, vitabimus obviare?

6. Enimvero, ait, memorem illum magisterii vestri disciplinarumque, quas apud nostros peritos acceperit, et pudore flectendum et reverentia molliendum, vultusque ipsos nostros religione praeteritae consuetudinis minime aspernaturum. O rem ridiculam, et puerilis medius fidius abiectaeque sententiae! Absentes nos contumeliis lacessivit, et ad supplicium dedi sibi tyrannico spiritu postulat, et interitui nostro [c] civitatisque praeludit exitio [d] is, a quo praesenti nobis humanitatem istam et amicitiam hariolamini. Neque illud mage nunc ante oculos venit, Stasagoram nostrum Plataeensium magistratu deiectum? in cuius scilicet contumelia nostra iniuria continetur: quod illud quidquid nostrum universitati moliatur, in illo priore signaverit. Is ergo expectabitur ut praesentia nostra moveatur, quem Stasagorae purpura et magistratus fascesque [4] minime moverunt? Cum in illius unius nominis dignitate pue-

(a) Cod. *Corinthos*. (b) Cod. *Magero*. (c) Cod. *iter nostrum olim*. (d) Cod. *exitium*.

(1) Diodorus XI. 79..

(2) Idem XIII. 65.

(3) Idem XV. 45-46.

(4) Cod. *faces*. Sed dic *fasces* ῥωμαϊκῶς. Nisi forte mavis respicere ad illud Horatii lib. I. *Satyr*. V. 36.

Praetextam et latum clavum prunaeque batillum.

ro isti universae Atheniensium curiae [a] maiestas obviaret, atque oculis eius sese et vultibus ostentaret, siquid tamen recte sapere didicisset? Is ergo nostram praesentiam mitius opperietur? An mage cum semel in eius manus potestatemque venerimus dedet suppliciis ultionibusque poenalibus? Et haec quidem sint dicta de moribus.

7. Huc tamen addite aliquid etiam de eius aetate, in qua aestimatu perfacile est, quod illa dimicare forsitan confidentius, consulere dementius possit. Enimvero, ait, Tyrios excidit: neque enim poterant illi forsitan restitisse. Thebanos evertit, non [b] illos quidem incertes aut belli artibus alienos, sed enim frequentibus admodum discriminibus fatigatos. Peloponnesios, ait, captivitate subiecit, neque hoc addit, non bello non telis, enimvero lue corruptos et fame. Hic nunc, si placet, hic sane proferte in medium nostra Xerxique [c] experimenta, qui mare molibus presserit, qui altum illud navibus straverit, qui terram illam omnem exercitu suo texerit [d], qui aëra ipsum telis iaculisque velaverit. Deinde illum quidem Persen adeo spirantem et confidentem abegimus, incensis eius navibus aut etiam superatis: et tot illa milia exercitus ab hac civitate reppulimus, Cynaegiro et Antiphonte et Mnesicharmo aliisque non multis illi violentiae occursantibus. Nunc autem nos, quorum duces roburque virium enumerare difficile est, reniti Alexandro declinabimus [e] puero confidenti et hisce noxiis [f] satellitibus, qui inpru-

---

(a) Cod. *carae*. (b) Cod. *nam*. (c) Superius cap. 6. *Xerxae*, at hic *Xerxi*, quod retineo propter exemplum Itinerarii cap. 28. (d) Cod. *exerit*. (e) Cod. *declinavimus*. (f) Cod. *noxi*.

denti inprudentius obsequentes temeritatem eius praecipitare mage poterunt quam fulcire ?

8. Ad quos [a] id per Deos deliberate) quid tandem destinandos Aeschines censeat decim pariter oratores? Eos ne omnes quorum singulis saepe salutis vestrae consilia rexistis? Neque hoc videtis Alexandrum vobis subtili quodam et clandestino consilio monstrasse, quid illud sit tandem quo ipse quoque intelligat se disparem Atheniensibus fore? Quippe cum in rebus agendis belliicisque pariter atque civilibus omne factum fundari stabilirique videatur utilitate consilii, ut tunc demum rectius atque consultius manuum opera subsequatur; id ipsum vobis avertere ac praevenire conatur; ut veluti inermem ratem sollertia gubernantis, sic vos urbemque Atheniensium totam desertos consiliariis vestris opprimat et incurset. In quo (ne quid de [b] militibus) de oratoribus dixerim: equidem puto vel canes decem solo latratu suo et infestissimis lupis et ceteris bestiis terrori esse, etiamsi in illos dentes nil valeant; hisce vero quiescentibus aut facessentibus, vel ignavissimam bestiam totis gregibus perniciosam satis atque infestam esse consuesse [1] „.

9. In hanc fere sententiam Demades dixerat. At vero Athenienses Demosthenis tunc consilia flagitabant, quod scilicet eius viri orationisque maiestas saepe eorum commoda consiliaque rexisset. Cum is [c] orator consurrexisset, manuque de populo tumultuante silentium po-

---

(a) Cod. *ad quosque*. (b) Cod. *ne quidam*. (c) Cod. *huius*.

---

(1) Demadem de non tradendis Alexandro oratoribus psephisma tulisse ait Diodorus XVII. 15.

poscit, in haec erupit. "O cives viri (placet enim in praesenti vos hac communi nostrum appellatione nominare, ut scilicet sub nomine adfectus huiusmodi intelligi promptius sit, quidquid omnium dixero, id non meo mage, quam communi scilicet vestrum commodo profuturum). Agitur enim haec, ut video, curia super tractatu [a] utrum ne vobis arma adversum Alexandrum sumenda, an vero nobis eius conditionibus obsequendum. In quo quidem accedere me laudareque Aeschini [b] sententiam non segniter profitebor [1]. Usus est enim oratione admodum modesta et temperatissima, ex qua videtur neque viribus nostris diffidere si bellandum foret, neque contemplatione harumce praesentia commoda neglexisse.

10. Enimvero quoniam haec illo dicente a multis audio sic accepta ut segnis cuiusdam et alieni de bello sententiam; interim nunc ad orationem eam transeam, qua Demades usus, robustus sane ille vir ac disertissimus ita in suadendo peroravit, ut nos putaret exemplis olim felicium gloriarum ad praesentia quoque pericula producendos. Ait enim nos Xerxem finibus eiecisse, Cynaegiro [2] scilicet duce et hisce qui una cum ipso militabant. Ad quam partem orationis quae-

(a) Cod. *tractu*. (b) Ita cod. heic et infra, ut superius lib. I. cap. 47 *Achilli*, et inferius *Demostheni*.

(1) Demosthenem adulatum esse interdum Alexandro eiusque partibus studuisse, testatur Aeschines *contra Ctesiph.* cap. LI. Sed longe pluribus veterum testimoniis constat Demosthenis odium perpetuum adversus Alexandrum.

(2) De Cynaegiro Herodotus VI. 114, Iustinus II. 9, Valerius Max. III. 2. 22, Ammianus XXIV. 6.

so, Demade, ut paulisper ea, quibus magnopere consulebas, mecum conferre tractareve ne dubites. Quid enim tandem mihi diceres, si a te exactnm iri vellem, uti tales aliquos etiam nunc mihi duces promeres, ac tunc demum in Alexandrum hortarere? Quod si illi non assunt tales aut tot, utique nobis quoque sunt consilia tutioris commodi volutanda, considerandumque prae omnibus, an [a] praesentibus commodis periculorum gloria praeoptanda sit. Non enim si orationis plusculum in curiam detulerimus, aut compta satis atque ornatiora verba prompserimus, exim nobis aliquid virium accessurum est, et arma fabricata [b] nova de verbis.

11. Addis magnum illud et potentissimum regem Xerxem fuisse, sed eundem nostro apparatu superatum. Donamus. Et quamquam [c] haud dubium profitendum sit nos illius viribus minores longe fuisse, consilio vero vel prudentia potiores; nunc tamen intelligo videoque ne illud quidem Alexandro deesse, quo a nobis Xerxes potuerit superari. Tredecim ferme iam numero eius bella [1] pariter et victoriae numerantur, civitatesque illi innumerae, quin immo provinciae consensere: aut quae contumacius sponte cedere detrectaverint, subiugatae [d]. Quae quam dant consilii summam [e]? an nisi ut periculo careamus? Videlicet Tyrii inbelles, ut ait Demades, fuere et idcirco superati. Illi sunt Tyrii qui adversum classem

(a) Cod. *ut*. (b) Cod. *fabrica*. (c) Cod. *et quam*. (d) Cod. *subiugare*. (e) Cod. *consilii sui*.

(1) Nempe *pugnae*.

innumeram Xerxi confidentissime restiterunt atque eam deinceps incenderunt. Inermes, inquit, Thebani. Illinc qui omne aevum omnemque aetatem suam non in bellis modo verum in victoriis consumpserunt [a]?

12. Addit etiam, Peloponnesios non ab illo victos, sed fame lueque superatos: quibus quidem Peloponnesiis Alexandrum satis constat frumenta quoque laborantibus direxisse, adeo ut Antigono duce Alexandri resistente quod hisce vires et alimonias destinaret, cum quibus mox foret bello et proeliis decernendum, Alexandrum respondisse sit palam [1]: ut, inquit intrinsecus eos et inter se decertantes bello vincam, nec gloriae meae palmam luis sibi aut famis nomina vindicent. Et haec quidem ita sint. Mirari tamen vos interim non oportet, Stasagoram magistratu esse deiectum, cum indignatio illa vobis utilitatique communi proficiat. Nam si atheniensis Stasagoras aeque ac [b] sacerdos illa templi nostratis est, quam magistratus ille privaverat sacerdotio; nonne praevenisse indignationem vestram et sententias videtur Alexander, cum illam iniuriam in auctorem vertit, quam Stasagoras fecerat in sacerdotem? omniaque quae illi in contumeliam nostri fecerit proinde ultus sit, ut a nobis quoque ulciscenda esse praesumeret „?

13. In hisce etiam nunc Demosthenis oratio versabatur, et adclamatio protinus nimia Amphictyonum [c] erat, et tumultus incongruus, ac Demadi silentium iubeba-

(a) Cod. *consenserunt*. (b) Cod. pro *aeque ac* habet *quam*. (c) Cod. *Antifictionum*.

(1) Nempe *notissimum*.

tur: laudari vero nonnunquam Aeschines ab optimo quoque. Sed enim consurgens ait (*iterum Demosthenes* [1]). "Xerxem maria quidem muro munisse, profundum etiam navibus constravisse, exercitu Graeciam conplevisse, aëra ipsum subterstravisse iaculis et sagittis, gentem Persidos denique superduxisse captivitatibus Graeciae. Laudamus ne igitur eius potentiam qui haec fecerit? an exsecramur, quod urbes Graeciae spolians suam barbariam frequentaverit? Quid ergo ad haec exempla Alexandrum provocamus? qui Graecorum quidem quisque sibi restiterit non captivitate duxerit, sed victoriae liberalitate correxerit, unaque secum coëgerit militare, professus palam id esse votum regno et potentiae suae ut amicos quidem adficeret beneficiis, inimicos vero transduceret ad amicitias. Quod si id illi votum et propositum fuit, Athenienses nos qui amici Alexandro fuerimus, qui magisteria nostra eidem praciverimus, inimici tanto viro quod [a] malumus esse quam amici, id vero ego dici turpe Atheniensibus puto, fieri posse porro non arbitror. Turpe enim est, nos quidem, qui illi magistri fuerimus, consilio inprudentissimo deprehendi; illum autem [b], qui a nobis has scientiarum artes acceperit, prudentia nos et sapientia praevenire.

14. Sed haec omittamus. Ad illa nunc animos advertite. Quis rex tyrannus vel quis Graecorum im-

(*a*) Cod. *vero quo*. (*b*) Cod. *tamen*.

(1) Cod. sic: *sed enim consensus. Ait 'enim. Xerxem* etc. qui est locus sine dubio corruptus. Constat autem ex cap. 20. Loqui heic iterum Demosthenem.

perator Aegyptum aliquando aggredi aut irruere ausus esset, quod ille solus cum Deorum auctoritate fecisset? Clementia sua seapse sic et beneficiis commendavit, ut tantam illis [a] urbem condiderit ac fundaverit, quantam in omni terra nullam fama [b] distulerit. Idque in his regionibus factum quae nuper agere sub ditione [c] Persae videbantur. Enimvero ipsis indigenis id petentibus ac deprecantibus, qui cum Alexandro belli fortunam subire deligerent, ille Alexander, ille, inquam, quem vos mente captum et percitum nominatis, hac Aegyptios oratione [1] compressit qua diceret, idcirco se illis tantam civitatem urbemque condidisse, ut ipsis exercentibus terram et quieti indulgentibus ac remissis, ille pro universis subditis militaret.

15. Perfecit igitur partim experimentis et ostentatione virtutis, partim ratione pariter et oratione prudenti [d], ut non solum parere ei libentibus sit Aegyptiis [e], verum etiam ad ea pendenda quaecunque sint regibus necessaria faciles animos habeant et voluntatem. Vident denique quanta [f] primus omnium apud Aegyptum imperii sui iecerit [g] fundamenta. Quod enim exercitûs milia urbs illa alere possit haud dubium est: neque his modo sufficiens quae moenibus suis atque gremio teneantur, sed procul etiam laborantibus et dimicantibus idonea sustentatrix una viris unaque his omnibus quae sint multitudini necessaria, opulens et

(a) Cod. *tantum illos.* (b) Cod. *quantum sub omni terrarum nullam famam.* (c) Cod. *dictione.* (d) Cod. *prudentiae.* (e) Cod. *Aegyptus.* (f) Cod. *quae tanta quae.* (g) Cod. *eiecerit.*

(1) Recole lib. I. cap. 34.

abundans, facilis ad obedientiam regis, prudentia eius scilicet qui sic instituerit (*ad*) obsequium mores. Alimoniam [a] petit? protinus parent. Auro indiget? sunt vectigalia ditia. Militem quaerit? animis volentibus praesto sunt. Et hisce nos opponemus periculum nostrum, quibus utique per concordiam copulati auctiores esse instructioresque poterimus? Lacessitis vero, nequid infaustius dicam, semper in armis et proeliis„? In hanc sententiam Demostheni [b] omnis Atheniensium numerus congruebat. Decernit denique coronam auream Alexandro esse mittendam pondo ·L· consultumque ordinis fit [c] quo gratiarum actio videretur [1], una legatis qui honorantissimi [2] forent eius urbis, dummodo ab illa oratorum transmissione temperarent. Profecta ergo legatio [3] cum apud Plataeas regem Alexandrum offendisset, insinuassetque mandata, et Demosthenis una suasione consensum Amphictyonum [d] universorum; ad eiusmodi responsum regis benivolentia protinus transfertur [e].

16. "Scriberem vobis Atheuienses ut rex, sed ab hac me appellatione distulerim, donec omni barbaria subiugata effectus [f] hic meus nomini graeco proficiat. Enim quoniam iampridem scripseram decim oratores vestros ad me destinari, quod eorum culpa inobsequentiae ar-

(*a*) Cod. *alimonia*. (*b*) Recole cap. 9. p. 141. n. b. (*c*) Cod. *sui*. (*d*) Cod. *acfactionum*. (*e*) *transferri*. (*f*) Num *affectus*?

(1) Nota putum hellenismum, nempe ex *εἰδέναι χάριν*.

(2) Cod. 1. manu *honorantissimi*, mox expuncta est altera *n*. Mihi quidem veniebat in mentem latinum illud *desiderantissimus* pro *desideratissimus*, et similia alia.

(3) Confer Diodorum XVII. 15, Iustinum XI. 4.

gueremini, scire vos par est, non eo me istud consilio fecisse quo potentiam meam in eos, quorum disciplinis institutus essem, aliquis experiretur: etenim si id facto opus esset, utique una cum exercitu martioque terrore ad vestra moenia transcendissem. Sed quoniam haec ostentatio inimica vel hostica est, idcirco prudentissimos vestrum convenire couloquio meo malui, ut cum his communis commodi disceptator subsicui [a] metus vos formidine solverem. Enimvero vos qui conscientia premeremini, nihil omnino semel [b] erga mea obsequia consultantes, quin etiam explorantes idoneum tempus quo meos Macedonas infestaretis [1], id animi prodidïstis, quod adversum nos tunc etiam habuissetis, cum patre meo Zacynthios oppugnante auxiliatores diversae parti fueritis. Contra autem vos (*cum*) a Corinthiis oppugnaremini, Macedonum auxiliis et suffragiis potiti, Corinthiorum vim a vobis repulsam esse meministis. Rursusque nobis Minervae simulachrum ritu nostro erigentibus in Macedonia, vos simulachra et imagines patris mei e templis ac sacris vestris deponendas esse dixistis. Egregiam igitur vicem pro tot et talibus beneficiis a vobis accepimus!

17. Quare profecto vos etiam ad praesentem discordiam memoria iniquitatis vestrae ducebat, non sinens utique animo nostro benignitatique confidere, ob id vel maxime, ne quando maiestate hac regia sublimatus, ad ultionem praeteritae iniuriae magis quam ad affectum civicum raperer. Verum id neque mihi a [c]

(*a*) Ita cod. (*b*) Cod. *sem.* (*c*) Cod. *ad.*

(1) Vide Iustinum XI. 2.

natura est, neque civica religio permittit qui et apud vos studuerim [a], et ipsi atheniensem esse malueritis, et ego nomine hoc participato me glorier gloriatusque sim. Enim intellego naturale vobis esse sic sapere, cum praeterita quoque exempla in eos, quorum consiliis uteremini, hostili vos animo fuisse testentur. Sic Euclidem praedicatum [b] apud vos sinceritate suadendi clausum carcere necavistis. Sic Demosthenem porro, cuius urbs vestra oratione pariter staret et cura, in exilium proiecistis. Tum Alcibiadem legationes vestras naviter apud Tyrum et efficaciter persecutum curiae vestrae consortio abrelegastis. Sapientiae denique totius apud vos Socratem magistrum iniustissima morte multastis. Ingrati Philippo qui tribus bellis auxilio vobis et subpetiis fuit: quique queramini de Alexandro velut ob Stasagorae iniuriam, quae omnis vindictae vestrae profecerat; idem enim Stasagoras sacerdotem atheniensem sacerdotio privaverat.

18. Enimvero quoniam ista haec [c] nunc omnia ex animo et memoria nostra placuit aboleri, sic vobis ad praesentia mihi responsum habetote: probatas mihi satis laudatasque esse suasiones Aeschini: Demadem quoque non inprobari, quod constantiam suam civibus curiae probatam vellet [d]: sed enim laudari praecipue Demosthenem, qui unus verae utilitatis et commodi vestri tenax, ea vobis quae essent ad amicitiam nostram suaserit. Sit igitur Atheniensibus dignitas qui [e] eluebant [f], neque ex me quicquam

(a) Cod. *permittit quoque apud vos studentem.* (b) Cod. *praedicatu.* (c) Malim *istaec.* (d) Cod. *vellam.* (e) Cod. *quae*, mox factum videtur *qui.* (f) *eluebat.*

dubium formidaverint [a], cuius haec est vel maxima summa sententiae, ut cum mihi adversum barbaros pro libertate communi bellum et inimicitias elegerim, eam praecipue urbem Atheniensium tuear, quae theatrum quoddam et communis curia videatur esse Graeciae universae „.

19. Cum in hanc sententiam Alexander Atheniensibus respondisset, collecto exercitu Lacedaemona proficiscitur. Id enim sibi vel opportunissimum tempus Lacedaemonii adrogabant, quo virium suarum potentiam demonstrarent, (*si*) inimicitias ocius [b] quam concordiam tunc Atheniensium civitas maluisset. Adventanti igitur Alexandro ad urbem suam obiecta sunt claustra portarum, classemque armis et militibus instruxere quod utrimque terra vel mari formidolosos se fore Alexandro arbitrarentur. His rex conpertis, primum ad eos per epistolam [1] loquitur, qua moneret uti boni consulerent, eamque gloriam bellicam quam maiores sibi strenue peperissent, nullo turpi periculo amitterent solverentque. Etenim siquid eorum fortuna in praesentibus vacillaret, cunctae quoque priscarum memoriae gloriarum una sibi periturae viderentur: eventurumque profecto, ut dum Atheniensibus obstinationem suam pergerent ostentare, risui potius inimicis, quam periculo

(a) Cod. *formidaverit*. (b) Cod. *Inimicitias ovius concordiam*.

(1) Cod. *eplam.* Lego autem *epistolam* non *epistulam*, quia cum *o* scribitur inferius lib. III. Quamquam *epistulam* constanter occurrere in antiquioribus codicibus variisque monumentis ipsemet comperi.

hostibus forent. Igitur oportere eos, navibus derelictis armisque depositis, amicitiae suae potius quam armorum capere experimentum. Ceteroqui siquos sententia melior indidem non deduxisset, flammis et incendio deponendos.

20. Acceptis igitur hisce mandatis non modo flexi Lacedaemonii non sunt, sed [a] confidentius in arma concurrunt [b]. Coepto autem [c] atque exercito per biduum proelio, non difficile Alexandro fuit flammis iniectis excidii periculum Lacedaemoniis ostentare. Quare tunc demum subplices summissique, ne illud excidium sibi et captivitas perseveraret, procedunt. Ad quos rex ait: "Equidem scio, me integris etiam tunc redditis haec consulere voluisse; at enim vos cum post classis vestrae [1] urbisque incendia supplicetis, non im-

(*a*) Cod. *sed ut*. (*b*) Cod. *non currunt*. (*c*) Cod. *tamen*.

(1) Navalem quidem victoriam Alexandri de Lacedaemoniis memorat Suidas voc. Ἀλέξανδρος his verbis: *ὁ μέγας Ἀλέξανδρος νικήσας ναυμαχίᾳ Λακεδαιμονίους, καὶ τειχίσας τὸν Πειραιᾶ καὶ ἑκατόμβην θύσας, πάντας εἱστίασεν Ἀθηναίους*: *magnus Alexander quum Lacedaemonios navali proelio vicisset, et Piraeeum muro cinxisset, hecatombenque immolasset, omnes Athenienses convivio excepit*. Quamquam igitur etiam Suidas Alexandrum triumphasse de Lacedaemoniis ait, ego nihilominus arbitror Iulium Valerium Antipatri potius victoriam de Lacedaemoniis conferre studiose vel mendose in Alexandrum, etsi hic eo tempore asiaticis bellis procul Graecia occuparetur. Reapse Alexander visus est eius victoriae gloriam Antipatro invidere: quare Antipater cui spiritus regis probe notus erat, ut inquit Curtius IV. 1, *non est ausus ipse agere arbitria victoriae, sed concilium Graecorum quid fieri placeret consuluit. A quo Lacedaemonii, nihil aliud quam ut oratores*

probo vel serum paenitendi consilium. Sed enim utique vos exempla ducebant perinde arma nostra ut Xerxi persica posse propelli. Sat igitur sit quid de utroque diversum fortunae senseritis „. Et cum his dictis facessere protinus militem suum ab expugnatione urbis Lacedaemonis iubet, liberamque eam et ad formam pristinae maiestatis civibus haberi permittit.

21. Tunc rebus Graeciae sic conpositis, ire in barbaros tendit itinere per Ciliciam ordinato. At vero Darius conductis in unum satrapibus universis et ducibus bellandi consilia quaerebat, frequenter admodum recolens ut se opinio super Alexandro frustrata foret. Quippe illum incrementis bellicae rei audiebat cottidie sublimari, quem saepe latruunculum nominasset: neque iam sese nescire anceps sibi et viribus hostium et imperii maiestate fieri certamen. Quippe etsi sibi [a] auctior numerus militantium obsequeretur, audaciam tamen fortitudinemque se Alexandri demirari. Denique pudorem suum haud dubie fatebatur, quod ei viro pilam habenamque misisset [1], quae cuivis magis quam illi ad virtutium [b] meritum iusta [c] essent. Ergo iubebat omnes in commune consipire quid facto melius repperissent. Neque enim cessatione aut desidia opus esse, in hosce provectus Alexandri virtutibus procurrentibus, cumque in sese paulatim vices utriusque nominis demu-

(a) Cod. *et sibi*. (b) Ita cod. Recole Itinerarium cap. 48. (c) Cod. *iuxta*.

mittere ad regem liceret precati, veniam defectionis praeter auctores impetraverunt.

(1) Lib. I. cap. 37.

tarent, quas sic in contrarium resultare [1] non absque divina providentia arbitrabatur [a], ut omne illud diadematis [b] persici decus ferme iam in macedonica regna transisset. Et haec quidem Darius ad suos.

22. At vero eius frater Oxyathrus velut indigna mage quam si vera dicerentur "heu, inquit, o frater o rex, quid hoc tandem rei est quod tantum Alexandro isti laudator [c] testis accedis? Anne, inquit, haec tibi iam meditata sententia est, ut illi regno tuo cesseris, Macedoniam eius tibimet non vindicaris? Quin potius imitare industriam hostis tui: quod ille facturus ad nos pergit ac properat, id nos bellum Graecis inferamus. Neque ego hoc in loco ut ignaviae testis Alexandrum deformavero: quin [d] hortor uti exemplis eius utare tu quoque. Tu [e] illum videas nec ducibus nec praecursoribus confidentem, sed sibimet laboris omnis officia vindicantem, haec agere quae tanta sunt: quae tu quoque, si recta sapias, per te feceris. Viden ut primus irruat in proelia? prior intonet bellicum? prior periculum subeat? depositis quidem insignibus regiis dum est miles [f], recuperatis vero cum victor est: nihilum omnium cunctabundus aut differens: enimvero labore praesenti semper consilia subsecutus„.

23. Ad haec Darius, et ubinam, inquit, haec tibi de Alexandro est conprehensa noticia? Tum Oxyathrus eius temporis memoriam refert, quo [g] ad Philippum

---

(*a*) Cod. *arbitrabantur*. (*b*) Cod. *dediadematis*. (*c*) Cod. *salvator*, sed alius codex lat. *laudator*. (*d*) Cod. *quae*. (*e*) Cod. *tum*. (*f*) Cod. *milia*. (*g*) Cod. *quod*.

---

(1) Lib. I. cap. 40.

missus petitum pecunias, ab Alexandro adulescentulo etiam tunc minas eiusmodi excepisset, quas de praesentibus experiretur [1]. Quare boni consuleret rex Darius, et (*per*) satrapas omnium gentium, quae velut idem cogi possent, exercituum milia laboraret, non Parthis scilicet Elamisve, non Babyloniis aut Mesopotamiae, data militiae evacatione [a]. Enimvero armanda tum Bactra, Indos etiam et Samiramidos [b] regna censebat, omnesque centum et octoginta [2] gentes, quas sibi subditas sciret, ad conmilitium exercitare [c], ut si nihilum amplius, certe vel ostentatio multitudinis terrore quodam Graecorum animis obsisteret [d]. Haec sententia placebat quidem admodum regiis, et adstipulabantur etiam plerique praesentes, nisi quod eis [e] unum esse prae ceteris viribus penes Graecos constabat, quod plus prudentia mentis quam valentia corporum possit [3]. Ergo secundum haec Darius iubet omnem undique armatam multitudinem convenire.

24. Alexander vero iter per Ciliciam agens, cum multum spatii sub aestivo sole armis onustus pedibus exegisset, forte Cydnum haud cuiquam secundum flumen vel magnitudine vel perspicui agminis nimio rigore cum ponte transiret, delectatus eius evidentia

(*a*) Ita cod. *evacatione*. (*b*) Cod. *Saramidos*, ita ut legendum videretur *Sarammidos*. Sed vera lectio *Samiramidos* cognoscitur ex fine epistolae Alexandri ad Aristotelem et seqq. in tertio libro. (*c*) Ita cod. *exercitare*. (*d*) Cod. *animus obsistere*. (*e*) Cod. *eos*.

(1) Recole lib. I. cap. 16.

(2) Atqui lib. I. cap. 42. dicuntur *centum atque viginti*.

(3) Respicit Auctor tritum Euripidis apophthegma.

pariter et magnitudine, una cum armis praecipitat ponte ac natabundus exit. Sed id factum etiamsi eius ad testimonium fortitudinis plurimum contulit, valitudinem tamen discriminosius vicerat. Quippe calente etiam tunc et sudante corpore incidens aquae illius vehementiam vel rigorem, tantam nervis iniuriam perniciemque tradiderat, ut undique protinus doloribus concurrentibus morbi causa contracta vix expiabilis videretur. Quare cum tempus plurimum laberetur, neque medentibus sedulo [a] curatio illa pareret, Philippus quidam [b] nomine sciens artis [c] eiusdem et sedulitate acceptissimus regi, conficit || [1] poculum regi quod ei plurimum profuturum dixit. Id cum die statuto Alexander hausurus [d] esset, Parmenon Philippo medico infestus, litteras mittens monet Alexandrum, ut ab hoc se poculo temperet, dicens eum id eius rei causa fecisse, ut saluti insidiaretur, sororemque Darii cum parte regni eius rei mercedem esse accepturum: verum Alexander suspectans litteras ad caput lectuli ponit; cumque poculum haustu admoveret, dat Philippo epistolam legendam. Denique cum curatio illa ad pristinum statum Alexandrum deduxisset, mox Philippus ultionem mandati [e] quaerit; rexque Parmenonem protinus poena capitis dependit.

(a) Cod. *mentibus*. (b) *Quidam* suppletur ab alio codice. (c) Cod. *artem*; vel dic *artem eiusmodi*. (d) Ita cod. non *haustnrus*. (e) Cod. *mandatii*.

(1) Lacunam unius quaternionis, qui in mediolanensi codice desideratur, suppleo ex vaticanis duobus codicibus paulo tamen contractius scriptis.

25. Igitur recepta valitudine Alexander per Medos exercitum ducens, laboriosum nimis iter per desertum emensus est. Sed cum omnis Darii exercitus iuxta Tigris alveum locaretur, et adventum Macedonum expectaret, nec dubitans Alexander instructa acie obiecit sese hostibus: coeptoque conflictu frequentique re bellica, unus e Persis indutus macedonicis armis Alexandrum infestans ferit [1]. Sed ictus ille propter galeae fortitudinem frustra habitus dissilivit, confestimque ad comprehendendum virum satellites properant regique eum offerunt; a quo cum requisisset causas huius facti, ait: primum quidem, o Alexander, scias me non ex numero tuorum militum esse; enim vero Persa vestralibus armis indutus dignitatem huiusmodi apud Darium pactus sum, ut si te interfecissem, partem regni eius cum filia ad coniugium promererer. Quae profecto fierent, nisi tecum fortuna magis quam mecum stetisset. His Alexander auditis, promissi et audaciae laudatum, ad propria redire concessit. Deinde *quum* collecta innumerabili multitudine exercituum iam propius *Darius accederet*, *Alexander ingentem vim* armentorum comprehendi iubet, eorumque cornibus et caudis ramos frondentes alligari; utrumque spectans [2], ut et cornibus erectis silvestrem quamdam speciem agerent, et tractis ramulis, qui in caudis ferebantur, pulvis excitus dinoscentiam veri eminus ostenderet. Ex hoc pulvere nebulaque obstupefacti Persae veluti ad opinionem magni exercitus stupore defixi sunt.

26. His ergo ferme diebus Alexandro bonum visum est, ut ipse pro sese internuntius ad Darium iret. Comita-

(1) Aliud codex: *Alexandrum a tergo iussus est ferire.*
(2) Cod. *mutatus.*

tus ergo Eumedio [1] uno satellite ad Strangam [2] fluvium devenit; qui fluvius plerumque ex vehementia nivium adeo stringitur, ut etiam carris honustissimis viabilem sese praebeat; unde et tunc gradibilis Alexandro fuit. Ibidem ergo Eumedium subsistere, atque expectare se iubens, ipse uno usus equo coeptum iter agit, tentoriaque adiit Darii. Sed forte Darius tunc praevidendi exercitus sui causa processerat, cui revertenti obvius factus Alexander ait: en tibi adsum internuntius Alexandri quidem, cuius mandata sunt talia: ego, inquit, arbitror, eum regem, qui minus festinanter tendit ad proelium, sui ignaviae et diffidentiae testem esse. Quapropter respondeto, quod tempus agitandi proelium dederis nobis. Tum Darius; numquidnam, inquit, tu ipse ades Alexander, qui nobis adeo constanter confidenterque bellum indicis? Negat ille sese Alexandrum fuisse, enimvero eius internuncium. Post haec rex adprehensa manu Alexandri secum in regiam deducit. Igitur ubi tempus caenandi fuit, rexque accubuit, ceterique iuxta quod eis mos erat, iussus quoque est Alexander sedere, atque adversum Darium discumbere; contigitque eum ibi aliquid facere memorabile. Nam quodcumque vas ad bibendum sumpsit, ebibito vino, vas sibi in sinum recondebat. Quod cum Dario a ministris indicaretur; prosiliens ille furore plenus: quid, inquit hoc est, quod pocula oblata furtim avertis? Respondit Alexander, o rex, morem aestimans hic nostri Alexandri servari, id quod apud nostros didiceram exsecutus sum. Nam principi-

(1) Alius cod. *Eumedio atque alio satellite.*

(2) Strangae huius fluminis mentio fit in Archelai cum Manete disputatione a Laurentio Zacagnio edita *Monum. vet.* p. 100.

bus ac ducibus suis quos suo convivio interesse dignatur, quaecumque pocula sumpserint haurienda, sibi propria habere permissum est: me quoque illi te in hoc facto parem putasse, ne in contumeliam traxeris. Atque hoc blandimento responsionis sedata atque mitigata ira regis, silentiumque factum est magnum.

27. Sed id silentium ad periculum vergit. Unus quippe ex convivantibus, Parsageus nomine, olim a Philippo hospitio susceptus, in mentem sibi redisse profitebatur, hunc ipsum Alexandrum se ibi puerulum vidisse. Quod ubi Alexander mente percepit, una cum poculis quae sinu gestabat prosiliens exiit. Moxque pro foribus offendit unum e Persis, equum quo adauctus fuerat tenentem; custodem quidem equi gladio transfodit, conscensoque equo fugae consuluit. Quod Persae videntes, arma sumpsere, fugientem insequi properabant: sed illis molitio tardior, et Alexandro fuga efficacior erat. Darius autem damno hostis elapsi nimio maerore afficiebatur. At vero Alexander eumdem alvei locum quo venerat se appetere sperans, incidit in alveum non congelatum, simulque in flumen ipse et equus iam profunda rimantes prosiliunt: iam quippe nox erat. Ipse autem equo impulso natatu exiit, offenditque Eumedium, quem ibi reliquerat cum equis duobus; cui mox rei gestae seriem explicat. Utque ad castra exercitumque pervenit suum, duces primatesque suos laeto facto participat.

28. Sequenti ergo die instructam ordinatamque aciem iuxta Strangam fluvium collocat: videntque iam intrepidi Macedones Darium cum suis adventare. Statuit tunc Alexander, ut nemo de suis flumen transi-

re auderet; datque locum Persis transeundi, ac secedens tribuit illis spatium pugnandi. Itaque Darius omnem exercitum suum flumen transire iussit; commissoque proelio, facta est strages magna utrimque, ac tandem Persae more sibi non inconsueto fugae consulunt, Dario praecedente. Cumque omnes pariter flumen inconsulte irruerent, Stranga suum officium peragens omnes ingressos submergit ac necat, reliquos vero Macedones insecuti obtruncat. Tunc Darius omni spe meliori deposita, ingressus regiam suam humi sese miserabiliter eiulabundus prostravit, lamentatione nimia fatigatus, tandem quiescens scribit Alexandro in hunc modum.

EPISTOLA DARII AD ALEXANDRUM.

29. Domino meo Alexandro Darius salutem. Competentius feceris, si miserationem impertias istis quos tibi fortuna subiugavit. Quaeso igitur uti matris coniugisque, ac filiarum nostrarum, ut te dignum est meminisse digneris, mihique eas remittas. Eius tibi benevolentiae vicissitudinem spondeo ut thesauros omnes quoscumque reges ac patres mei humi suffossos mihi reliquerunt, ipse tibi tradam. Persarum quoque, et Medorum, aliarum gentium tibi regnum concedam. Verum Alexander cum hoc sese minime facturum denunciaret, Darius protinus Poro Indiae regi scribit talia.

EPISTOLA DARII AD PORUM REGEM INDIAE.

30. Mi Pore, quaeso uti gentes mihi plurimas congreges, et ad auxilium adversus Alexandrum mit-

tas||. *Nam* [1] pollicentem me non modo thesauros opesve regales, sed regni quoque nostri quam amplissimam portionem, spretis Macedo supplicibus eiusmodi, una tantum suorum arrogantia delectatur. Ergo, mi Pore, iam opibus fatigatus, animo tamen ad sententiam milito, si modo faveas. Rursus enim proelium meditor, siquos quidem [a] ad communionem duco sententiae. Quod si tu quoque tam iustae indignationi nostrae acccesseris, tuamque iniuriam existimaveris quae in me grassata [b] est, ita praecavebis ut te dignum erit et malorum nostrorum te [c] isti conspirationi consulere tuisque commodis non deesse. Igitur ex opinione nostra feceris, si gentes quam plurimas congreges, quamque primum queas ad portas Caspias tendas. Enim ne sit militia tibi militantium inhonora, dabuntur a me singulis armatorum aurei tres pedestri, equiti vero quinque, ceteraque quae alimoniis abundarint [d]. Praedae quoque bellicae pars ex medio vestra fiat. At enim tibi primum munus istud habebis, quod indidem regalissimum est, bucephalam equum scilicet una cum regiis phaleris regioque cultu, concubinisque omnibus quas octoginta centumque numerant qui noverunt eas: omnes ac tales cum ornatibus propriis consequere. Quare acceptis his litteris, ne versaveris quaeso verterisve tale consilium: quin properato ad nos venias una cum hisce, ut dixi, gentibus quae circa Indiam colunt „. Et haec quidem Darius.

31. Sed Alexandrum ista nequaquam latuere doctum

(*a*) Cod. *etsi quos quem*. (*b*) Cod. *crassata*. (*c*) Cod. *et*. (*d*) Cod. *abundarent*.

(1) Rursus codex mediolanensis.

ex transfuga persa quodam. Quare collecta manu ad regiones Medicas tendit, conperiens Darium in Bathanis [1] agere, quod nomen genti est. Omissa [a] denique Asia, iter quod instituerat festinabat, satis adserentibus internuntiis, quod si Darius fugiens portas Capias intravisset, inefficacem illam inexsecutionem [b] Alexander laboraret. Quae quidem etiam tum, veluti parum fideli sermone acciperet, dubia [c] rex arbitrabatur. Sed cum Bazanus quidam eunuchus regius transfugisset, isque certius enarrasset Darium protinus fugiturum, addita est Alexandro properatio. Aderant tunc Dario fugam molienti satrapae duo, quorum nomen alteri Besus erat, alius vero dictus Ariobarzanes. Hi, cum iam rumoribus calidioribus adesse Alexander nuntiaretur, rati se plurimum in gratiam provisuros esse victoris, si necem Dario intulissent, regem suum in sua regia solitarium opprimunt et letaliter vulnerant, ac si iam mortuum derelinquunt: cautissimum [d] confirmantes si tantisper a conspectu Alexandri recessissent, donicum illud facinus quod perpetrarant [e], ut victor perpenderet, divulgaretur.

32. Iamque exercitus Macedonum rursus Strangae memorati fluenta transmiserat, et Alexander protinus superveniens regiam in qua obversari Darium conpe-

(a) Cod. *amissa*. (b) Ita cod. pro *insectationem*, vel *insecutionem*. (c) Cod. *dubie*. (d) Cod. *certissimum*. (e) Cod. *perpetraret*.

(1) Ita cod. Sed videtur scribendum *Ecbatanis*. Saue Curtius V. 8. ait: *Darius iam Ecbatana pervenerat caput Mediae*.

rerat cursim inrumpit, eumque recens vulneratum atque adhuc spirantem miseriter offendit [1]. Sed id Alexandro ultra opiniones omnium flebile et luctuosum admodum fuit. Videns enim participem illius regii nominis ac maiestatis adeo misere vivendi clausulae reluctantem, flens heiulansque [a] iacenti homini circumfunditur, eumque amplexabuudus et contegens regia chlamyde in haec verba solatur: " erige te, quaeso, Darie, nec deseras: siquid enim ex animo est quod iusseris, ratum habeto regna te tua recepturum, futurumque rursus illum qui fueris „.

33. Sed ad haec Darius exsangui iam corpore cum voce etiam ad primum impetum deficeretur, manus supplices tendens adtrectansque genua Alexandri adsistentis et circumplexus ut poterat, tandem talibus loquitur. " Licet mihi iam, Alexander victoriosissime, in hac constituto fortuna liberalius aliquid quam qui victuri sunt loqui, idque a me amicum tibi non hosticum putes. Inter haec blanda verba disceptes [b]. Numquam igitur te regii nominis decus tollat: nec siquid blandius fortuna promiserit [c], idcireo te caeli compotem arbitrare. Eninvero consultius futuris atque

(a) Cod. *heulansque*. (b) Ita cod. (c) Cod. *promiserat*.

(1) Darium extinctum antequam Alexander eum adsequeretur aiunt vetustiores et sinceri scriptores. Constat tamen eumdem vix exanimatum chlamyde contectum esse ab Alexandro. Vide Zonaram IV. 11. Colloquium autem inter ipsos narrant, praeter Iulium Valerium, codices ambr. graecus et latinus, nec non persa Mirkhondus apud Sanctierucium p. 189-190.

praesentibus consules. Nihil enim interest quod dispescat regiam nostram et plebiculae dignitatem. En tibi ille Darius, nosti quippe qui fuerim dominus et Deus scilicet huiusce mundi existimatus, ut flebilem mortem oppeto [a]. Sed habeo obitus huiusce grande solatium, quod in tuis manibus hunc spiritum iam effundam. Quare quaeso non invideas sepulturam, quam mihi una cum Persis tui quoque Macedones exsequantur. Tum Rogodunen [1] matrem meam commendatam tibi ad honorem dignum nomine nostro habeto, atque participem Olympiadi tuae. Colito uxorem etiam meam: filiam vero Roxanen hac prece tibi in manum do, quaesoque eam dignam coniugio tuo censeas [2]. Erit enim

(a) Cod. *appeto.*

(1) Vulgatum nomen matris Darii apud historicos est *Sysigambis. Rogodunen* habet et alius latinus codex ambr. At codex graecus 'Ροδῶ. Reineccius in *regno persico* p. 77. profert *Rhodogunem* uxorem Orontis generi Artaxerxis. In *epistolis procerum mundi* extat epistola *Rodegis* ad filium Darium rogantis ne aleam novi certaminis adversus Alexandrum experiatur. Rodogunem Darii matrem dicit Suidas in ea, cuius etiam adnotationes inspice. Filiam adfirmat Hieronymus contra Iovin. I. 45.

(2) Haec deinceps nubere dicitur Alexandro. Sed enim uxorem Alexandri Roxanem filiam fuisse Oxyartae bactriani verior sententia videtur. Attamen Roxanem, quae Alexandro nupsit, dicunt Darii filiam etiam Malela p. 247, Syncellus p. 264. (qui mox ibidem sibi contradicit), Novairus arabs apud Sanctierucium p. 183, historia edita Alexandri cap. LXXV, et graecus latinusque cod. amb. Suidas voc. 'Αλέξανδρος oblatas a Dario filiae Roxanes nuptias Alexandro dicit. Iam si forte est error in feminae nomine, filiam certe Darii collo-

illi ad solatium largiter, nihil sibi de regia coniunctione defuisse „. Et in hisce verbis Darius spiritum transigit.

34. Multis igitur lacrimis miserationem rei clam Alexander prosecutus, auferri cadaver et ad magnificentiam debitam proque sui dignitate ritu Persarum sepeliri iubet. Denique corpori regio transvectando cum baiulos quosque nobilissimos suorum atque indigenas esse iussisset, ut illis officium tale non dedignantibus foret, primus ipse onus feretri subiit. Quo viso cuncti quoque illud honoris privi [a] maximum testimonium conpetebant. Infertur igitur sepulchris maiorum omnium tum Darius: ac paulo post aedes ipsi templumque construitur: et [b] lex dii [c] religiosaque solempnitas datur more praescripto, uti dies ille annuus Persis celebratissimus fieret, non sacris modo et laeticia hominumque congregatu [d], verum spectaculis etiam atque certamine, tum ad mulcedinem aurium solitis procurari tum ad delectationem oculorum. Nam et fortitudine decertantibus et voluptate sua cuique praemia et honores annuos statuit.

35. Postque haec, quod ex incerto regiae incitationis multi victoris animum formidarent, eoque vagis terroribus agitarentur, quo cunctorum animos deleniret, edicit in verba quorum sententia haec fuit. " Rex Alexander Hammonis et Olympiadis filius Persis di-

(a) Cod. taur. *primi*. (b) Cod. *ut*. (c) Taur. *dici*. (d) Cod. *congregatus*.

catam Alexandro in matrimonio aiunt Diodorus XVII. 107, Curtius X. 3, Arrianus VII. 4, Iustinus XII. 10, Plutarchus p. 91, Zonaras IV. 14.

cit. Ea quidem quae iure belli transacta sint, nullum profecto sapientium puto pro culpae merito putaturum. Etenim Diis ista sententia est, quam exsequi mortalibus sit necesse. Quare superis quidem habeo gratias favisoribus meis. Enim nunc quoniam vos quoque nostra cura esse coepistis, scire vos par est, satrapas quidem regionibus constitutos quibus ex more parebitis, haud secus prorsus ac si sub [a] Dario mos erat: eoque id consultavi ne incerta regentium observatio plus penes vos haberet formidinis quam veritatis. Utemini igitur legibus vestris pariter ac moribus. Idem enim vobis conventus, eaedem solempnitates et suavia, nec vagum quemquam a regione vel sedibus suis aberrasse quopiam probaturus sum. Quippe quibus patrimonia priva [b] habere permiserim, exceptis auro pariter et argento, quae communis hic usus magis esse regia confitetur. Reliqua vero omnis moneta, quaecunque est, domino permittitur. Armamentaria sane privata si in usum publicum satrapae necessaria viderint, his quoque eos uti oportere mandavi. Agmina pariter peregrinare, inque aliena transire interdixerim, nisi quod tuendi sui gratia usque ad decem vigintive hominum numerum congreges facient. Cetera multitudo pro rebellatione et hostico punietur.

36. Mercaturarum versurae sint itidem ut sub Dario, pateantque commercia vel Graecis in Persas, vel Persis etiam ad Graecos. Quippe provisum est ut per satrapas etiam dimensa spatia viae publicae consternantur. Solempnitates vobis et certamina gymnica erunt: sed hisce omnibus praesides dedi ex Alexandria mea

(a) Ita codd. ambr. et taur. *ac si sub*. (b) Taur. *privata*.

viros aegyptios quibus aureae quoque coronae, gestamen [a] et amictus purpureus est permissus: praeterque [b] eos, ingressu ceteros sacri templique prohiberi (*placuit*). Iudicia etiam quae vulgo privatim quisque faciebat, nisi per curiam publicam civitatum celebrari non licebit. Hinc si praeter haec aliquis ausus erit, hostis supplicio punietur „. Et haec quidem Alexander usibus publicis. Quod vero ad conprehendendos eos qui Darium vulneribus incesserant, dicit haec. " Equidem me gaudeo hostem maximum Darium servitio subiugasse, eiusque mortem licet ipse executus non sim, habeo tamen hisce qui id fecerint gratiam. Quare quod benivolentiae suae erga me studium protestati sunt, ii quique [c] sunt auctores huiusce, hortor ac moneo uti se prodant mihique indicent, debita recepturi. Neve istud in ambiguum dubiumque quis transferat, iuro Deos maiestatemque patris Hammonis et Olympiadis matris meae, quique hi fuerint eos me sublimes ac notissimos omnibus effecturum. Neque enim non maximo digni praemio qui eius consilia praeverterint, qui rursus bellum et novum mihi proelium meditabatur „.

37. Ad hoc edictum multis quidem fletu res digna videbatur. Sed enim Besus et Ariobarzanes auctores scilicet caedis Darii Alexandro sese obvios ferunt, et professi facinus sponsionem praemii repetunt. Tunc viros protinus comprehendi et quam editissimo in loco cruci subfigi iubet. Quod cum praeter spem hominibus accidisset, patefecit rex dignum se suo nomine existimasse, siquid de regia liberalitate subtraxerit, dum Da-

(a) Cod. *tamen*. (b) Taur. *pariterque*. (c) Cod. *quoque*.

rio modo ultio debita procuraretur. Neque tamen hisce ipsis de periurio se reum fore, cum sublimes eos notissimosque omnibus fore edicto promiserit, quos quidem facile sit visere in illo suggestu crucibus adfixos [1]. Tunc omnibus et oratio, et regis benignitas conprobata est. Sed hisce gestis, et ex voto Persarum illic satrapa constituto, qui patruus Dario fuisset [2], eiusmodi litteras Alexander ad Rogodunen matrem Darii facit. "Ea quidem cuncta quae mihi adversum. Darium fuere, perinde ut Diis libuit, sunt transacta Enimvero ego votis petivi ut eius incolumitatem nanctus [a] socio ipso uterer atque amico. Sed is quoniam suorum insidiis Besi vel Ariobarzanis sit interfectus, nihil a me reliqui fuit quod ad prosequendum eius funus ultionemque dignum foret. Verum quoniam supremo Darius alloquio filiam suam Roxanen mihi in coniugio esse mandavit, voto eius et precibus accessi. Itaque e re est de litteris iam praesciri „.

38. Ad haec Rogodune mater Alexandro sic respondit. "Nobis quoque id voti maxime fuit, ut quoniam Diis inclinare Darii nomen ab illa potentia libuisset, in te nobis et illius dignitas et spes omnis incolumis servaretur, quem virtutum scilicet (*et*) sapientiae merito dignum fortuna sua nullus addubi-

---

(*a*) Ita cod. *qui est archaismus.*

---

(1) Confer simile facinus apud Frontonem *de bello parth.* ed. rom. p. 201–202.

(2) Nimirum Alexander etiam Oxyathrum (seu Oxathren) Darii fratrem inter corporis custodes adsciverat. Vide Curtium VII. Diodorum XVII. 77.

tet. Id ergo ut cunctis ita nobis praecipue voluptati est, quas [a] et in illo versu [b] fortunae nihilum triste experiri contenderis, et habitas pro veteri ac tui nominis dignitate nunc etiam regno participes. Igitur nobis quoniam, Alexander, quod Darius es; in te nobis Deos et Deorum beneficia numeramus: haneque gratiam ut tibi confessae, ita Persarum quoque proceribus palam fecimus ipsorum etiam vos [c] Deorum immortalium numeris et consortio congregare. Quare tecum una quod iubes Roxanen quoque deinceps venerabimur „. Et haec quidem mulieres ad regem. Eaedem autem [d] satrapis et optimatibus talia. "Agamus largiter Diis immortalibus gratias, quod Dario desinente Darii nobis beneficia non desunt. Nam et Roxanen Alexander suam fecit, eamque coniugii honore dignatur: qua cuncti de gratia, una cum id [e] in commune proficiat, confiteamur [f]: cum eos, in quos dominus factus est, mutuari gaudium suum maluerit quam exercere [1] „.

39. Sed ad eiuscemodi legationes Alexander gravabatur. Neque enim se parilibus cum Diis honoribus exaequabat: quin immo meminisse semper mortales sumet oportere admonebat. Nihilominus, ut quisque in haec officia venisset, laudatos atque donatos honoratius dimittebat. Itaque quod de Roxanes nuptiis consuluisset cum matre participat Olympiade, iubetque id

(a) Cod. *quos.* (b) Cod. *in illa versum.* (c) Cod. *vobis.* (d) Cod. *tamen.* (e) Cod. *id quod.* (f) Cod. *confiteri.*

(1) Nempe *molestia adficere.*

quod ex priori praeda mundi regii [a] fuerat Rogodunes atque Rovanes, id referri ad eas protinus, enim ut affluerent regalibus copiis: ita monet verecundiae quoque disciplinaeque graecae meminissent, colentes scilicet Olympiadem ita ut se rege et marito dignum foret: id enim uxore faciente, nihil fore quod magis esset Alexandro placiturum. Atque his ita institutis et factis, ordinatoque omni regno Persarum, in Poram ducit exercitum.

(a) Cod. *regina*.

ALEXANDRI MACEDONIS

RERUM GESTARUM

LIBER III.

QUI EST OBITUS.



1. (*Pergens autem in Indiam per terras desertas*[1] *et*) aquarum indigentissimas [a], bestiolarum quoque examinibus infestas, quas phalangia vocant, multo labore ipse atque exercitus fatigantur: in eademque iam

(a) Cod. *indigestissimas.*

(1) In codice est libri III. titulus qualem nos exhibuimus in prima operis fronte: tum sic incipit liber: *aquarumque indigestissimas, bestiolarum quoque* etc. quo ex loco aliquot verba excidisse exploratum est. Haec autem verba supplenda erant ex barbara historia edita Alexandri cap. LXXVI, quae satis congruit cum Iulio Valerio, uti particula quam adtexo faciet palam. *Post haec vero, congregato exercitu Alexander tam Macedonum quam Persarum, praecepit ut contra regem Porum arma levarentur. Et ingressus Indiam coepit ire per terram desertam et spaciosam et inaquosam et valles cavernosas: fatigatusque est ipse et milites eius, ut in eorum animis ex angustia vacillarent. Unde omnes de exercitu murmurantes inter se mutuo referebant: sufficere debuerat no bis quod impugnavimus Persam et Darium obtinuimus* etc.

duces eius conloquia conferebant, quod sibi satis esse deberet usque ad Persas [a] proeliis laborasse. His quoque subditis et Dario, consultum quantum oportuerit Graeciae, si modo vectigales Persas patriae fecissent. Quô vero ille tenderet labor in Indiam properantibus, adeo infestis omnibus locis feritate bestiarum? Quod si in tantum ordine rei bellicae Alexander urgueretur, non sane videri consilium inconsultae isti cupidini si comes fieret reliqua multitudo. Iret ergo quo vellet, duceretque qui vellent: se [b] tamen missos facere deberet tot iam bellis exercitos ac fatigatos. Enimvero his Alexander cognitis, advocatoque omni tam persico scilicet quam macedonico exercitu, in haec verba concionatur. " Unus mihi idemque est sermo apud utrumque vestrum, o fortissimi milites, quive mecum Macedones huc venistis quive Persae experti imperium post victoriam nunc mihi conmilitium profitemini. Igitur in commune vobis dictum hoc habetote, quod si me solum ire in Indos eorumque bella decrestis [c], faciam id quidem intrepidus ac libens. Enimvero unum admoneam quod adtestemini, nihil esse mirum si ad futura quoque discrimina solus ire conpellar, cum prioribus quoque solus animi virtute subfecerim.

2. Neque mihi est arduum, Macedones mei, eadem consulere nunc quibus vos rectos in hanc solus possessionem victoriae duxerim, sola ferme cura imperatoria militans in hisce quas confecerim expeditionibus [d]. Nisi forte istud a me arrogantius ac non verius

---

(a) Cod. *Persarum*. (b) Cod. *si*. (c) Cod. *decretis*. (d) Cod. *expeditiones*.

dictum esse miremini: cum unum quodvis imperatorium sapiens prudensque consultum praestet manum [a] multorum inconsultius laborantium [1]. Recognoscite igitur pariter et recensete, an vos umquam sufficere potuisse tot illis Darii milibus ac fortitudini putaretis [b], qua ego princeps semper militiae laborisque semper dux in proeliis insuperavi [2]. Nisi forte aliis addubitanbus timentibusque, egomet ipse legationem mei apud Darium facere dubitavi [3]. Nisi uspiam me cunctantem aut residem in proelio denotastis. Si ergo vobis ista sunt amica consilia uti deserto me solitarii ad Macedoniam repedetis, ite sane: libens vos votis properantibus prosequar: modo si concordi animo id facere possitis, neque dissidentes in nulla pericula prolabamini [c], ex quis facile noscatis, omnem exercitus fortunam atque virtutem consistere in animo sapientis imperatoris ,,. His auditis, cunctos pariter paenitentia fatigabat. Confirmatis denique animis, quaesunt et sedare iracundiam regis, et uti se obsecutoribus ad cupita.

3. Atque ita fines Indiae ingressis obvii fuere legati quos rex Porus ad Alexandrum cum litteris miserat, quarum sententia haec erat. " Porus rex Alexandro dicit haec. Incursanti infestantique tibi fines ac

---

(a) Ita cod. *manum*. (b) Cod. *an vos umquam sufficere potuisse ut illis dari milibus ac fortitudi putaretis*. (c) Cod. *prolibamini*.

---

(1) Sententia ex Euripide, cui studebat Alexander, teste Plutarcho p. 13. et 16–17.

(2) Ita cod. Et quidem Ennius habet *insuperantum* apud Festum voc. *navus*.

(3) Recole lib. II 26.

civitates meas mando, Alexander, dicoque, uti cum te hominem memineris, nihil ad Deos inconsultius moliare. Neque enim urguere te debent ad ausa temeraria fortunae hominum inbecilliorum, hortarique uti Indos incessas, quod tibi fuerit in Persas fortuna proclivior. Non enim te ex eo iuvari speraverit [a] virtus tua, cum primum nostri ceperis experimentum. Patet quippe cuivis nosse quis ille sim Porus, et an ulli adversum nos licuerit ex fortitudine [b]? Quippe non homines modo verum etiam Deos viribus antestemus, quibus Diis inefficacem audaciam fuisse adversum nos, documenta sunt antiquissima vel vestra. Quippe cum illum ipsum Liberum vestrum, qui apud vos Deus existimetur, temere in haec irrumpentem, irritum superatumque hinc Indi in fugam verterint. Quare non modo suadeo, verum iubeo quoque, abire te hinc ad tuas Graecias [1] contentum Darii fortuna et paribus gentibus viribusque ad illam vestri nominis mediocritatem. Neque enim si nobis Graecia vestra opus foret, non olim atque ante Xerxae conatus subacta Indiis foret. Enimvero quoniam inutilis nobis est, nihilque dignum opibus nostris aut amoenitatibus habet, neque quaesita est neque quaeretur [c]. Is enim demum labor suavis est proeliantibus, ex quo sit etiam idonea spes praemiorum. Neque est nostrum, in magno conatu digno operae [d] precio caruisse. Quare id tertio iam praedico ac denuntio tibi uti facessas ex his quibus imperare non possis „.

(a) Cod. *ut speraverit*. (b) Ita cod. (c) Cod. *quaereretur*. (d) Cod. *opere*.

---

(1) Confer Itinerar. cap. 41.

4. His litteris publice recitatis, Alexander ait. "Nunc quoque vos moneo, sanctissimi milites, nequid rursum magnificentia ista barbarica animos vestros inconsultos turbet. Auditis enim litteris Pori, revocate illam quoque litterarum Darii memoriam, videteque num arrogantia dispar? num dissimilia verba? aut sit dissimilis inprudentia? Sicuti enim ferae istae bestiaeque quae apud ipsos sunt plurimae, pardi videlicet et leones elephantique, solo illo naturae suae freti [a] inpetu et [b] corporis alacritate, facile hominum sapientia subiugantur; item hosce barbaros intelligitis fiducia multitudinis fretos, nulla tamen praeditos imperatoria graecave sapientia perfacile mox in ditionem nostram esse venturos: atque itidem prudentia nostra ad pernicionem [c] sui uti posse, ut in feras est facilis hominibus effectus [1] „.

5. In hunc fere modum Alexander cum suos adhortatus esset, ipse quoque Pori litteris responsurus in hanc sententiam scribit. "Terreri nos putans, Pore, litteris tuis, magnum admodum consilio [d] incentivum praestitisti, quo nobis in vos dispositum est militare. Dicis enim, nihil eiusmodi habere Graecos quod sit dignum ad opulentiam vestram: vos vero hisce esse omnibus affluentes quae sint ad beatitudinem necessaria. Addis praeterea operae [e] pretium considerari [f] militantibus oportere, uti ne frustra laboretur. Quibus omnibus doces, quod nos quoque alacrius ad vos ten-

(a) Ita cod. *freti*. (b) Cod. *ex*. (c) Ita cod. (d) Cod. *consilium*. (e) Cod. *opere*. (f) Cod. *consideri*.

(1) Hinc cognoscimus τὸ *effectus* lib. II. 16. significare *victoriam*.

dere debeamus, unde nobis haec cuncta quae adeo vos praedicatis accesserint. Fateor enim nihil esse Graecis eiusmodi quorum vos divitiis gloriamini, atque idcirco indigentes meliorum a vobis petere necessaria. Illud vero ridiculum, ut cum te homunculis praeferas, tum Diis quoque potiorem esse pronunties: quod ni adesset litteris tuis, in reliquis fiducia fortitudinis dici posset; quoniam vero hisce non temperas [a], temeritas utique est intelligenda. Quare sicuti tibi constantiam fingit ille contemptus, velut earum fortuna gentium minime moveare, quae sunt a nobis bello superatae, ita nos quoque nihilum omnino terrebit verborum ista magnificentia, quae temeritatis vestrae index potius est quam fortitudinis „.

6. His lectis Porus ad belli studia incitabatur. Cogit ergo exercitum et quamplurimos elephantos ceteraque genera bestiarum quibus Indi commilitant [1], contraque eos Macedonum et Persarum aderat multitudo. Enimvero cum illos Pori numeros Macedones intuerentur una [b] his bestiis memoratos, admodum animo turbari coepere, haud dubie cunctabundi ob insolentiam eiusmodi proelii, quod una esset cum hominibus barbaris et omnigenis bestiis agitandum. Id animi eorum non clam Alexandrum fuit. Nam ipse quoque una cum (*iis*) bestiarum ista novitate movebatur. Quaesita ergo belli ratione, comminiscitur per astutiam quo de-

(*a*) Cod. *temperat*. (*b*) Cod. *unaque*.

(1) Canes quidem indicos solitos agmina comitari, dicit Herodotus VII. 187. De feris ad bellum duci solitis legatur etiam Lucretius lib. V. v. 1301. sq.

nium genere averti posset inpetus bestiarum. Igitur statuas aereas [1] quam plurimas advehi secum quibusque de proximis locis ad locum proelii iubet: quod ubi factum est, ibidem igni subiecto quam plurimo calefieri eas et igniri festinat: erantque eae statuae post primas acies et ordines sitae, atque ita ante belli tempus hostibus invisitatae. Enimvero ubi signa bellica crepuere, primique concursus partium sperabantur, Indi barbari feras illas bestias per se ire dimittunt, ita scilicet doctas, ut cum primum in adversos involavissent, circaque eos proeliaturi hostes occuparentur, nihil Indis supervenientibus morae fieret, quin libera iaculandi hostis trucidandique facultas pateret. Id ubi factum est, praedocti Macedonum ordines primi paululum de loco quo institerant repedantes, ignitas statuas incursantibus bestiis produnt. Quas cum falsa facie velut etiam candente colore, inpetu belli complexu et morsibus affectarent [a], mox sauciae debilesque aut protinus cadere aut refugere coepere, omnino nullum auxilii ullius emolumentum dominis adferentes.

7. Sicque Indis ab illo ferarum auxilio destitutis secunda concursio fuit, ut ipsi prius [b] inter sese virtutibus experirentur. Igitur Persae coepere sagittis Indos incessere ceteroqui nudos armorum eminusque configere, neque minus eos equestribus proeliis quam vehementissime Macedones fatigare. Cum quibus una cum ipse Alexander periculo non deesset, equus ille Bucephala, quo vehebatur, Pori dextra vulneratur et ca-

(a) Cod. *effectarent*. (b) Ita cod. nisi mavis *potius*.

(1) Similia fere habet Diodorus siculus lib. II. 16.

dit. Idque Macedonibus supra omnia quae possunt in proeliis incommoda videri ingratum fuit. Quare neglecto omni omnino opere bellandi, equum exanimem ipse cauda in partes suas retrahit [1], metuitque ne spolium illud Indi suum vellent, quod esset Alexandro pudibundum. Atque ita receptis suis et proelio dissoluto, viginti ferme dies induciis dantur, quibus utrimque sepeliendis exurendisque his qui apud alteros [a] proelio desiderati fuerant institere. Sed hisce quibus [b] dixi diebus haud pauci Persarum in partes Pori transire Alexandro nuntiabantur. Quod cum, et inpune fieri pervideret, et consuetudinem haud commode gliscere fidei neglegentibus, init consilium uti Porum ad solitarium ipse proelium provocaret [2], cetera dicens

(a) Ita cod. *alteros*. (b) Ita cod. graeco more.

(1) Aliter Chares apud Gellium V. 2. *Moribundus Bucephalas ac prope iam exsanguis e mediis hostibus regem vivacissimo cursu retulit: atque ubi eum extra tela extulerat, illico concidit, et domini iam superstitis securus, quasi cum sensus humani solatio animam exspiravit*. Iamvero Bucephalum (seu Bucephalam) in India fuisse extinctum, constans traditio docet. Mortis tamen genus a scriptoribus Alexandri varie traditur.

(2) Singulare Alexandri cum Poro certamen narratur a Iustino XII. 8. *Commisso proelio, exercitum suum* (Porus) *Macedonas invadere iubet, sibi regem eorum privatum hostem deposcit. Nec Alexander pugnae moram fecit, sed prima congressione vulnerato equo, cum praeceps in terram decidisset, concursu satellitum servatur. Porus multis vulneribus obrutus capitur*. Quin ab Aristobulo Alexandri comite et historico idem certamen scriptum fuit, ipsique

genera bellandi fortunam expectare potius [a] quam virtutem aut gloriam ducum. Enimvero sibi non indidem laudem viri imperatoris captare, unde subditis suis periculum fieret. Optimum ergo in utroque iudicant viri, si suis ipsi duces manibus experirentur. Quod si Poro sederet, fortunam eiusmodi minime aspernaturum [1]. Id barbarus sibi libenti satis offerri profitetur, adquiescitque conditioni quam Alexander fecerat: scilicet aestimatione barbarica de modo corporum mensuram virium metiens, cum se proceritudine corporis et cetera magnitudinis congruentia longe distare ab exiguitate Alexandri pervideret; ipse quinque ferme cubitis evectior, cum Alexandrum qui visitavere vix tribus cubitis numeravissent.

8. Hac igitur arrogantiae spe cum dies pariter et locus proelio constitisset [b] fieretque pugna regalis, primitus quidem anceps diu fortuna bellantibus videbatur, non minus Alexandro tempus incursandi riman-

---

(a) Cod. *protinus*. (b) Cod. *constetisset*, mox ibidem factum *constitisset*. Sed et illa prior lectio confirmatur a fragmentis vaticanis iuris civilis, ut dixi in adnotationibus criticis ad Frontonem ed. rom. p. 219.

Alexandro lectum. (Lucian. *quomodo scribenda sit historia* cap. XII.) Ἀριστοβούλου μονομαχίαν γράψαντος Ἀλεξάνδρου καὶ Πώρου, καὶ ἀναγνόντος αὐτῷ τοῦτο μάλιστα τὸ χωρίον τῆς γραφῆς. Addit tamen ibidem Lucianus visum esse Alexandro fabulas contexere Aristobulum. Denique alii apud Arrianum V. 14. aiunt Alexandrum Porique filium inter se concurrisse, ipsumque adeo Alexandrum cum Bucephalo vulneratum.

(1) Nempe Alexandrum.

te, quam Poro locum vulneris declinante. Sed cum forte apud Indos, ex quadam repentina conversione Pori, strepitus et conclamatio extitisset, avertissetque os quo causam Porus illius strepitus cognovisset, involat Alexander atque eius inguina telo cominus [a] transfigit eumque prosternit. Hac indignatione Indi excitati in arma prosiliunt, instaurantque id proelium quod absque vulgi periculo pactum inter reges erat. Enimvero Alexander saepe iam indicam vim expertus non facilem rem bellicam [1], manu silentium quaerit et ab hoste patientiam petit, paulisperque patientibus in hunc modum loquitur. "Non equidem video causas, o Indi, tam inconsulti huiusce discriminis vestri, cum nihil egerit aliud nostra inter nos proeliatio quam uti vestro commodo consultaret. Igitur cum omnis militantium vis et ostentatio [b] proficiat, si, teste imperatore suo, quod singulis sit devoti animi monstraverint; quid hoc rei est quod in cassum discrimina vestra profunditis, Pori iam testimonio facessente,,?

9. Ad haec dicta cum Indi se nolle Graecis fieri captivos dominumque Alexandrum pati vulgi murmure testarentur, secundo etiam sermone Alexander monet: "solverent hunc cordis sui metum expectationemque curarum eiusmodi abicerent atque secluderent: et fidem rati dat iureiurando. Neque enim sibi libidinem

(a) Cod. *minus.* (b) Cod. *ostentationi.*

(1) Ita sane scribit etiam Plutarchus p. 82. *Τοὺς μέντοι Μακεδόνας ὁ πρὸς Πῶρον ἀγὼν ἀμβλυτέρους ἐποίησεν· μόλις γὰρ ἐκεῖνον ὠσάμενοι* etc. *Pugna cum Poro ardorem Macedonum magnopere repressit; illum enim aegre repulerant* etc.

talem aut desiderium umquam indici imperii adstitisse [a]: sed enim omnem illam causam proelii hanc fuisse, si experimento ipso fortitudinis suae, gentes quoque ceterae didicissent, amicitiam suam singulos [b] magis quam vehementiam experiri. Convenire igitur irent quisque in sua, nec ultra quicquam de victorum insolentia trepidarent: cum illa quoque causa ab indignatione victoris sese utique tueretur, quod plerique soleant in ultionem prioris contumeliae insequi superatos. Non enim Indos culpae illius [c] reos apud se fuisse, verum Porum qui sat sibi poenarum qua [d] lex belli monuit praestitisset. Sed ne ipsi quidem ultra iam hostis sum, ait; quin etiam hortor moneoque vos uti regem, ut fas exigit et vobis moris est, sepulturae inferatis „. Ad haec dicta Alexandri non cunctanter quidem adquieverat vis Indorum. Sed enim Alexandro non absque utili sapientia haec humilitas sederat, cum et vim indicam saepe expertus foret, et pleraque praedae eorum quae secum plurima gentis suae more Indi ad proelium vehunt, in suam potestatem sciret esse translapsa.

10. Quare domitis hostibus avectaque praeda, ad Oxydracontas [e], quae gens exim colit, iter suum dirigit. Non illam quidem gentem hosticam incursatur [1].

(a) Cod. *adstitisset*. (b) Ita cod. *singulos*. Confer Itinerar. cap. 46. n. d. (c) Ita cod. Sed fortasse dicendum *ullius*. (d) Ita cod. Nisi mavis *quas*. (e) Cod. *Osydracontas*.

(1) Nota *incursatur* forma deponenti, quum lib. I. cap. 14. sit passivum verbum.

(neque enim illis studia sunt armorum) sed quod celebre esset, Indos, quos gymnosophistas appellant, hisce in partibus versari, opum quidem omnium et cuiusque pretii neglegentes, solis vero diversoriis sapientissimi, quae humi manu exhauriunt [a] aditibus perangusta, enimvero subter capacibus spaciata, quod id genus aedium neque pretii scilicet indigens, et ad flagrantiam solis aestivam aptius [b] habeatur. Ii igitur cum conperissent Alexandrum ad sese contendere, primates suos, quos scilicet a sapientiae modo censent, obviare adventanti iubent cum litteris huiuscemodi. " Gymnosophistae Bragmanes [c] Alexandro homini dicunt. Si tendis ad nos proeliaturus, utique tibi propositum est quid nobis afferas, habes porro quod auferas nihil. Sin vero venis ut discas quae a nobis scilicet sciri queant, nulla est invidentia. Etenim arbitramur inter hasce scientias nostras causam discordiae positam; cum tibi amica res proelium, nobis vero philosophia noscatur „. His lectis Alexander pacificum iter agere decrevit: videtque homines reliqua nudos, sed amictu simplici superiectos, deversantesque his aedibus seu [d] speluncis quarum relatio supra est. Eorum filii coniugesque pascendis pecudibus occupabantur.

11. Ergo instituit Macedo cum hisce hactenus loqui [1], ac primum an uspiam huius gentis hominibus

(a) Cod. *exauriunt*. (b) Cod. *apritius*. (c) Cod. *Dragmantes*. Iam τὸ *g* pro *ch* retinere placuit. Ita enim scribit semper Palladius. (d) Cod. *secus*.

(1) Quod adtinet ad Alexandri colloquium cum Bragmanibus confer Plutarchum p. 85-86, Strabonem XV. p. 714.

sint sepulchra? Ad haec responsum est, idem sibi domicilium esse quod sepulchrum, eoque consuefieri his diversoriis: sed [a] dum cotidie dormiunt, desinant aliquando vigilare: exque eo sibi esse unam domum viventi pariter et mortuo. Rursus quaerit ex alio, utrum ne plures vivi [b] an mortui putarentur? Ad idque responsum est, videri quidem plurimos mortuos: sed aeque [c] numerari non oportere eos quos videas, quam illos scilicet quos neque oculi ulli neque ratio conspiceret. Post quaerit ex alio, utrum ne vita fortior, an vero sit mors? Orientis vigor, marcentior vero viseretur occiduus: ortumque hominis esse, quo vivitur, vitam esse responsum est, quod solis quoque ferventior contraque quo frigeat [d]. Et id addit, utrum mare spatiosius anne terra? Terram esse respondent, cuius mare gremio tenetur. Sciscitatur id quoque, quacuam omnium bestia callidior et astutior? Hic vero cum risu hominem esse pronuntiant, adduntque rationem de exemplo sui, qui solus tot animantium milia illexisset, ut ad persequenda ea, quae aliis essent, praedae cupiditate laborarent. Non his ut ad contumeliam dictis Alexander movebatur. Enimvero addit, quid imperium illis [e] videretur? At illi fraudis potentiam esse respondent ad vitam temporis blandimento, vel, si ita mavelit, iniustam audaciam [f]. Quaerit etiam, utrumne

---

(a) Ita cod. *sed.* (b) Cod. *viverent.* (c) Cod. pro *aequa* habet *eos.* (d) Ita totus hic locus se habet in codice. (e) Cod. *quid per imperium sibi videretur.* (f) Cod. *iniusta audacia.*

---

et seqq., Arrianum VII. 1–2, Palladium *de Bragmanibus*, Zonaram IV. 14.

dies an vero nox prius constituta putaretur? Nihilque cunctantes, noctem priorem ordine posuere: cum omnia quoque concepta vivendi auspicium in tenebris sortiantur; post vero nata in lucis spatia transmigrarent.

12. Pergit denique sciscitari, cuinam mentiri hominem non oporteret? Responsum est, Deo, quod omnia videns ille sit atque omnium sciens. Quaerit etiam, quasnam in homine partes honoratiores esse existimarent? Laevas esse responsum est, quod sol etiam oriens ex laevo dextrorsum curriculum exsequatur: tunc [a] quod promixtio maribus ac feminis laevarum magc partium existimetur, et lactorum [b] feminam laevi uberis primum alimenta praestare, Deosque laevis humeris religione gestari, et reges ipsos indicia dignitatis laeva [c] praeferre. Cumque post haec et quid sibi a rege vellent largiter polliceretur, immortalitatem consoni poposcere. Sed id cum rex praeter potestatem suam esse dixisset; cur ergo, aiunt, cum sis mortalis, tu tamen laboribus servis, et tantis appetentiis vinceris, quarum tibi fructus aut nullus aut brevis est, enimvero idem mox ad alios transiturus?

13. Tum Alexander: "non haec sane nobis, inquit, in manu sunt: enim Deorum vivimus lege, quam homines exsequi sit necesse [1]. Neque enim illi nisi na-

---

(a) Ita cod. *tunc* pro *tum*. (b) Nota *lacta*, *orum* plurali numero. (c) Cod. *laevas*.

---

(1) Apud Strabonem XV. p. 715. unus ducitur Alexander philosophatus in armis. Eiusdem philosophiam copiose praedicat Plutarchus *orat.* I. *de fortun. vel virt. Alex.* Confer et Symmachum *laud. in Gratian.* cap. VII.

vigari maria sivissent, venti quoque navigantibus prosperarent: aut vireeta etiam morerentur, nisi obortis flabris impellentibus [a] concederent [b] gigni. Quis neget cuncta ratione esse qua nata sunt? moxque occidere interireque ratione? Nihil denique omnino frustra repperies, quin cunctis auctus sui motus et clausula [c] sit? ut mihi quoque non utique ratio ista bellandi sit suavis, sed quoniam animum meum ardor istiusmodi voluntatis incesserit, decedo, ac ministerium meum puto quidquid de hoc labore perfecero. Denique facessant ista de medio; quae iam erunt inter homines discrimina fortunarum? quae dispar ratio gloriae? quae diversitas dignitatum? quis voti modus? Desinet protinus coli terra, transmitti mare, desiderari [d] successio, cum illa promptior sit naturae hominis admiratio non videri [e] quae metuas, cum meminisse non desinas desideratorum. Etenim quanti qualesque meorum etiam proeliis cecidere? quanti vero adepti desiderata? Non ex illorum incommodo conditionem suam, sed ex ipso proventu beatitudinem metiuntur [f]. Haec denique una vivendi lex est, velle unumquemque quod penes alterum videat, ut habeat ipse quoque quod mox transmittat [g] ad ceteros „.

14. His talibus [h] cum sese tunc Alexander oblectavisset, exim iter prorsus exsequitur arduum quidem illud et laboriosissimum inviis locis asperitate naturae et colentium vastitate. Deque labore hoc Aristoteli seri-

---

(a) Cod. *impelentibus*, quare haud scio an legendum *implentibus*. (b) Cod. *cederent*. (c) Cod. *clausa*, nisi mavis *causa*. (d) Cod. *desiderare*. (e) Ita cod. *videri*. (f) Cod. *mentiuntur*. (g) Cod. *transmilitat*. (h) Ita cod. nisi mavis *his et aliis*.

bens magistro, ut vel [a] maximum sibi testimonium dicit: eiusque litterae sententia talis fuit. "Operae [b] pretium est, mi magister [1], eorum omnium quae sint in nostris laboribus maxima, eorumque qui mecum una toleraverint opinatissima, te participare per litteras. Igitur indicas regiones incessimus. Nam cetera tibi ad Bragmanas [c] usque praemiseram. His denique penetratis, Prasiacae [2] supervenimus, quae civitas regia quaedam Indiae cluit [3]. Situs vero eius loci arduus et ad promuntorii [d] faciem longe porrectior: nam et mari inminet subiacenti. Enimvero quod istum colunt hominum nescias invisitatius an inauditius genus: hique

(a) Ita cod. (b) Cod. *opere*. (c) Ita cod. *Bragmanas*, heic et deinceps, uti etiam *dragmas* pro *drachmas*. (d) Ita cod. *promuntorium* per *u* cum aliis codicibus optimis.

(1) Alexandri longa quaedam epistola ad Aristotelem iamdudum extat typis excusa, quam nonnulli de graeca lingua in latinam a Cornelio Nepote conversam parum credibiliter dictitaverunt. Iam huius, quae nunc apud Iulium Valerium occurrit, epistolae, etsi plures sententiae cum edita congruunt; patet tamen eamdem alio prorsus auctore genitam, adeoque novam in vulgus prodire.

(2) Edita epistola constanter habet *Phasiacem*, at haec Valeriana constanter item *Prasiacam*. Et quidem *Prasii* et *Prasiani* Indiae populi fuerunt.

(3) Plinius VI. sect. 22. ait: *Omnium in India prope potentiam claritatemque antecedunt Prasii, amplissima urbe ditissimaque Palibothra*. Iam et Arrianus *Indic.* cap. X. dicit μεγίστην πόλιν Ἰνδοῖσιν εἶναι Παλίμβοθρα καλεομένην, ἐν τῇ Πρασίων γῇ, *maximam apud Indos urbem esse Palimbothra in Prasiorum finibus*. Civitas autem heic dicitur a Iulio Valerio *Prasiaca*.

sunt promisce mares atque aliud secus: omnes tamen ad nostratia corpora, quibus sunt femine [a] molliores. Nam et vetus sermo eos molles Sabaeos [1] appellat. Sed nihil aliud fere ad cibum norunt, praeter piscium genera, quorum illis multa et facilis habundantia [b] est. Fuit igitur mihi ad eorum fabulas diligentia, et interpres inventus [c] est, qui nobis daret cum hisce barbaris fabulari.

15. Cumque multus et varius sermo procederet, locum interea quendam insulae monstravere (nam is etiam eminus visebatur) quod esse dicebant veteris cuiusdam regis indidem monumentum: id auro esse et pretiis refertissimum conditis. [d] Cum naturalem hohominum vel diligentiam in nostris vel appetentiam promovissent [e], certatimque festinaremus, pars visendae eiusce insulae vel sepulchri, pars vero vel plurimi auri etiam aviditate, et spe potiundi iam animis gestientibus; repente barbari qui loci eius indices fuerant dilabuntur, eque [f] conspectu nostro incerta quanam maiestate evanescunt, relictis sane naviculis admodum parvis duabus ac decem quibus vectari soliti intellegebantur. Igitur una mecum cum amici ad spectaculum properarent, Philon scilicet et Hephaestion, Craterus quoque, multique alii, obstitit (*Philon*) ac periculum illud visendae novitatis non primum a rege faciendum, verùm a se modo suisque similibus,

---

(*a*) Ita cod. *femine*. (*b*) Ita cod. cum *h*. (*c*) Cod. *ventus*. (*d*) Cod. *conditi*. (*e*) Cod. *promovisset*. (*f*) Cod. *eque inconspectu*.

---

(1) Cod. *Sabeossabeos*. Sane *Sabaras* et *Sabracas* et *Sabi regnum* in India fuisse constat.

suadere persistit. Quippe amplius aliquid in hisce regionibus formidandum, in quibus viderimus hominum formas de conspectu nostro facile evanuisse. Neu siquid secus atque ut speraverant [a] incommodarent, eius periculi fieret de rege principium. Sese igitur iturum esse confirmat; ac si exploratio secundasset, tunc demum nos tuto posse transmittere.

16. Sedet sententia persuadentis, atque ita iussimus fieri. Conscensis ergo navibus, protinus ire ad insulam tendunt: quae quamvis propter obviare oculis videretur, ad integrae horae tamen spatium consumpserat navigantibus. Tandem sunt visi insulae institisse. Sed ubi gestum est, omne id solum repente una cum viris et sepulchro quod visebatur summersari mari et in profundo labi conspicamur. Neque enim vana formido ludebat oculos intremescentium, enimvero illa Philonis mors et exitium eorum qui una Philonem comitati fuerant. Territi igitur detestabili morte sociorum indigenas barbaros rimabam [b], siquid nobis de itinere consultarent. At vero nullus uspiam visitur, locisque desertis et inhospitalibus per octo posthinc in memoratis [c] dies egimus consilio confirmando. Tum in illo promuntorio, cuius supra facta est mentio, bestiam quoque vidimus praegrandi admodum et inopinabili magnitudine, quam Hebdomadarion vocant, adeo immensae potentiae [d], ut illi perfacile insistentes etiam super dorsum elephantos cerneremus. Hac igitur spectaculi foeditate moti iter ad Prasiacam repedamus, per quas ubique vastitates multa ferarum no-

(*a*) Ita cod. (*b*) Ita cod. (*c*) Cod. *inmemorati*. (*d*) Cod. *adeo mensi potentia rem*.

mina multasque ciusmodi saevitudinis facies erat videre: serpentium quoque genera permiranda. Illic et solis lunaeque defectus comminus etiam speculati sumus, et causas hiemis et temporum differentias arbitrati. Quo primum reversi, ut inspecta sunt, vos quoque participare curavimus.

17. Nunc enim nobis iter per regna Darii Persasque nostros agitatur: quam cum omnem peragrare regionem cordi habeamus, multo ubique auro multisque crateribus habundamus, non his ex auro modo materia pretiosis, verum longe lapidum luce maioribus. Neque tamen nobis alia quoque ab hoc genere divitiarum instrumenta sunt minora. Sed hic circuitus [a] de quo dicimus a portis Caspiis fieri coeptus [b] laboris ac vitae [c] eiuscemodi. Ubi coeuatum exercitui foret, statim signum dari classico et ad vesperam iniri iter oportebat, idque horis ferme nocturnis tribus agitari convenerat: sex vero insequentibus [d] horis somno indulgere: rursusque exim ad horam diei quartam reliquum spatii transmittebamus. Sed enim viantibus non simplex habitus, neque incuriosa munitio fuerat necessaria. Peronibus quippe crura omnia pedesque muniri, et femoralibus uti pellinis [e] oportebat, relicumque corpus ambire loricis, quod illae omnes persicae regiones multis admodum et vehementibus infestari serpentibus dicerentur.

18. Idque iter continuatis diebus ferme duodecim exanclavimus, atque ita demum ad oppidum adventamus situm in insula circumflui fluminis, ibique visi-

(a) Cod. *circuit.* (b) Cod. *quoeptus.* (c) Cod. *laboras aut vitae.* (d) Cod. *insequeatis.* (e) Ita cod.

tur castrum consitum undique arundinibus, quae ad triginta cubitorum spatia supercrescerent. Crassitudo vero earum supra eam quanta est hominis crassitudo. Navigia quoque plurima amni inerant, quae mox curiosius intuentibus, partes quaedam fissarum arundidinum noscebantur. Enim huius fluminis liquor ad potum hominis adversus, amaritudine nimia cum salsitate. Quaerentibus igitur quam poteramus ex accolis usum elementi memorati, aliud castrum eminus demonstratur ab stadiis [1] ferme quatuor indidem situm: ad quod cum audacius quidam exploraturi properassent, flumen quidem affluum vident; sed emersi indidem hippopotami [a], magnitudine nescias an saevitia inmaniores [b], nostros qui exploratum abierant incursavere. Ac rursus ad aliam partem eadem nobis curiositate rimantibus, agmen earundem bestiarum longe numerosius occursabat. Quare omni genere fugiendum loco evitandumque periculum videns, classico signum abitioni praecipio: quamvis tanta vis sitis eiusque desiderii homines incessisset, ut plerique etiam a potu urinae ob necessitatis vehementiam non temperarent. Igitur forte fortuna cum exim stagnum quoddam dapsile repperissemus, potitique desiderato ac persuavi potu (*per*) prata virentia sterneremur, eminus video in quadam adiacenti eminentia titulo femineo [2] superscriptam hanc sententiam:

(*a*) Cod. *inpotami*. (*b*) Cod. *inmaiores*.

---

(1) Hellenismus est. Confer Procopium a me editum *Comment. in Genesim* cap. XIV. v. 14. p. 317.

(2) Cod. *adiacentis tuiminentia titulo gemineo*. De Sesonchosi, cuius sequitur inscriptio, recole lib. I. cap. 30.

Aquationem hanc rex Sesonchosis orbis universi
Praestiti cunctis rubrum navigantibus mare.

Igitur iussi propter hoc stagnum castra constitui, ignesque quam creberrimos fieri.

19. Et iam noctis ferme hora tertia numerabatur, illustrisque admodum luna nihil diurni luminis demutarat, cum subito conspicamur undique ex omni silva quae circumsteterat bestias quasdam ad ripam stagni potus gratia contendentes [1]. Erant eae bestiae scorpii quidam [a] non minus proceritudine cubitali: hammoditae etiam albi colore et rufi: nec non cerastae coloribus ut supra diversis. Quare vehementi sollicitudine incitati, conspicantesque iam nostrorum aliquos interemptos, fletibus undique consonantibus, periculum opperiebamur. Insequebantur enim praedictas bestias etiam quadripedes [b] beluae vehementes, potus scilicet consuetudine ac necessitate illô venientes: quae quidam erant leones supra magnitudinem taurorum quos ex nostratibus maximos ducimus, rhinocerotes etiam, vel apri vel pardi, lynces quoque et tigrides,

(a) Cod. *quidem*. (b) Ita cod. prima manu, mox factum *quadrupedes*. Sed *quadripedus* etiam apud Frontonem *de oration*. epist. I. ed. rom. p. 240.

cum notis. Porro Sesonchosim (sive Sesostrim) ubique terrarum a se acquisitarum cippos vel masculos vel femineos erexisse cum inscriptionibus, testantur Diodorus I. 55. et Manetho apud Syncellum p. 59. et 60. Idcirco ego *gemineo* legi *femineo*, nisi quis mavult *gemino*.

(1) Citatur aliis verbis hic locus ex manuscripto codice a Salmasio in notis ad Capitolini Gordianos ed. fol. p. 268. b. Porro varia historiae huius Valerianae compendia ego ipse tum in mediolanensi bibliotheca aspexi, tum etiam in vaticana.

scorpii cancrique una [a] elephantis et buriis [b]: tunc tyreelephautes [c], et cum his homines senis manibus portentuosi [d]: immo antipodes [e] etiam et cynopendices [f], multaque formarum humanarum genera invisitata [1].

20. Igitur excitabamur ad providentiam periculi imminentis. Atque ideo arma quidem quam properantissime capimus: mando vero ignes quam maximos et creberrimos fieri, silvisque ipsis conflagrare facillimis immitti incendia. Quae res etsi [g] plurimum quantum contra multitudinem bestiarum opitulari trepidantibus poterat, invitat tamen [h] nimietate luminis plurimas illô contendere: idque certamen in eo usque novis vitandis periculis fuit, donec cum lunae occasu umbrata tellure offusisque tenebris ad consueta silvarum refugia omnes illae bestiae remearent. Non tamen prius memorata saevities animantium receptui consulit, quam id animal supervenisset, quod reguum quidem tenere in hasce bestias dicitur: nomen autem Odontotyrannum [2] vocant cae [i] bestiae: facie elephantus quidem

(a) Cod. *trigides corepti utrique una* etc. (b) Ita cod. Nisi mavis *buricis*. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Cod. *im antopodas*. (f) Ita cod. (g) Cod. *et ipsi*. (h) Cod. *invita tamen a*. (i) Ita cod. pro *ei*.

(1) Portenta eiusmodi narraverant multi historici veteres, quos inter Alexandri sive comites sive aequales Onesicritus, Megasthenes, aliique. Lege Strabonem XV. p. 711, Gellium IX. 4, et praecipue Plinium VII. sect. 2. qui et fidem interdum eisdem adiungit.

(2) *Odontotyrannum* memorant etiam Cedrenus *Collect. byzant.* T. IX. p. 153, et Glycas T. XI. p. 142-143.

est, sed magnitudine etiam huius animantis longe provectus, nec minor etiam saevitudine hominibus egregie saevientibus. Quare cum nostros incesseret, ac ferme viginti et sex de occursantibus viros morti dedisset, tandem tamen reliqua multitudine ignibus circumvallatur et sternitur. Adhuc tamen saucius Odontotyrannus cum indidem fugiens aquae fluenta irrupisset, ibique exanimavisset [a], vix trecentorum hominum manus nisu extractus [b] de flumine est. Hactenus igitur noctis illius nobis periculi finis fuit.

21. Longe tamen molestius (quo enim caveri difficilius erat) quod post evenit. Tenebris enim post occasum lunae omnia ubumbrantibus, hynitalopicas [1] viseres de harenis profundis emergere non minus longitudinis cubitis ·X·, eaeque quo poterant homines involant. Tunc ex isdem harenis corcodrilli [c] etiam extantes passim invadunt quadrupedia militaria. Ad haec [d] alites quibus apud nos vocabulum vespertilio est, sed quae illic super columbae magnitudinem, dentibus autem [e] ad humani rictus valentiam saevae sunt, circumvolare coepere, et quibusque incautioribus aures aut nares aut digitos praesecare. Tum rhinocoraces insecutae, sed eae sane neque ad homines saeviebant, neque ignes temere advolabant [f]. Tandem igitur restitutus diei intelligensque in quanta discrimina proderemur ab hisce Indis qui sese salutares itineri [g] futu-

(a) Ita cod. Nisi forte scribendum est *exanimatus esset*. (b) Cod. *extracta*. (c) Ita cod. (d) Cod. *adhuc*. (e) Cod. *tamen*. (f) Cod. *advolebant*. (g) Cod. *salutaris itineris*.

(1) Si respicias ad epistolam editam, videntur intelligendi *indici mures*.

ros esse nobis polliciti erant, eos ob fraudis meritum isdem aquis praecipites dari necarique praecepi. Atque exin usi itinere rectiore, tandem restituimur viae quae nos ad Prasiacam tuto deduceret.

22. Igitur cum oppidum quoddam opulens sane et habundans omnibus refectioni humanae necessariis advenissemus, recipiendis viribus ibidem dies quinque transegimus. Enimvero cum sexta iam reditui consuleremus, talis nobis obicitur admiratio. Primum quidem venti spiritus vehemens et procella adeo supra consuetam magnitudinem rapax orta [a] est, ut non tentoria modo satis firmiter fixa convelleret, verum homines quoque stantes gradientesque prosterneret: nisi quod properanter sarcinis strictis ad tutiora oppidi concursamus. Enimvero dum ista molimur, coire nubes et in densitatem nimiae crassitudinis solis lumen omne coepere subtexere, indiscretamque nobis noctem diemque confundere. Neque id breve aut transcursorium fuit. Enim diebus fere ·V· pari facie foedatus aër in id tandem aliquando purgavit [1], ut sexta sub luce cum interruptis nubibus sol faciem mundo pristinam reddidisset, tantam vim nivium incubnisse videremus, ut supra trium cubitorum altitudinem densa múltos quidem et nostratium interfecerit, quos forte in apertioribus locis nacta sit; plurima autem [b] obruerit quadrupedia quorum nihilum non [c] stantaria [d] morte obriguisse visitares.

(a) Cod. *hortus*. (b) Cod. *tamen*. (c) Ita cod. quod scriptum fortasse pro *nonnihilum*. (d) Ita cod.

(1) Ita cod. sensu neutro.

23. Eaque nivium vis cum diebus ferme triginta vix habuisset, aequato tandem solo, itinere dierum ferme quinque Prasiaca [a] adventabamus multo quidem labore qui strictim dictus est exanclato: enimvero maiore praeda totius Indiae earumque gentium quacumque transmisimus convectata, nullo omnium Indo [b] Persarumve dubitante, quin omnia nobis ad subiugandum facilia forent quocumque animum intendissemus. At [c] cetera nomina pretiorum (*et*) opulentiam ulterius non requirendam (*existimavimus*) vixdum gravibus subvectionibus consulentes, cum tanta in his quae subiugata sint loca copia vel affluentia repperiretur. Sic igitur animo laxato cum nihil iam foret quod non fortuna ex hisce appetentiis explevisset, omne demum intenderam desiderium ut siquid esset quod invisitatum [d] aliis foret, atque auditu mirabile haberetur [e], id sane resciscerem viderem que.

24. Tum quidam [f] viri ex oppidis circumsistentibus esse dignum cognitu et scientia contendebant, si modo mirum homini videri posset virecta noscere et arbusta loquacia ad humanum modum. Id primum ut inpossibile alienissimumque natura arbitratus neque credideram referenti. Sed persistentibus adserentibusque, adsensus (*sum*) tandem itineri [g] eius terrae, quam sol oriens visitaret. Eo ergo cum venissemus, ducor in quendam locum arboribus consitum amoenis [h]. Hunc illi paradi-

(*a*) Cod. modo *Prasiaca* modo *Prasiacam*, sicuti in Itinerario vidimus *Maracunda* et *Maracundam*, *Hora* et *Horam*. (*b*) Ita cod. *Indo*. (*c*) Cod. *ad* (*d*) Cod. *inusitatum*. (*e*) Cod. *haberet*. (*f*) Ita cod. Nisi mavis *quiddam*. (*g*) Cod. *itinere*. (*h*) Cod. *et amoenis*.

sum [1] vocitavere. Enimvero conseptum viseres non materiae circumiectu verum arborum frequentia circumsistentium. Eum [a] sacrum soli lunaeque esse dicebant. Nam et aedes templaque opere naturali hisce Diis ibidem intrinsecus viseres, duas vero arbores caelum ferme proceritudine intervectas, simili facie qua cupressus, plerumque etiam directiores, ex [b] ea stirpe quod genus arbores myrobalanos [c] habent. Sed ex hisce duabus arboribus, de quibus supra locuti sumus, marem alteram, alteram feminam esse contendunt. Et maris quidem arboris praesidem solem, feminae vero lunam esse altricem [d]. Harum omnis circa radices convestitas viseres tergis ac pellibus sacris; sed ex his, quae ex maribus essent, (*ad*) marem arborem; quae vero ex pecudibus femineis, ad honorem feminae sitae. Quamvis hominibus gentis eiusce usus ferri aerisve et stanni omnifariam ignoraretur: neque esset quicquam quod ad aedificii usum ex luto fingeres. Cum igitur illa terga vel spolia bestiarum ex quis forent animantibus quaererem, conperio leonum esse sive pardorum, et huiuscemodi bestiarum, et hisce [e] tergis non ad honorem solum Numinum [f] uti consuetos, verum etiam ad operimenta abuti homines incolentes.

25. Id autem [g] esse in hisce arboribus admirabile: namque oriente sole marem illam [h] arborem, itemque cursus sui meditullium possidente, vel certe occiduo, loquacem fieri, et consultantibus tertio respondere [2]. Idem

(*a*) Cod. *eorum*. (*b*) Cod. *diretiorum est*. (*c*) Ita cod. *myrobalanos*. (*d*) Cod. *ultricem*. (*e*) Cod. *usque*. (*f*) Cod. *nominum*. (*g*) Cod. *tamen*. (*h*) Cod. *illum*.

(1) Paradisum vocem esse persicam vel indicam, nemo ignorat.
(2) Fabula ad oraculi dodonaei similitudinem ficta.

vero nocturnis horis atque lunaribus arborem feminam. Doctus igitur ab his viris qui antestites [a] loci sacerdotesque memorantur, uti mundus et ab omni inreligioso contagio inpollutus accederem, comites mihi eius aditionis adscisco amicos carissimos fidissimosque Parmeniona scilicet, sed et Craterum, Hypsillum quoque, atque Machenten [1], et Thrasyleonta, et Machona, una Theodecto, Philippoque [2], sed etiam Neocle. Monentibus igitur sacerdotibus religione prohiberi ferrum id loci [b] invehi, ita ut praedictum est facio moneoque: addo [c] tamen cautelam eiuscemodi diligentiae, quod octoginta viros fortitudine pariter explorantissimos [d] adesse circa ea loca ac nemus, quo ingrediebamur, quam sollicitissime iubeo, exploraturos etiam ecquis [e] esset qui forte vocem de proximo subiectaret, quam nos ex illis arboribus ferri arbitraremur.

26. Adhibito igitur uno ex Indis, qui interpres dictorum idoneus foret, cuius inlectu [f] illô veneramus, iuro quam sancte poenam illum capitis non evasurum si promissum ex arbore responsum diffamatumque tacuisset. Unde intentis ad audiendum, mox primum solis occasus et abitio fuit, vox auditur ex arbore sed

(a) Ita cod. (b) Cod. *loco.* (c) Cod. *addi.* (d) Archaismus pro *exploratissimos.* Confer p. 146. n. 2. (e) Cod. *etquis.* Cod. (f) *iniecto.*

(1) Nonnulla ex his nominibus corrupta videntur. In epistola vero edita (edit. Curtii Basileae MDLVI. p. 443-444.) alia corruptiora leguntur: *Sermition, Protesilas, Silvius, Mistemis, Timotheus, Lacon, Trasselon, Dedicus, Machathaon, Enodes, Simbrius, Snifidus, Perdica, Philotas, Coradas.*

(2) Cod. *Difficilique.* Sed apparet inferius Philippum in comitatu Alexandri fuisse.

lingua barbarica, eiusque interpretamenta nemo [a] quisquam nobis edissertare [b] audebat. Id cum obstinatius facerent, cupiditateque omni ad significantiam [c] vocis emissae properarem [d], interminatus interpreti necem, nisi sedulo mihi praedicta narrasset, perterritus tandem eiusmodi esse responsum arboris fert: quod enim obitu veloci et occasu iam proximo vitae meae spatia urguerentur: eamque mortem non de externis, enimvero de comitibus [e] et proximis fore. Quae dicta cum ex natura hominis meum quoque animum attillarent, ac sub ortu lunae rursus ex arbore femina oraculum mihi sciscitanti reddi deprecarer, quaerens et obsecrans numnam matre et proximis salutatis obitus mei clausulam subiturus sim; non barbara iam sed graecae linguae significantia lunaris arbor elocuta est, mortem mihi in Babylonia esse fatalem.

27. Id satis triste mirumque admodum amicis adsistentibus videbatur. Ego tamen coronis atque alio religioso honore locum donare contendens, sum prohibitus a sacerdotibus, quod huiuscemodi munera Dii indigetes abnuissent. Agebam moestus et expectatione futuri admodum territus: Parmenion autem [f] me Philippusque in somnum ac requiem hortabantur. Sed id quoque cum omnifariam negitassem, ac iam fermo dies insequens indilucesceret [g], ipsum ad sacrum ire contendo adtrectansque [h] arborem quaeso percontans, ecquid [i] si vitae praedicto adeo urguerer, revectari tamen ad Macedoniam corpus meum Dii permitterent?

(a) Cod. *habuit* pro *nemo*. (b) Cod. *et dissertare*. (c) Cod. *significentiam*. (d) Cod. *praeparare*. (e) Cod. *deibus*. (f) Cod. *tamen*. (g) Ita cod. (h) Cod. *adrectamque*. (i) Cod. *etquid*.

Viderene [a] matrem atque uxorem ultra potuissem? Sed ad haec (*cum*) primum ortu [b] solis lux mundo est reddita, ex [c] vertice arboris acuta quaedam vox sed enim discrebilis et intelligenda sic appulit:

Completa sunt, inquit, tibi vitae spatia quae debebantur,
Nec revehi sane ad matrem, ut desideras, poteris,
Quom [d] illa mors in Babylonia sit futura.
Sed sedes corporis longe diversa est.
Verum ubi haec tibi finis adfuerit,
Mox matrem quoque una et coniugem
Perituras esse tristiore [e] morte non ambigas,
Indis nna vel Persis etiam infestantibus.

His conpertis animoqne ad necessaria confirmato, moratus dies ferme ·XII·, ad Prasiacam festino: et aliis Indiae [f] regionibus, quarum peragrandis oppidis praesens intentio erat, debitam diligentiam praesto. Ergo Prasiaca percursata, revenio Persidam omni studio properans Samiramidos quoque nunc regnum visere. Sed quoniam ad hunc [g] mihi interim finem res gestae sunt, ea te scientia participare amicum fuit. Quare vale,,.

28. Post hasce litteras ad Aristotelen datas, pergit ire, ut scripserat, ad Samiramidos regiam, quod illó se et opulentiae fama [h] ducebat et magnificentia [i] pervulgata imperii satis inclyti ad laborem. Quippe urbs omnis muro quam validissimo est circumsepta, portarum valvis aere vel ferro ad firmitudinem vel decorem inpendio fabre possessis [k]. Omne vero oppidum quadratis saxis sed hisce non incuriose laevigatis con-

(*a*) Cod. *videre me*. (*b*) Cod. *ortus*. (*c*) Cod. *et*. (*d*) Cod. *quam*. (*e*) Cod. *id tristiore*. (*f*) Cod. *Atilaniae* pro *aliis Indiae*. (*g*) Cod. *adhuc*. (*h*) Cod. *fame*. (*i*) Cod. *magnifica*. (*k*) Ita cod.

gestum et cultum visere non absque admiratione visentium fuit. Enimvero regina oppido erat et pulchritudine famosissima et commendabilis ex aetate, forte tunc viro vidua quamvis mater iam trium liberorum. Sed feminae nomen Candace dicitur. Proneptis erat haec Samiramidos supradictae. Ad eam igitur Alexander scribit talia [1]. "Aegyptum adveniens, ex eorum indigenis audivi illis terris et domos vestras et sepulchra esse defunctorum: ex quibus palam fuit dominatores esse priscos reges [a] vestri, Indiamque tenuisse. Nam et relatio addidit [b], Hammona quoque meum militasse [2] una vobiscum, et id famae adstipulatur etiam oraculi maiestas, quod edictum [c] iubet uno [d] nos Deo sacris obsequi. Quare religiosum est facere Dei iussa, et id moneo suadeoque, rectius tibi facturae si veneris; non vero multum peccare si omittas [e].,,

29. Ad haec Candace scribit. "Verius [f] nobis ora-

(a) Cod. *regis*. (b) Cod. *ralatio*. (c) Dic si mavis *editum*. (d) Ita cod. (e) Cod. *rectius tibi facturae si veneris; non vero multum si veneris; non vero multum peccare si ammittas*. (f) Cod. *Venus*.

---

(1) Candace regina in rebus gestis Alexandri apud non unum historicum memoratur. Malela et Cedrenus dicunt eam viduam, eidemque interioris Indiae regnum attribuunt. Suidas item Indiae, at codex graecus ambr. Aethiopiae dicit reginam. Pseudo-Callisthenes apud Sanctecrucium p. 157. n. 2. in Syria regnantem narrat. Latinus alius codex ambr. cum Iulio Valerio fere consentit.

(2) Reapse *Iovis Stratii* seu *militaris* meminerunt Herodotus V. 119, Strabo XIV. p. 659, Plinius XVI. sect. 89, Aelianus *de natur. animal.* XII. 30, Appianus *bell. mithrid.* cap. 66, Hesychius voc. στράτιον, itemque Photii lexicon.

culum est Hammonis Dei neque nos in Aegyptum militare, neque Indiam nostram hac ex causa debere commoveri: enim siquis huc audeat, hisce utpote hostibus occursare. Quare Dei iussis parere decorum [a] est ac verecundum. Nec nos aestimes colore: quippe cui animi liberalis species intuenda est, non satis corporis forma praeiudicat. Id ne putes arte timoris adlatum, octoginta nobis populos scito esse vel maximos, eosque omnis agere in armis non ob iniuriam inferendam, sed inferentibus occursuros. At vero te probo quod ad communionem nos sacri et obsequium voces Hammonis Dei, quem maximum et praesentissimum scimus. Habebis ergo tibi ex nobis amicitiae argumentum centum laterculos auri grandissimos, Aethiopas impubes quinque [b], psittacos sex, phrygasque sex, praeterque haec Hammoni Deo nostro coronam smaragdis ac margaritis etiam toreumatis pretiosiorem. His et loculos refertissimos cuiusque generis margaritarum atque gemmarum ad decem numerum, eburneosque alios loculos octoginta una misi usibus et deliciis tuis: ferarum*que* genera quae sunt nostratia, elephantos trecentos quinquaginta, pardos sex, rhinocerotas octoginta, pantheras [c] vero quatuor [d], canes etiam in homines efferacissimos [e] nonaginta, tauros trecentos, virgas hebeni [f] mille atque quingentas, quae cum primum auferenda iusseris transmittentur. Et ut va-

---

(*a*) Cod. *decretum*. (*b*) Cod. *quingentos*, sed alius cod. lat. *quinque*. (*c*) Cod. *pantheros*, sed alius cod. *pantheras*. (*d*) Cod. addit *milia*, quod omittitur ab alio cod. (*e*) Ita cod. ab *efferasco efferacissimos*, uti apud Bellovacensem *spec. hist.* IV. 52. (*f*) Alius cod. sine adspiratione.

les scribas [a] ad nos velim, qui [b] te iam orbis universi dominum esse gratulemur „.

30. Et ad haec quidem transferenda Alexander miserat. Ipse vero paulo post videndae [c] reginae studio illô profectus est. Quod ubi Candace conperit, eiusmodi rem ex ingenio comminiscitur. Unum e pictoribus peritissimis ire clam obviam adventanti Alexandro iubet, eumque quam conliniatissime efficiat ac depingat, atque sese propter [d] picturam quam inleverat deferat [1]. Id ubi factum est et pictor revenit, acceptam effigiem abdito quodam et secreto ponit in loco. Sed insecuta est factum hoc eiusmodi fabula. Filius reginae Candacis, cui nomen Candaules erat, una cum equitibus admodum paucis forte occurrit ad quaedam tentoria Alexandri militum. Moti vero custodes exercitus personae novitate, ducemque illum et siqui cum ipso venerant conprehendunt offeruntque Ptolemaeo cui cognomentum Soter erat: eius enim dignitas veluti secunda post regis ambitum videbatur. Quod igitur Alexander id [e] horae somno per diem teneretur, Ptolemaeus quaerit ex homine quis esset quasve haberet causas repentini illius adventus? Ad haec Candaules opinatus regem Ptolemaeum, sese ait esse quidem filium reginae Candacis: sed enim sese una cum coniuge civilius et in-

(a) Cod. *haec ut valebis scribasque.* (b) Cod. *et qui.* (c) Cod. *videndi.* (d) Nempe *prope sese.* (e) Cod. *ad.*

(1) Malela, Cedrenus et Glycas non aiunt pictum Alexandrum, sed curavisse Candacem ut illius forma quae esset, fando audiret, atque ita praesentem agnosceret.

curiosius ad sacrificium annuum contendentem, superventu Amazonum [1] a quodam Bebryciorum tyranno uxore privatum, omnes denique militum, qui una secum fuerant, interfectos. Quare commodum nunc numeris congregatis hanc se moliri militiam ut ultioni consuleret [a].

31. His conpertis Ptolemaeus ad regem irrumpit, et quae conperta communicat: quae quidem grata Alexandro et ex voto accedere [b] videbantur. Surgit igitur e lectulo et diadema protinus suum in Ptolemaei caput transfert, chlamydeque angustiore et regia circumiectum egredi iubet. Tum ubi Ptolemaeus [c] ad Candaulem egreditur, facit ad sese Antigonum satellitem vocitare. Pro quo Antigono cum ipse Alexander Ptolemaeo se veluti satellitem optulisset; ibi, inquit, cuncta haec mihi comminus dicito, atque a me consilium super re quaeritato. Ita ut doctus est Ptolemaeus protinus facit. Sed cuncti videntes et Ptolemaeum cum insignibus regiis et pro satellite Alexandrum adsistere, summa expectatione pendebant, et quid novi consilii regi [d] sedisset. Namque ut egressus est habitu famulantis, protinus Ptolemaeus, cerne, inquit, Antigone, hunc Candaulem: is Candacis reginae est filius, sed enim iniuriam deflet coniugis raptae per insolentiam regis Bebrycis. Facies igitur obsequenter si nos consilio iu-

(a) Cod. *confuteret*. (b) Ita cod. Nisi mavis *accidere*. (c) Cod. *penitus*, sed alius cod. *Ptolemaeus*. (d) Cod. *regii*.

(1) Quaedam Amazones videntur olim militavisse sub tyrannis aut satrapis. Lege Arrianum VII. 13.

ves subiciasque ecquid [a] nunc facto opus esse arbitrere. Ad haec Alexander: dignum te sane erit, rex, ait, si armato exercitu iniuriam supplicis ulciscare, eximasque eius uxorem [b] cuius honor matri proficiat. His conpertis, Candauli gaudium. Sed Ptolemaeus ad haec respondit: ergo, inquit, Antigone, exsequere istud quod subiecisti consilium atque exercitum para. Faciam sane, respondit Alexander: sed enim commodum mihi, rex, ad consilium quod subiecero bellum istud inferri Bebrycum regi seu regno non die teste: neque enim animus barbari inprovisa formidine incitatus ab infectione raptae mulieris temperabit. Erit vero frustra opem supplici procurare si emolumentum victoriae dilabatur. Ergo si placet mox belli tempus et superventus eiusmodi confirmetur. Ubi enim flammis immissis noctis obscuro turbari civitas coeperit, adquiescent conditionibus nostris facillime iam praeventi, raptaque nobis haud difficile repraesentabunt.

32. Haec cum dixisset, et Antigonus consideraretur a supplice, procidens eius ad genua Candaules, quam vellem, ait [c], tu ille Alexander fores cum hac [d] tua, Antigone, sapientia! non enim armigeri pares nobis calles industria dedisset [e]. Ergo ut consilium fuit inruunt nocte barbaricam civitatem, et iam somno deditis superveniunt: iniectis denique flammis omnia conflagrare cum septis [f] somno nuntiarentur, causamque superventus haud dubie coguovissent; uudique incre-

(a) Cod. *etquid*. (b) Cod. pro *uxorem* habet *adinterfectus*. (c) Cod. pro *ait* babet *an*. (d) Cod. *haec*. (e) Cod. *non enim armigeri parum nobis calles industria dedisses*. (f) Cod. *septi*.

pari classico [a] iubet, Candaulis illum exercitum uxorem esse repetentis. Quare boni consulerent, si regi uxor protinus redderetur: quod ni fecissent, omnis civitas direpta hostiliter conflagraret. Id ubi civibus palam factum est, irruunt aedes tyranni, aedibusque praefractis [b] mulierem protinus reddunt. Hoc gaudio [c] Candaules cum agendis gratiis occuparetur, eiusque facinoris summam penes Antigonum collocaret, conplexus eum hisce alloquitur: da quaeso te mihi, Antigone, ait, ad matrem usque comitatum [1], ut pro consultis tuis a me quoque praemiis munerere. Ergo, inquit Alexander, recte feceris si id ipsum a rege super meo nomine postularis. Nam et mihi haud modicum [d] studium est et videndae civitatis tuae et reginae pariter salutandae. Monet igitur Ptolemaeum uti petitis adnueret, seseque legatum ac nuntium ad Candacem ire mandaret: et Ptolemaeus permisit ac si petenti veniam faceret [e], ac sic ait: et ipse sane loqui per litteras habeo [f] cum Candace, et gratiam tibi qua uti [g] desideras: eumque nobis quam primum sospitem redhibeto; hunc enim tibi ut me ipsum Alexandrum tecum ipse habebis. Ita sane, Candaules ait, eumque tibi onustum donis regalibus reddam. Insinuat

(*a*) Cod. *clauso*. (*b*) Cod. *aedibus praefectis*. (*c*) Cod. *gaudium*. (*d*) Cod. *haud medicere*. (*e*) Cod. *promisit ac si petenti advenire facit*. (*f*) Ita cod. (*g*) Cod. *quam ut*.

(1) Videtur dicendum *ad matris usque comitatum*. Porro Alexandrum incognita specie solitum obire legationes aiunt ad hunc historiae locum Malela et Cedrenus et Glycas. Recole etiam Iulium Valerium lib. I. cap. 35, et II. 26.

ergo traditque Candaules Alexandro vel maximam exercitus sui partem inpedimentaque omnia quibus apparatus regius vehebatur.

33. Sed enim Alexander viabundus [a] cuncta curiosius spectans animo perlustrabat, montes scilicet arduos et congesta saxorum nivali specie candentium, quae pleraque crystalli metalla dicebantur, frigida sane sub caeli plaga et circum omnia nubibus convestita: enim frigus hoc fertur non obsistere ubertati; arbores enim procerissimas virentesque et graves pomis ubique mirabatur. Haec poma erant vel mala grandia ad auri gratiam colorata, sed ad magnitudinem ferme quae apud nos est citri excrescentia. Uvae ponderis et densitatis inmensae prorsus ut singulis acinis vel inplearis [b] si maioris [c] hiatibus non occursas. Granatis etiam malis suam dat gratiam magnitudo: nam grana illis quo glaudes inpetu [d] verum ignicantia: tam sapora ipsaque mala non minus pepone [e] excrescunt. Enimvero potiundi [f] horum pomorum perdifficilis occasio: ita omnia vel pleraque dracones amplexi possident haud errabundi [1]: tum genera lacertorum haud minus ichneumonum magnitudine. Multa praeterea animantium genera innoxiaque, sed enim facie peregrina, nostris experimentis aliena: et simias viseres faci-

(a) Cod. *uthabundus*. Nisi quis mavult *visabundus*. Iam vocabulum *visabundus* videsis in Itinerar. cap. 23. (b) Cod. *vel inprobum*. (c) Ita cod. (d) Cod. *inpetum*. (e) Cod. *pepones*. (f) Cod. Cod. *potiori*.

(1) Id adumbratur ad Hesperidum fabulam.

le magnitudinem ursarum nostratium supervectas formasque varias simiarum quas distinguere difficile est (*ab*) hominibus non insignitis [a].

34. Locorum vero pleraque saxis quidem aspera sicuti dictum est, sed quae facile praesumeres haberi et incoli posse Numinibus. Quippe loca haec domus Deorum vocant, et plerumque visuntur in hisce secessibus agere Dii res voluptarias. Addebat quippe Candaules et vocatos hominibus respondere, et vultu quoque se regibus [b] confiteri. Quare tu quoque, si voles, invitato sacrificiis haec Numina: nec erit difficile experimentum, quin te quoque sui conspectu dignentur. Multa igitur eiuscemodi cum per omne iter vidisset audivissetque Alexander, tandem cum Candaule ad regiam Candacis venit. Quare iam primum fratres eius postque et regina mater cum regiae pompae comitatu Candauli obviantes, in conplexus eius gratulabundi irruere gestiebant. Sed enim praevenit iuvenis, nec prius sibi adfectus huiusce obsequia deposcit, quam Antigono gratias super adiuto sese ac liberata coniuge confessi forent. Hunc enim Antigonum internuntium esse regis Alexandri secumque legatum. Tunc quaerentibus gratiae novitatem et iniuriam raptae coniugis et ultionem provisi beneficii refert. Ergo agunt gratias iuvenes et regina laetatur ultione [c] pariter temerati Candaulae et integratae nurus illibata laetitia. Coena denique gratulatoria, ubi id tempus, operosa et regalis apponitur: et est videre apud illos lasciviam

---

(a) Cod. *quas ei ferre difficile est hominibus non insignientem*. (b) Cod. *et vultus esse quo sint regibus*. (c) Cod. *ultionem*.

barbaram, incubare pretiis, illudere pretiis, sed et vesci de pretiis.

35. Insequenti autem [a] die cum Caudace ostentatione regia processisset, superba admodum gemmato stemmate et gemmato diademate, statura auctior, aetate veneranda (ut Alexandro recordanti ad Olympiadem matrem eius aestimatio conveniret) dedit prorsus sciri sese et opulentiam suam. Domus vero egregio opere elaborata hisque metallis insignita erat, ut intuentibus splendor ornatûs pariter et celsitudo moliminis undique sudo quodam et ignoto [b] lumine coruscaret: nihil in sese dispar aut alienum [c] possidens usquequaque lucebat. Omnia veste serica, colore purpurea [d], intexta auro, gemmis admixta quae veste coepta fuerant [e] et perornata. Gemmarum vero regalium utrum magnitudines mirere, an vero coloribus ducere, an fulgoribus vincere, iudicium prae stupore non erat. Inter aurum sane purpureaque texta vel gemmas ebur multum, sed in ebore viseres artis pretia maiora. Onyx pro saxis, et columnae de gemmis, et eorum proceritudo ubique supra nostrates arbores, sed quae sint procerissimae, fuerat, hebeno tamen plurima interpolante: quod si sit ad caeruli speciem vel colorem laevigatio, tamen plerumque ex ea purpura aliud esse quam si saxum hebenum mentiebatur [f].

36. Illic et effigies plurimae tum e marmore vario, tum e metallo cuiuscumque modi rennuebant numeriam aestimationem, quae omnis curiosi diligentiam vinceret. Adeo multa erant! Quamvis in singulis fig-

(a) Cod. *tamen*. (b) Ita cod. (c) Cod. *alius*. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Ita cod.

mentis fuerit superbior admiratio, currus sane falcatos e porphyrite lapide sed conliniatissime, una cum animantibus et aurigis, ad veri faciem videre erat plurimos et passim ubique constitisse, quos et cursum agere opinarere et moveri omnia non discrederes. Ita prae corusco fulgoris oculorum officia praeverso labi erat opiniones intuentium. Ast alii currus quadrigas elephantos iunctos habebant, eosque hebeno, cui concolor bestia veri facilius imaginem retinebat; sed subter erant inpressa pedibus elephantorum captivorum corpora subcumbentium aut innexa proboscidibus suspensaque. Quae inter omnia id sane praecipuum regi operis videbatur, quod una de gemma scalptum templum indidemque columnas cerneret interscalptas, obsessum omne et [a] frequens horrore sacro de Deorum vultibus barbaris, qui plusne formidinis an admirationis darent, haud erat hominis discernere. Inter haec et celsa illa atque ad caelum suspicanda palatia interfluere Argyritum [1] flumen et alium Pactolum fluvium mirabatur: sed utrumque alveum auro divitem et prae nimietate auri interfluentis, aquae quoque aurigantem colorem: sed eorum litus et margines insertis arboribus convirescunt quae celsae sint et odorae [b]: cypros denique gentiliter vocant fructu suavi et umbrosis frondibus divites.

37. Haec igitur cuncta cum Alexander intuitus esset [c] admiratione quadam debita vincebatur. Agebat in

---

(a) Cod. *omnes vel.* (b) Cod. *odore.* (c) Cod. *interisset.*

---

(1) Confer Melam III. 7, Plinium VI. sect. 23.

convivio Candaulis soror [a]. Enimvero quaesit quam blandius post [b] matrem Candaules uti Antigonum suum pro merito gratiae regalis muneraretur, quo donatus [c] pro fortuna tantae reginae, ad propria protinus remearet. Conprehensum igitur Alexandrum Candace per aulam suam omniaque regiae secreta ac penetralia circumducit, secessus quosdam ei aedium monstrans ex eo lapide, cuius quidem fulgor [d] ignitus est (nam lignitem etiam vocant), intuentibus visitur opinio quaedam indidem solis orientis. Triclinium quoque ibidem videt alio de saxi genere, cui cum sint igneae quaedam maculae vel inustiones; haud secus haec, quam excandentes [e] lapides sunt, flammea visebantur [f] quasi caelitus septem astra discurrere: stellasque omni studio et sereno sub tempore caelestem chorum agere mirere. Erat et tectum ad instar integrae domus marmoris preciosi opere circumforaneo [1]. Namque aedes illa portarum lapsibus subter ut [g] a viginti elephantis ad reginae iter movebatur: eoque his solita regina quoque militatum pergere praedicatur.

38. Sed enim Alexander ne victus rudi quadam admiratione videretur, ampla sane sed pro conditione opulentiae gentilis atque praesentis visa sibi omnia confitetur. Quippe admirabilia videri potuisse tunc mage

(a) Cod. *Candauli sororis*. (b) Nempe *rogat quam blandius postea*. (c) Cod. *donatur*. (d) Cod. *fulgur*, quod si retines, fac deinde *ignitum*. (e) Cod. *ei cadenti*. Fortasse scribendum *excandescentes*. (f) Cod. *visabantur*. (g) Ita cod. Nisi mavis *vi*.

(1) Nempe *mobili*. Confer Apuleium *Metamorph*. IV. ed. paris an. MDCLXXXVIII. p. 116.

si apud Graecos haec forent, apud quos essent claborandis rebus peregrina materia. At cum Indis [1] tanta et aliorum huiuseemodi pretia servirent, segnitiae condemnandos fuisse, si non haberent quibus uti ex facili licuisset. Et intellegit regina Candace ingenium viri et probat sane. Sed in respondendo sic ait: vera mihi dixisses haec, Alexander mi. Tum audito nomine obstupescens, apage, inquit, o regina, hoc a me nomen, quippe ipse Antigonus vocor: enimvero Alexander nobis rex cluit, cuius ego nunc internuntius huc adveni. Et regina post haec: esto sane, inquit, Antigonus apud ceteros, mihi tamen nomine [a] Alexander rex eris. Neque nesciens id habeo aut differam probationem. Et cum dicto adprehendens in paenita [b] perducit, olimque provisam [c] imaginem ostendit. Agnoscisne, ait, Alexandri illius quam mentiri non potes faciem? Sed quidnam intremuisti tam trepide, quidve turbaris ex vultu? Non ille tu Persarum potens es? non Indiae dominus? non qui iam orientem omnem trophaeum tuum feceris, Parthis et Medis imperitans? An vero te pudet sine militia vel expeditione in manus feminae devenisse? Quare conice quaeso quid te iuvarit tua illa famosa prudentia, cum nunc Candacem tui [d] videris sollertiorem. Quod igitur huc attinet arrogantiam nimiae prudentiae iam deponito.

39. Haec illa dicente, nec vultui constare Alexan-

(a) Cod. *nomini*. (b) Cod. *poenita*. Et diphthongus quidem *ae* merito retinetur. (c) Cod. *pervisam*. (d) Ita cod. *tui*.

(1) Cod. *sibi*, sed videbatur scribendum *Indis* aut *illis*. Vel dicendum *tibi*, referendumque ad Candacem.

der, quin etiam infrendere dentibus videbatur. Et regina subridens: quid te iuvat, inquit, haec tua tacita indignatio sic saevientem vel si mavelis.insanientem? Ad haec ille: una mihi, nam sane profitendum est, ait, vel maxima indignatio, quod mihi gladius meus huc comes non sit. Et cuinam usui, regina respondit, gladium tibi nunc requisisses? At ille, quod enim in huiuscemodi tempore atque rebus regale admodum munus foret interfecta te comitem me praemissae morti praestitisse, nequid sit foedius quod praeteritas nostras glorias obumbraverit. Accipio, inquit Candace, professionem dignam viro et animo sane regali: sed metum hunc abicias velim, et magnitudinem gratiae tuae beneficiique considerans dignam vicissitudinem spera. Quod enim filio Candauli meo in Bebryciorum ultione praestitisti, id tibi ego in tua salute praestabo, atque apud gentiles barbaros meos fidem veri clam habebo [a]. Quippe cum palam sit a caede tui homines natura saeviores haud facile temperaturos, siqui ad fidem venerint, praesertim cum tu etiam Pori sis interfector, cuius filiam scito iunioris mei filii coniugio copulatam. Quare esto Antigonus apud illos, cum mihi soli Alexander habeare.

40. Et cum hisce dictis egreditur, atque ad Candaulem sic ait: fili Candaule, tuque Margie nurus suavissima, gaudeo admodum quod in tempore fuit vestro Alexandri regis auxilium repperisse: ceteroqui [b] vobis vidua iam et lugubris hic sederem. Dignum igitur fortuna nostra erit internuntium Alexandri donatum muneribus hinc remitti. Sed ad haec iunior Can-

(a) Cod. *habeo*. (b) Cod. *ceterumque*.

daces filius, Charagos nomine, quam vellem, inquit, o mater, nostrae quoque iniuriae meminisse! Neque enim clam te, illum quem opitulatum salutariter dicas fratri meo, mei quoque soceri interfectorem extitisse. Erit igitur memoriter ac iuste etiam indignantis si vel in hoc Alexandri internuntio eius ulciscamur iniuriam. Sed ad haec regina Candace: neque, inquit, o nate, mihi ad Alexandrum istud iniuriae facit, et perfacile damnum est regibus uno milite caruisse. Tunc legationis ius et foedus perpetuum internuntiorum in nobis claudicare non sinam. Ad haec Candaules etiam excipit: neque sane ad ista, quae iusta sunt, a nobis quoque aberit Antigono defensatio: neque enim ingenuae conscientiae est, a quo tibi salutem datam tuisque fateare, eius iniustum exitium prodidisse. Sed enim fortior iuvenis: numquid ergo mavis, Candaule, super hoc Antigoni praemio bello nos decernere? Utrum enim iustius sit, vide, ultionem suis an vero vicem gratiae praestitisse? Ibat adulescentior fervor et vis cum impetu animi regalis, et ex pari utriusque gliscens indignatio asperabatur: metuebatque mater ecquod [a] aetas illa temere consultaret.

41. Seducto igitur Alexandro, nunc, inquit, tempus est tuae celebratae prudentiae: repperiendum enim consilii genus quo filiis causa civilis proelii dilabatur. Bono animo esse reginam Alexander iubet. Quare reversus ad iuvenes, neque me sane, ait, minae istae mortis magnopere terrebunt, nec regi meo damnosa satis videbitur ista iactura. Quot enim satellitum milia et quantus [b] animantium numerus hoc regi obsequium

(a) Cod. *etquot*. (b) Cod. *quantis*.

meliusque hoc praestare poterit [a]? Enimvero ego cessi Candacis gratiae, vesterque iam fiam, siquidem ita nobis ad fidem sederit, uti ex praedicatione [b] vestri praesertim hisce liberalitatis indiciis faciam [c] Alexandrum ductum huc ad vos sponte pervenire, praesertim adeo inmodice habendi cupidum atque opibus inhiantem: qui cum perexiguo comitatu vestrae se fidei commiserit, haud magnifaciam quid de eius exitio consultetis: modo ut vos gratiae memores remuneraturosque [d] in posterum mihi vos sedulo promittatis. Sed et sponsionem adulescens, et Candace protinus inventi prudentiam demirabatur. Rursusque secreto, utinam, Alexander mi, te quoque velles ad numerum mihi addere filiorum [1]! Quis enim dubitet, tunc demum fore Candacem orbis universi reginam, si talis quoque mater filii putaretur? Ego iam credo non te plus ferro vel proeliis quam actu etiam celebris prudentiae gentibus praestitisse. Confirmo igitur tibi rursus eandem illam fidem sponsionis meae, neque te ut res est noscendum cuipiam profitebor.

42. Ergo post paucos admodum dies digredienti dat secretius munera coronam auream adamantibus coruscantem prorsus ac si [e] regiam, thoraca varium ex unionibus beryllisque, chlamydem etiam purpuream intextamque auro, aliaque praeterea cum testimonio

(a) Cod. *non poterit*. (b) Cod. coniunctim *expraedicatione*, quod esset novum vocabulum. (c) Cod. pro *faciam* habet *facile*. (d) Cod. *remuneratosque*. (e) Cod. *aesi*.

(1) Nimirum Alexander ab Halicarnassi quoque regina se filium dici dignantissime pactus erat. Confer Itinerar. cap. 10.

publico, quae ad satellitem pertinerent, iubetque hominem deduci eo et per satrapas vicissimque profectum repedare quo [a] venerat. Ubi igitur ad id loci Alexander venit, quas Candaules ei Deorum domus esse confessus est [1], et sperat posse illic sibi cum Diis inmortalibus verba ex praesentium copia opinari [b]; sacrificatus ibidem convivatusque, adhibet etiam ex comitibus quam paucissimos. Interea intervenire quasdam effigies videt tenui quidem sed corusco sub lumine; ut si conventu nebuloso vera primum occurrentium confundantur: tum etiam circumsistentia tecta undique conspicudescere: et cum his una crescit turba formarum, et murmur praesentium usurpatur, et fit prorsus unum Diis hominibusque convivium. Hic cum animo confusus reverentia debita Alexander trepidaret (quippe intuenti videri [c] iam clarius erat flammas quasdam ex oculis Deorum discumbentium promicantes, prodique effigies quas haud dubie divinas esse vel brutissimus sentiat). Unus ergo tandem ex his, have, inquit, Alexander mi. Tunc cum rex venerationem debitam reddidisset, quaesissetque quis esset qui se fruret hac salutatione dignatus; ego, inquit, Sesonchosis ille sum: sed enim ut vides adscitus convivio celibatum ago una cum Diis, quod profecto te quoque procul dubio iam manebit. Ad haec Alexander cum ratum spei istius requisisset, Sesonchosis rursus, iure, inquit, ista tibi sperare convenit, qui inter cetera laboris et gloriae, eius quoque urbis auctor

(*a*) Ita cod. (*b*) Ita cod. (*c*) Ita cod.

(1) Recole huius libri caput 34.

extiteris, quae rebus humanis magnificentia pariter antistet et gloria. Quare abi [a] introrsus ut summi quoque potentiam Numinis coram salutes.

43. Tum audacior [b] rex ingressus sacri loci paenita [c], maiestatis effigiem videt et fulgore aetheriore nitentem. Enimvero sedentarium talemque prorsus, qualem apud Rhacotim [1] adoratum a sese summum Deum praesidem Serapim meminisset. Ibi ergo cum augustissimum Numen Alexander salutasset, agnitionemque confessus esset olim visitati Dei, rursus Sesonchosis sic exorsus: numnam, inquit, tibi Alexander mirum est in tam longinquo Dei huius praesentiam visam esse? sed idem ubique totus ac praesens est, ait. Quod enim caeli ambitus ubique praestiterit homini, id huius quoque Numinis vis, (*quae*) numquam frustra veluti per absentiam requiritur [2]. Tum [d]

(*a*) Cod. ***habitus***. (*b*) Cod. *accior*. (*c*) Cod. *poenita*. (*d*) Cod. *cum*.

---

(1) Cod. *Racatin*. Recole lib. I. cap. 30. Tacitus autem *hist.* IV. 83-84. narrato simulacri serapiaci advectu ex urbe Sinope Alexandriam iussu Ptolemaei Soteris, ait: *templum pro magnitudine urbis extructum loco, cui nomen Rhacotis. Fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum.*

(2) Nimirum inquit Aristides *orat. in Serapidem*: οἱ μὲν δὴ τῆς μεγάλης πρὸς Αἰγύπτῳ πόλεως πολῖται καὶ ἕνα τοῦτον ἀνακαλοῦσι Δία, ὅτι οὐκ ἀπολέλειπται δυνάμει περιττῇ, ἀλλὰ διὰ πάντων ἥκει καὶ τὸ πᾶν πεπλήρωκε. *Illi sane qui magnam urbem ad Aegyptum incolunt, hunc* (Serapim) *etiam solum pro Iove invocant, quod nulla destituatur facultate, quin omnia pervadat ac repleat.*

Alexander occasionem veri audiendi ratus, protinus sciscitatur, quantum sibi ad vitae spatia polliceretur? Sed Sesonchosis, et ante iam dictum fuit, inquit, tibi, nihil homini commodare praescientiam quam requiris [1]. Quippe viventi de vitae termino ratum dicere, nihil aliud est quam longum moerorem ei et perpetem contulisse; spem vero vivendi perinde fieri longissimam si [a] praesentibus perfruare. Quod ergo tuum est ac beatitudini tuae proficit, urbs tellusque quam delegisti erit orbis [b] inlustrior, eoque tibi nunc et in posterum una erit omnium veneratio. Deus [2] denique praesidebit. His etiam laeteris si homine demutaveris [c]. Post hoc responsum et sacrum Alexander haud difficile ad exercitum venit, Candacis corona et insignibus comptus.

44. Exim ad Amazonas ire festinat [3], ad quas prae-

(a) Cod. *se.* (b) Cod. *urbis.* (c) Ita cod. Confer lib. I. cap. 32.

(1) Vide lib. I. cap. 31. p. 102.

(2) Scilicet Serapis.

(3) Alexandri congressum cum Amazonibus sibi omnino persuasisse videntur Diodorus XVII 77, Curtius VI. 5, Iustinus XII. 3. Ea tamen res a Strabone XI. p 505, et ab Arriano VII. 13. fabula dicitur. Plutarchus autem p. 63-64. docet accurate quinam e veteribus eamdem rem adfirmaverint, quinam item negaverint: πρὸς Ἀλέξανδρον ἀφικέσθαι τὴν Ἀμαζόνα οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ὧν καὶ Κλείταρχός ἐστιν καὶ Πολύκριτος, καὶ Ὀνησίκριτος, καὶ Ἀντιγένης, καὶ Ἴστρος· Ἀριστόβουλος δὲ, καὶ Χάρης ὁ εἰσαγγελεύς, καὶ Πτολεμαῖος, καὶ Ἀντικλείδης, καὶ Φίλων ὁ Θηβαῖος, καὶ Φίλιππος ὁ εἰσαγγελεύς, πρὸς δὲ τούτοις Ἑκαταῖος ὁ ἐρετριεύς, καὶ Φίλιππος ὁ χαλκιδεύς, καὶ Δοῦρις ὁ σάμιος,

mittit litteras in hunc modum scriptas. “Victorias nostras et in Darium bella, eximque in alios quoscumque militavimus glorias haud dubito vobis famae ipsius magnificentiam commendasse. Nam et Pori fortunam et iter nostrum in Oxydracontas ac Bragmanas digne taceri non arbitror: in hoc nomine Gymnosophistarum etiam per clementiam laudatior [a]: quippe quos siverim mage [b] cum pace, ac suis legibus moribusque donaverim. Quod si vobis haud displicet, accipite nos istô venientes, et, quod est amicitiae munus, Diis sa-

(a) Cod. *laudatiora*. (b) Ita cod. Sed fortasse dicendum *agere*.

πλάσμα φασὶ γεγονέναι τοῦτο· καὶ μαρτυρεῖν αὐτοῖς ἔοικεν Ἀλέξανδρος· Ἀντιπάτρῳ γὰρ ἅπαντα γράφων ἀκριβῶς, τὸν μὲν Σκύθην φησὶν αὐτῷ διδόναι τὴν θυγατέρα πρὸς γάμον, Ἀμαζόνος δὲ οὐ μνημονεύει. Λέγεται δὲ πολλοῖς χρόνοις Ὀνησίκριτος ὕστερον ἤδη βασιλεύοντι Λυσιμάχῳ τῶν βιβλίων τὸ τέταρτον ἀναγινώσκειν ἐν ᾧ γέγραπται περὶ τῆς Ἀμαζόνος· τὸν οὖν Λυσίμαχον ἀτρέμα μειδιάσαντα, καὶ ποῦ, φάναι, τότε ἤμην ἐγώ; *ad Alexandrum venisse Amazonem* (regiuam) *perhibent multi, inter quos Clitarchus, Polycritus, Onesicritus, Antigenes, Ister, sunt. Aristobulus vero, Chares isangelus, Ptolemaeus, Anticlides, Philo thebanus, Philippus isangelus, insuper eretriensis Hecataeus, Philippus chalcidicus, Duris samius, esse hoc adserunt commentum; quibus adstipulari videtur Alexander: siquidem Antipatro omnia diligenter scribens, Scytham ait filiae sibi nuptias obtulisse, Amazonis nusquam meminit. Fama est, multis post annis Lysimacho iam regnanti Onesicritum quartum librum suum recitavisse, in quo meminit Amazonis, ac Lysimachum subridentem dixisse, ubi vero tunc ego eram?* Denique Auctor Itinerarii cap. 41. cognitas quidem ait Amazonas Alexandro sed non aditas.

crificate pro nobis: iam quippe vobis aderimus. At vos velim obviare nobis animo gratante, cum ad amicitiam iter istud non ad periculum sit futurum „. Ad haec Amazones respondere.

45. " Vel fiduciae munus est vel libertatis omnia tibi, rex, scribere quae penes nos sint. Non quod fidem scriptis deroget ulla suscipio, sed ut plenius noscas et quid operi precii sit his quicumque hostili fervore in nos cupiant militare. Commune quippe humanitatis studium esse arbitramur, in quaeque dubia ausuros nihil prius quam emolumentum laboris intueri oportere. Scito igitur primum colere nos interamnanum a Machonico [1] flumine locum omnem quo consistimus ambitum [a], eo fluente circiter spacio quo [b] una sit aditicula, eaque vix accolis nota, qua septem flumina vel inrumpi oporteat vel emergi: eiusque alvei tanta est difficultas, quanta nos a quibusvis periculis tueatur. Hoc igitur tantillo in loco ducenta milia virginum coimus, nullo omnino maris sexu interpolato. Enimvero sicubi nobis ad naturam est consulendum, annuum sacrum est quod hippophama vocitamus. Eius sacri causa ad mares nostros qui ultra amnem extrinsecus perpelantur [c] omnes ferme transimus, atque il-

(a) Cod. *ambientem*. (b) Cod. *quae ut*. (c) Ita cod. Nisi mavis *perpelluntur*.

(1) Haud scio an dicendum *Machelonico*, quoniam Arrianus (*peripl. Euxin.*) *Machelones* populos collocat in Cholchide, quae vulgo creditur sedes Amazonum. Tamen et *Machetegos* populos fere post Oxidranceu regionem videsis in Ptolemaei Asiae tabulâ VII. C. b.

lic per dies ·XXX· inter haec quae Diis aguntur, ubi fuerit ad lubentiam nubimus. Nuptias vero cum maribus derelinquimus, pactis et legibus ut quaeque exim ad sexum hunc editae fuant, eaedem [a] post septennium in exercitum dimittantur. Sed ubi venerint erudiuntur equis et peltis, donec armis idoneae fuerint. Igitur nobis quocumque militandum et ·XX· milibus nostrum domi et in praetendentibus, et ceteris arma sumuntur: redeuntibusque mos est honorem pro vulneribus numerari. Ea nobis stipendia sunt, haec provectio: tantumque quis nostrum honore dives est quantum cicatricibus insignitior. Quippe et corona aurea redimitae salutamur, atque adoramur a ceteris, et publicis conviviis adhibemur, et cuncta quae sint nobis ad obsequium deferuntur. Quod si in bello mortem quam voti erit nobilis virgo strenue oppetet, et functi honores adhibentur, et adfinitati functorum largae pecuniae honoresque numerantur. Ceterum nobis aurum non est neque argentum, nisi quod sit in insignibus militaribus. Haec illa sunt, in quibus inpenduntur nostra discrimina, et in quae omnia periclitandum est, quaecumque Amazonas bella deposcent: cuius eventum non satis arbitramur utrique de pari. Quippe ubi Amazonibus auctor [b] generis nostri Mars faverit, mares a feminis caeci [c] victique maiore cum dedecore oppetent vel dilabentur. Ubi vero cum maribus steterit belli fortuna, pudenda res est, siquid hic sexus superatis feminis glorietur. Haec tibi igitur, rex, responsa de no-

---

(a) Cod. *eadem*. (b) Cod. *actor*. (c) Ita cod. Dic autem *capti*, nisi forte *caeci* est heic pro *aversi*.

bis sunt, quarum si fiduciam probas, obsequium etiam non aspernabere: siquidem te coronamus corona aurea annua, quae sit ponderis quanto tu iusseris. Super his quod mavelis scribito: nos enim, si secus sederit, praeter amnem in acie deprehendes „.

46. Hisce rex lectis delectatus admodum, sic respondit. " Qui terrae ambitum diligentius mensi sunt, eiusmodi magnitudinem universi trifariam diviserunt, easque partes Asiam vel Europam vel etiam Libyam nominavere. In hisce igitur partibus universis trophaea quoque nostra consistunt: et est pudendum si in quibus nulla omnium obstiterit difficultas, a cognitione vestri veluti sub metus infamia declinemus [a]. Quare vestrae sit facultatis, siquid de bello consultetis. Ceteroqui obsequium atque amicitiam diligentibus vicissitudo nostri non displicebit. Neque vero resistentibus exitium gentis et patriae, neque cedentibus amica humanitas differetur [b]. Progressae igitur ultra qua [c] lege vultis praeter amnem, ad nos venite, omnemque multitudinem vestram illic in ordines ponite. Quod ubi fuerit ex forma huiusce praecepti, ego vobis Hammona patrem meum atque Iunonem, Minervam etiam victricem iuro, nihil amplius a vobis exactum iri [d] quam siquid pro viribus offeratis. Mittite sane ad commilitium mihi strenuas quasque equites [1], quantas vultis, quibus singu-

(a) Cod. *declinemur*. (b) Ita cod. Mox factum *differretur*. (c) Cod. pro *qua* habet *sub*. (d) Cod. *exacturi*.

(1) Plane aliter Arrianus VII. 13. Ait enim, Amazonas, quae non invocatae venerant in castra Macedonum, ab Alexandro fuisse remissas.

lis remuneratio erit minae auri quinque pretium, ceteraque ad hanc magnificentiam congruent. Enimvero istae quas miseritis, ubi annuum nobis [a] obsequium emensae sint, in propria remittentur [b], uti pro hisce vicarias destinetis. Super his igitur, ut vobis commodum est, consultate „. Igitur Amazones mutae rescribunt. "Et dare se regi quam cupiat veniendi facultatem, inspiciendique terras suas, et coronare secum [1] annuis talentis sex: quingentas etiam equites destinasse armatas et strenuas, ut poposcerat, quae per annos scilicet permutentur. Quod siquis ex hisce ad sexum suum cesserit, eam se patere [c] ibidem desidere, inque eius locum supplementum de gente postulari. Quippe Amazonibus certum esse parere viro absenti, cui cessisse omnium hominum genera didicissent „.

47. His acceptis Alexander iter in Prasiacam inde pervertit, quae quidem eius multa peregrinatio labori admodum et plurimi periculi fuit. Nam aestatis ferme iam medio repentini imbres fluxere adeo vehementes atque continui, ut non solum vis animantium deperiret, et quaecumque usui sunt ad militiam putrefierent, verum ipsis etiam per indigentiam calciamentis [d] pedum plurima pernicies inferretur: quippe ubi nudo vestigio per loca aspera humidaque perpeti labore traherentur. Neque vero id sub isdem imbribus

(a) Cod. *vobis*. (b) Cod. *remittuntur*. (c) Ita cod. Est autem archaismus *patio* pro *patior*. (d) Cod. videtur habere *calciamentorum*.

(1) *Se cum*; vel *secum* pro *se*, uti occurrit *tecum* pro *te* apud Frontonem ad Ant. Pium ep. VII. ed. rom. p. 259, ad quem locum vide nostram adnotationem.

adeo molestum, quam redeuntibus in naturam temporis solibus fuit: quamvis intemperie illa et tonitruum plurimum et iactus fulminum crebros experti essent. Nam et voces incertas resonantes audierant et portentuosa [a] plurima eiuscemodi experti erant. Ubi vero iam ad Prasiacam adventabant, Tympanimque flumen, quod dispertit huiusmodi conlimitia, transierant, conperit ibidem [1] super magnitudine eius gentis ac regis potentia qui Prasiacae potiretur. Quippe ista Prasiaca propter oceanum sita, quo de reliqua hominum turba semotior, hoc ad multitudinem quoque largius vivit. Addebat autem [b] fama tot elephantorum etiam milia esse regi, quot apud alios plerumque super hominibus mentiatur [2]. His igitur conpertis Alexander limitem huiuscemodi loci sensim legens civitatis [c] eius invadere ac ditioni suae vendicare non negligit, et sacrificia Diis inmortalibus facit.

48. Quae cum maxime persequeretur, ab Aristotele epistolam [3] sumit scriptam in hunc modum. " Per

(a) Ita cod. heic et III. 19. Sic legitur *monstruosus*, *montousus*. (b) Cod. *tamen*. (c) Ita cod. *civitatis* pro *civitates*, quarto casu, qui est archaismus.

(1) Ergo epistola Alexandri ad Aristotelem scripta videtur post hoc iter, quoniam in eo scripto non semel ait Alexander se venisse in Prasiacam.

(2) Plinius VI. sect. 22. ait: *Prasiorum regi peditum sexcenta milia, equitum triginta milia, elephantorum novem milia per omnes dies stipendiantur: unde coniectatio ingens opum est.*

(3) Aristotelis ad Alexandrum epistolae aliae sunt apud Stobaeum *ecl. phys.* ed. Plantin. pp. 12. et 70.

mihi difficile est eligere vel laudare, Alexander mi, ex hisce omnibus aliquid, quae te in ista militia gessisse cognovi [1]: eamque mihi esse sententiam, Iovem testem facio Neptunumque. Quare Diis primum inmortalibus Deabusque ago gratias conpetentes, quod emenso tibi hasce periculi difficultates gratulationem potius quam solatium scribo. Quippe quem sciam non bellorum modo discrimina evasisse, verum temporum quoque et caeli difficultatibus non cessisse. Ex quibus colligere admodum facile, esse ambigendum, utrum ne te prudentiae viribus an tolerantiae fortitudinisque magis praedicem? Certe illud tibi iam homericum adest, quod illic [a] sapientissimus gloriatur [2]:

Multigenasque urbes hominum moresque notavi [b].
Quis enim praedicationis finis istud capit? XXX. ferme vix annos emensum te orientis omnis occidentisque dominari? Bactra te vidit, Aethiopia salutavit, Scythae tremuerunt, quodque uno ille versu percucurrit [3]:

Quique novum cernunt hyperiona quique cadentem.
Neque enim quemquam non aut caesum audivimus aut supplicantem „. Haec quidem Aristoteles.

49. At vero Alexander collecto exercitu iter ad Babyloniam convertit, in qua susceptus honoratissime et sacrificia Diis inmortalibus repraesentat, et certamen

---

(*a*) Ita cod. *illic* non *ille*. (*b*) Ita cod. *notavi*, quasi Ulixes ipse loquatur.

---

(1) Simili exordio utitur epistola graeca Aristotelis ad Alexandrum apud Cuiacium p. 314.

(2) *Odyss*. I. 3.

(3) *Odyss*. I. 24.

gymnasticum [a] concelebrat [b]: atque inde iam pacificum iter coeptans hisce litteris ad Olympiadem [c] matrem suam scribit. "Super has quidem, quas in principiis egerimus ad Asiam usque expeditiones, omnia tibi nota sunt [d], mater mi [1]. Aequum tamen fuit et de insequentibus te facere certiorem. Profectus quippe ad Babylonem una cum his, quos magis strenuos in exercitu habebam, quae quidem collecta sunt centum milia, in ulteriora regionum intendi, pervenique usque ad Herculis stelas non minus itinere dierum [e] ferme nonaginta quinque [2], fama de Hercule sic loquente quod hasce metas peregrinationis suae fixerit Deus ille, qui et duas stelas, idest titulos sui quosdam ibidem dereliquit, quorum unus ex auro, alter vero argenteus habeatur. Sed enim altitudo eorum est titulorum cubitis ferme quindecim, crassitudo vero in cubitis duobus. Hanc molem metalli quoniam non facile erat credere solido auro [f] esse, periculum eius rei facere non omisi [g]. Quare moratus ibidem diebus aliquantis reficiendo scilicet milite, sacrificatusque Deo Herculi, titulum illum aureum qua potui rimatus sum foramine per omnem crassitudinem elaborato, neque clau-

(a) Cod. *gymnasicum*. (b) Cod. *conconcelebrat*. (c) Cod. *Olympiadam*. (d) Cod. *sint*. (e) Cod. *ad Herculis stella non minus iterum dierum* etc. (f) Cod. *solidi auro*. (g) Cod. *ommisi*.

(1) Nimirum Alexander alias litteras dederat ante ad matrem, in quibus egerat etiam de rebus aegyptiis. Lege Arrianum VI. 1, Athenagoram *legat*. cap. 28, Minutium cap. 21, Tertullianum *de pallio* cap. 3, et Augustinum *de Civ. D.* VIII. 5. 27. XII. 10.

(2) Reeole Itinerar. cap. 53. cum notis.

dicare fidem crassitudinis eius inveni. Sed cum cavernam illam replere religiosum mihi videretur quingentis auri talentis opus fuit [1].

50. Hinc ergo per deserta redeuntes multa praerupta eiusmodi incidimus loca quae obsessa crassioribus nubibus nebulosisve, omnem omnino aspectum hominis [a] sustulerant ac diei. Septem denique dierum itinere per has tenebras exanclato, tandem Thermodonti [2] supervenimus flumini haud cuiquam secundo ex magnitudine, sed enim per plana et opipara loca magno agmine pervaganti. Propter hunc Thermodonta genus Amazonum colit [3], mulieres magnitudine corporis pariter ac pulchritudine cetera hominum genera supervectae, amictae vero ut in picturis est visere unimammas, et omnis hisce ferme amictus est arma vel ferrum [b]. Igitur cum haud procul his ageremus, ipsarum quidem potiri haud facile erat, utrumque nostrum a congressu magnitudine fluminis dispertiente. Sed praeter illius agmen, bestiae quoque nonnullae asperitatesque inpedimento erant. At enim conperto illae quod ceterae quoque Amazones de nostra amicitia coeptassent [4], ipsae etiam periculi causam donis a nobis et obsequiis redemerunt.

(a) Cod. *homini*. Sed recole Itinerar. cap. 53. (b) Ita se habet locus in codice.

---

(1) Longe moderatius et verius in Itinerar. cap. 53.

(2) Huc usque Itinerarium deduci vidimus in mutilo codice ambrosiano.

(3) De ponticis Amazonibus Plato *de legib.* lib. VII. p. 804. ed. Serrani.

(4) Confer huius libri caput 46.

51. Itemque indidem ad rubrum mare venimus, quorum locorum dextra quidem perasperis inviisque montibus erecta [a] est, laeva vero mari rubro latius fusa. Illic autem [b] factis Neptuno sacris immolatisque equis ritu praesenti, die secuta alio quam veneramus itinere repedamus: fuitque operae pretium illas quoque nosse regiones. Multa enim hominum genera et invisitata sunt nobis cognita, quorum vel maxime nobis admirationi fuit videntibus homines absque capitibus corporatos [1]. Namque his hominibus oculi pectoribus inhaerentes: atque os omne ceteraque oris in parte corporis situm plurimum mirabamur [c]. Illic et Troglodytas [d], offendimus qui subter terram domiciliis scalptis ac fossis ad serpentium instar successus sibi et habitacula laboravere. Quid ergo exim eminus visere esset? Tellurem quandam sitam velut in medio mari aestimato longius quam unius diei navigatione separatam. Eo navigatione contendimus. Repperimus in illa insula civitatem, quae solis esse diceretur [2], ambitus spatio non minus sexaginta stadiis circumscriptam. Sed enim e medio civitatis constructo quodam et congesto in loco currus aureus visebatur una scilicet equis at-

(a) Cod. *recta*. (b) Cod. *tamen*. (c) Ita se habet locus in codice. (d) Cod. *Trogodytas*.

(1) Arrianus VI. 1. ait, Alexandrum in epistola ad matrem de Indorum regione fabulam quamdam (aliam tamen hac) narravisse: sed eius mox vanitate comperta, epistolam emendandam curasse.

(2) De insula quidem solis lege Plinium. VI. sect. 26, et Arrianum *Indic.* cap. XXXI.

que insessore aureo laboratus. Is [a] omnis labor de auri materia et smaragdi fuit. Mira autem [b] opificinae maiestas, nec ulli in orbe terrarum operi facile contendenda. Enimvero isti regioni cum adesset sacerdos aethiops, eo praeeunte soli religiosius operatus sum.

52. Ac sic revertentes locorum ne an temporis tenebras profundas offendimus. Unde cum ratio ipsa suasisset mansitare et reficiendis nostris, et rursus sacrificiis persolvendis Deo soli, quod nullum omnino ignem ex quo luminis foret copia inveniremus, abscedere indidem confirmavimus. Tum vero divinum quoddam auxilium demorantibus praevenientes nobis quasdam effigies Numinum cernere fuit cum luminibus lampadarum quas a materia argenti eminus [c] aestimabamus, atque ita victi [d] ductique Tanaim [1] usque fluvium supervenimus. Is Tanais e septentrionis partibus in Caspium mare profluens Asiam fertur Europamque discernere. Laeva igitur eius itinere permenso ad Xerxis regna pervenimus, quae post habita Cyri sunt ac nominata [e], ibique multa opum regiarum ac divitias offendimus. Nam et aedem quandam ad speciem graeci operis illic magnificentissimam viseres, inque aede etiam responsa dare memoratum regem sciscitantibus celebrant. Et situm ibidem in templo viseres varium opus, strophium [f] aureum dependens aedificii de culmine, adhaerebatque illi strophio orbis quidam ad

(a) Cod. *his*. (b) Cod. *tamen*. (c) Cod. *eminis*. (d) Ita cod. (e) Ita se habet locus in codice (f) Cod. hic et inferius *stropeum*.

(1) De falso hoc Tanai recole dicta ad Itinerar. cap. 34. n. 2. et 3.

modum vertiginis caelitis, superque orbem simulacrum columbae sessitabat, quod ubi responsa rex diceret, humanis vocibus sciscitanti loqui ferretur. Id strophium cum auferre indidem mihi cupiditas foret uti ad vos et ad nostram Graeciam mitteretur, idem qui aderant contenderunt rem sacram esse neque contempnendo periculo invadari [a] a quopiam posse. Multa igitur alia quoque quae miraremur offendimus, inter quae cratera etiam argenteum capacitatis ad anphoras usque ·CCC· et ·LX· Eius capacitatis est mensuratio conperta nobis hoc modo, die sacri cum convivium etiam celebre exhibebam [b], ad quod convivium tot anphoris repletum esse vas constat. Enimvero vas istud inscalptum erat atque caelatum navalibus proeliis quae Xerxes apud Peloponnesum militaverat.

53. Erat inter illa caelamina et sella regalis scalpta insertaque operi ex auro stellata lapidibus et ex precio insignis. Iupendebat autem etiam sellam istam vertigo quaedam ad modum mundi figurata, quam ipsam quoque responsa sub praesentiam regii spiritus dare omnes pariter adserebant. Propter vero eam est sita lyrae facies ex arte eiusmodi, ut nihil demutet ab ea lyra quae sit canora: sic istâ etiam ad canendum uti solent [c]. Nam et sponte plerumque spiritu [d] actam canere hanc lyram noverant: et iuxtim viseres veluti thecam poculorum ·XVI· cubitis erectam, supraque eam thecam congestam effigiem altitudinis per cubita ·LXXX· una cum gradibus ·LXXX· Ibi demum et fons fictus est, et aquila aurea supersistebat adeo effigiata

(a) Ita cod. (b) Cod. *exibebat*. (c) Cod. *solet*. (d) Cod. *spiritui*.

daedale ut pansis alis omnem illius operis ambitum tegeret: namque et arbores scalptae et myrti quaedam ramosae ibidem notabantur, omnis istae de auro. Multa praeterea illic fuere, quae quoniam neque habundantiae suae neque magnitudinis pretiive facile offenderint fidem, censeo praetermittenda. Nunc vale „.

54. His scriptis cum a Babylonia iret Alexander mirum [a] portentum atque evidens ad exitium fuit. Nunciata quippe est mulier foetum [b] eiusmodi peperisse, cuius prioris corporis pars pube tenus ad hominem congruebat: enimvero quae insecuta corporis erant omnia beluina, prorsusque qualem Scyllam homines fabulantur: nisi hoc uno deverterat, non enim caninis capitibus lupinisve, enim leoninis atque pardorum, suum etiam et ursorum omnem inguinum ambitum texerat spirantibus bestiis: etiamsi pars superna humanaque emortua iam [c] et colore atro cum desitu spiritus visebatur [1]. Id monstri ubi mulier quae foeta fuerat enixa est, statim ipsa [d] invectum ad regem detulit, Alexandroque habere mirum quod ostenderet, praeiudicavit [e]. Igitur ingressus qui regi miraculum monstraret, offendit eum in cubiculo meridiano

(a) Cod. *mirum et.* (b) Cod. *factum.* (c) Cod. *etiam.* (d) Cod. *his has.* (e) Ita cod.

(1) S. Isidoro cognita fuit haec narratio ex ipso ut arbitror Iulio Valerio. En praeclarum eius testimonium quod Auctoris nostri antiquitatem, ni fallor, commode confirmat *Etym.* XI. 3. *Alexandro ex muliere monstrum creatum est, quod superiores corporis partes hominis, sed mortuas habuerit; inferiores diversarum bestiarum, sed viventes: significasse repentinam regis interfectionem, supervixerant enim deteriora melioribus.*

somno tunc deditum. Sed ad strepitum irrumpentis cum expergitus foret, audissetque causam, mulierem induci iubet. Ingressa igitur statim facessere universos e praesenti mulier edicit, ipsa vero revelat nudatque quod vexerat [a] profitetnrque se peperisse.

55. Ergo ad miraculum visionis eiusmodi iubet statim Alexander prodigiorum interpretes convenire ac profiteri ecquid [b] eiusmodi novitas minaretur, interminaturque quam sancte nisi ex fide dixerint. Unus igitur e praesentibus magno cum gemitu regi separato, eheu inquit malorum omnium, eheu mi rex! non enim iam bonis neque inter vivos homines ultra nominabere. Sed cur ista sentiret interpres cum rex diligentius quaereret, haec addit: o quid enim, inquit, o vir summe, quicquid ex homine foetus hic habet, ad te pertinet: quod vero est subter [c] atque beluile, quicumque tibi subditi sunt et subiecti. Si igitur ea pars quae superna est viveret et moveretur, sicuti haec, quae infra sunt, faciunt, tu sane obtineres ac dominarere cunctorum. Sed quoniam secus est, in contrarium intellegendum: nisi quod ii quoque ipsi dissidebunt neque congruent. Vides enim dispares formas, neque inter se amicas, ac prorsus beluile saevientes. Atque hi quidem inter se omnes te oppetente dissentient dimicabuntque. His dictis interpres ierat aversurus scilicet siqua posset et exusturus religiosius portenti illius minas [1]. Alexander vero animo consternatus cum

(a) Cod. *vixerat*. (b) Cod. *et quid*. (c) Cod. *super*.

(1) Quod adtinet ad hoc monstrosi foetus prodigium eiusdemque explicationem, conferenda videtur Senecae Sua-

gemitu sic ait: pro bone Iuppiter, quam bona res est ignoratio metuendorum! Sed hactenus illa animi commotio fuit. Ceteroqui [a] viriliter et decore omnem expectatae mortis impetum opperiebatur. Quippe qui praeter cetera eo quoque se solaretur [b], quod divinis honoribus haud procul foret.

56. Ergo occasio moriendi talis fuit. Mater eius ad eum scripserat super Antipatri et Cleopatrae [1] simul-

(*a*) Cod. *ceteraque*. (*b*) Cod. *solatur*.

soria IV. cuius argumentum est: *deliberat Alexander M. an Babyloniam intret, cum denunciatum esset illi responso auguris periculum*. Porro sub finem eius Suasoriae haec leguntur: *declamitabat Fuscus Aurellius controversiam de illa, quae postea quam ter mortuos pepererat, somniasse se dixit ut in luco pareret. Valde in vos contumeliosus fuero, si totam controversiam, quam ego intelligo me dicere, Fuscus declamaret, et aperte, aut non agnoscentis puerum, tractaret locum contra somnia, et Deorum providentiam, et male de magnitudine Deorum dixisset mereri eum, qui illos circa puerperas mitteret*. Atque hunc quidem locum Faber et Petreius in notis ad Senecam dicunt mutilum; ceterum utrique videtur Fuscus declamavisse contra vanam puerperiorum observationem: quae res narrationem Historici nostri ita fortasse respicit, habita scilicet ratione argumenti seu tituli Suasoriae, ut mihi hinc aliqua oriatur suspicio, Aesopum ante Senecae et Fusci aetatem historiam suam graece edidisse.

(1) In codice Iulii Valerii legitur *divino patris*, at in alio latino *Divinopatris*. Vincentius Bellovacensis *Specul. hist.* IV. 64. habet *de simultatibus Antipatri et divortio patris*. Divus Antoninus *Chron.* tit. IV. cap. II. ff. 15. *de simultatibus Antipatri et divortio patri*. Mihi vero locus mendosus videbatur (etenim divortium certe pristinum Olympiadis et Philippi qui poterat nunc commemorari)? scribendumque

tatibus, petebatque ut ob id ipsum ad Epirum ire contenderet. Sed enim Alexander cum id eorum [a] iurgium deduci vellet, statuit Antipatrum ad sese venire ex Macedonia, alio in locum eius substituto. Quod ubi factum est, venenum Antipater laborat curiosum admodum efficaxque, idque per ministrum regi dari in convivio [b] exegit poto [c]. Igitur rex mox lectulo datur, ac diebus conplusculis cum illa pernicie conluctatus tandem causam eiusdem periculi esse ab Antipatro cognovit. Id insecuta est quaedam indignationis caelitis ostentatio. Nebula quippe admodum crassa foedaque interfusa omni [d] aëri sudo die cuncta in tenebras verterat. Tum repente e nubibus draconis effigies ignitissima caelitus labitur mare usque, unaque cum illo praestantis [e] aquilae species volabat. Quod ubi factum est, Iovis quoque babylonii simulacrum nutare coepit. Et hisce factis, rursus draco una cum aquila sua ad caeli convexa remeavit: aquila sane vehens stellae [1]

(a) Cod. *virorum*. (b) Cod. *convivo*. (c) Nempe *regi poto*. (d) Cod. *omnia*. (e) Cod. *praestare*.

iudicavi *Cleopatrae*, atque faciendum *eorum* ex *virorum* quod deinceps sequitur. Namque uti narrat Plutarchus p. 89. ob falsum de morte Alexandri nuncium πρός Ἀντίπατρον Ὀλυμπιὰς καὶ Κλεοπάτρα στασιάσασαι διείλοντο τὴν ἀρχὴν, Ὀλυμπιὰς μὲν Ἤπειρον, Κλεοπάτρα δὲ Μακεδονίαν παραλαβοῦσα: *Olympias et Cleopatra* (soror Alexandri) *contra Antipatrum tumultuantes provinciam eius partitae sunt*; *Olympias Epirum*, *Macedoniam Cleopatra sumpsit*. Id facinus, quamquam aliter deformatum, mihi quodammodo a Iulio Valerio innui videtur. Verumtamen ut de re dubia sapientiorum iudicium expecto.

(1) Sunt hae fere in monumentis imagines apotheoseos, serpens, aquila, astrum.

cuiusdam fulgidum globum. Quod ubi homines visitavere, veluti praenuntiante divinitate quod gerebatur, Alexander quoque spiritu protinus vacuatur ac moritur. Persis autem [a] multa contentio erat cupientibus regem in regno persico sepelire, proque Deo Mithra religionibus [b] consecrare. Enimvero Macedones ad Macedoniam corpus indidem ferri et solo patrio sepulchrisque maiorum inferendum putant. Tum Ptolemaeus, quod enim sciret apud Babylona Iovis oraculum esse veridicum, eius Dei sententiam differt, perinde uti ius erat, consulturus. Deusque interrogatus sic ait:

Accipe quae regis sedes cultusque dicetur.
Urbs colitur Nili propter umbrosa fluenta
Aequoris in gremio cereali dives anona,
Nomine Amazonidos [1] quae dicitur inclyta mensis.
Hic sibi templa dari sacrata sede recepto
Iussit cornigeri [c] genitus sub honore Lyaei.

57. Dato igitur responso nullus omnium refragatus est, quin ita fieret, ut Deus iusserat. Igitur in Aegyptum corpus Alexandri ferebatur, feretro quidem regaliter exornato, tumultuario vero conditorio

(a) Cod. *tamen*. (b) Cod. *regionibus*. Sed dicendum videbatur *religionibus*. Vide et cap. 57. (c) Cod. *cornigero*.

(1) Cod. *Amazodinos*. Iam de libycis Amazonibus (si forte de his hoc loco cogitandum est) quae et in Aegyptum aliasque terras venerunt, suaque nomina conditis urbibus dederunt, legatur Diodorus III. 53-55. Tria igitur Amazonum genera apud Iulium Valerium hoc libro memorantur, indicae cap. 44, et seqq; ponticae ad Thermodontem cap. 50; nunc denique, ut videtur, libycae.

e plumbi materia, quodque [a] esset unguinibus atque pigmentis, quae servandis corporibus sunt, tutius [b] permanere [c]. Ut [d] igitur pompa vehiculoque regali ad Pelusium [e] advehi nuntiatus est; omnes eius regionis proceres ac sacerdotes una cum Diis ac religionibus [f] suis obviam processere, iuniorem Sesonchosim venerati [g], Vulcani quoque appellatione salutabant, quod hunc prae ceteris Deum illa pars arbitraretur orientis [1]. Enimverò exim ex sententia Numinum prophetes [2] docet, non apud Menphim sacrum corpus, verum Alexandriam, pervehi oportere, quod illi loco et auctor conditûs fuerit, et tutela vel maxima perpetuo futura nosceretur. Perinde enim inexpugnabilem locum illum praesagiis nosci, ut ipse quoque indefessae virtutis est habitus. Erigitur ergo aedes quam maximo opere ad instar templi, quod etiam nunc Alexandri nominatur [3]. Quô ubi consecratas re-

---

(a) Cod. *quoque*. (b) Cod. *totius*. (c) Ita cod. (d) Cod. pro *ut* habet *vectus*. (e) Cod. *Palestum*. (f) Cod. *regionibus*. (g) Cod. *venerat*.

---

(1) Lege Iablonskium *Pantheon aegypt.* part. 1. cap. 2.

(2) Sacerdotes suos vocitabant *prophetas* Aegyptii, teste Macrobio *Saturn.* VII. 13. Conferatur etiam Clemens alex. *Strom.* I. 14, et Laërtius lib. III. 8. Et animadverte denuo scriptorem aegyptium. Nam quis dubitet hunc Historicum esse aegyptium, quum tam prolixa mentio apud eum sit Serapidis, et Sesonchosis seu Sesostridis, et Alexandriae?

(3) Lege Diodorum XVIII. 28. Etsi autem ad lib. I. cap. 30. p. 99. n. 3. iam docui hanc historiam Alexandri saltem ante annum Christi CCCLXXXIX. scriptam apparere, nihilominus et heic rursus moneo, constare eamdem

liquias intulere, visum Ptolemaeo est testamentum quoque quod scripserat moriens [1] publice recitari: idque lectum est ferme ad hanc sententiam scriptum.

58. "Alexander rex Macedonum dicit. Primum mando iubeoque, Arrhidaeum [a] Philippi filium interim regni mei fieri successorem [2]. Sed enim si fuerit mihi fi-

(a) Cod. *Aristeum.*

post quartum Christi saeculum prorsus non esse reiiciendam, quandoquidem loquitur Auctor de monumento Alexandri adhuc superstite, quod quidem divus Chrysostomus (*homil.* XXVI. *in epist. II. ad Corinth.* T. X. p. 625.) uti recte animadvertit Sancticrucius, sua aetate iam deletum confirmat: Ποῦ γὰρ, εἰπέ μοι, τὸ σῆμα Ἀλεξάνδρου; δεῖξόν μοι καὶ εἰπὲ τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ἐτελεύτησε: *ubinam, quaeso, Alexandri tumulus est? ostende mihi, et dic quo die mortuus sit.* Vide et inferius ad cap. 60. adnotationem ultimam.

(1) Ab Alexandro dum adhuc viveret, testamento fuisse divisum inter suos imperium, satis docet divinum testimonium libri primi Machabaeorum cap. I. 7. Sed enim alii quoque scriptores permulti vel id aperte testantur, vel certe traditum narrant, atque horum pleraque testimonia collegit Sancticrucius p. 573-574. Sunt autem hi scriptores Diodorus XX. 81, Curtius X. 10, Ammianus XXIII. 6, Moses Chorenensis *Hist. Armen.* II 1, Iornandes *de rebus geticis* cap. X, Malela p. 249, Chronica excerpta a Scaligero edita Lugd. Batav. p. 58, arabes et persae historici apud Herbelotum *bibl. orient.* p. 318, nominatimque Elmacinus et Mirkhondus apud Sancticrucium p. 574. Nunc his addatur Iulius Valerius.

(2) Operae pretium erit conferre divisionem multiplicem et variam imperii post Alexandri fata apud Dexippum, Arrianum, aliosque auctores in Photii bibliotheca codd. LXXXII. et XCII. Videndus etiam Diodorus XVIII. 3, et Syncellus p. 264-265.

lius e Roxane, huic nomen et regnum nostrum pariter concedendum. Quod si e Roxane puella detur, sit Macedonum optio quemnam sibi regem ipsi substituant. Optatus porro constitutusque rex Argiadum [1] veterem principatum servare debebit. Hisce Macedones consueta dependent. Olympiadi autem matri meae, si ita volet, licebit Rhodi degere, vel in eo quem malebit [b] loco, accipienti cuncta haec quae me superstite consequebatur. Praefectum autem Macedoniae Craterum fieri mando eique Philippi filiam [2] coniugari. Philotam [c] etiam iubeo satrapiae praeesse hellesponticae universae, uxoremque ei fieri Olci sororem. Cappadociam quoque et Paphlagoniam Eumeni gerendam permitti placet. Eos vero, qui in insulis sunt, liberos suique iuris esse praecipio. Antigonus Cariae praesit. Casanderque Boeotiae, eisque omnibus praeesse Antipatrum oportebit. Uton [3] Syriae rector esto, Babyloniae vero et adiacentium regionum praeficio Seleucum. Phoenicem ac Syriam Coelen Meleagro regendam permitti decrevi, Aegyptum Perdiccae, Libyam Ptolemaeo, cui etiam Cleopatram coniugari oportebit sororem meam [4].

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *Philonam.*

(1) *Argeades* dicti sunt olim Macedones. Vide Appianum *Syriac.* cap. 63.

(2) Videtur intelligenda Thessalonice, quam deinde per vim sibi copulavit Cassander. Vide Diodorum XIX. 61. Ceterum, uti docet Iustinus IX. 8, habuit Philippus multos liberos ex variis matrimoniis regio more susceptos.

(3) Non *Uton* sed *Laomedon* praeficitur Syriae ab iis qui res gestas post Alexandrum scripsere.

(4) Natam scilicet ex Olympiade et Philippo.

Regionum porro, quae supra Babyloniam sunt, curam Phanocrati permitti praecepi, eique uxorem Roxanem bactrianam dari [1].

59. His igitur omnibus mando repositorium corpori meo fieri auri magnorum [a] talentorum sex [2]. Quisque autem Macedonum Thessalorumve provectior sit aetate atque ad solum genitale volet [b] ire, his fieri facultatem, quibus singulis tria milia drachmarum adnumerari conveniet. Argos autem mitti arma quibus ipse usus sim [3], et auri signati drachmas ·L·, eaque Herculi consecrari volo. Delphos quoque mitti praecepi eboris quod in aula mea fuit, draconumque terga et pateras aureas ·XIII· primitias scilicet operum nostrorum. Milesiis etiam ad reformationem oppidi sui dari praecipio auri signati drachmas ·C· et ·L· tantumdemque auri materiae. Volo autem, Perdiccam, quem Aegypto imperatorem atque Alexandriae esse iussi, sic uti imperio mandato, ne nomen meum ex oppido transferatur: quae quidem etiam maximi Deorum Serapis est sententia [4]. Fieri porro unum oppidi sacerdotem, qui sacerdos Alexandri nominetur, eique insignia dari placet coronam auream et purpureum amictum. Is ubi functus fuerit sacerdotio, omni reli-

(a) Cod. *magno.* (b) Cod. *volunt.*

(1) Quippe apud Iulium Valerium lib. II. cap. 37. Roxane quae nupsit Alexandro filia fuit Darii.

(2) Confer Strabonem XVII. p. 794.

(3) Thoracem Alexandri induit sibi Caius imperator quum pontem puteolanum dedicaret. Vide Dionem Cassium LIX. 17.

(4) Recole lib. I. cap. 31.

quo munere vel inquietudine sit solutus. Sed quisque ita sacerdotium nanciscitur sit et genere nobilis et existimatione, uti sibi dignitas una cum posteris et ista proficiat. Indicae regionis eiusque tractus, qui ad Hydaspim [a] fluvium pergit, Traxiaden [b] mando esse praefectum. Adiacentium vero regionum, Apoccronum Roxanes patruum uxoris meae rectorem constitui placet. Racusiam [c] vero regionem et Bactrianam et Suisiam [d] Philippo remitto. Hyrcaniam [e] Mariaphernae, Persida Peucestae [f]. Illyriae vero praeficio Orcion, cui quidem ex Asia dari oportebit quingentos equos et auri drachmarum tria milia e quibus templum constituat, eique templo simulacrum Herculis et Hammonis consecretur, Minervae etiam et Olympiadis matris meae, nec non etiam Philippi. Omnes etiam curatores imperii imagines consecrent et signa constituant, aurea quidem apud Delphos, ceteris vero in locis materiae diversae. Constitui autem effigies oportebit Perdiccae Alexandri, Hammonis, Minervae, Olympiadis, Herculis, Philippi: quae omnes divinis honoribus consecrabuntur [1],,.

60. Haec quidem summa [g] voluntatis Alexandri

(a) Cod. *quo Alydapim.* (b) Dic *Taxilen*, et recole Itinerar. cap. 45. (c) Ita cod. pro *Arachosiam.* (d) Ita cod. pro *Sogdianam.* (e) Cod. *Cyrcanniam*, quare liceret etiam dicere *Carmaniam.* Sed illud mavult Dexippus apud Photium cod. LXXXII. (f) Cod. *Paucestae.* (g) Cod. *summae.*

---

(1) Haec et alia multa in mandatis regiis reperta successores Alexandri propter impensae magnitudinem irrita fecerunt. Consule Diodorum XVIII. 4.

est accepta. Vixit autem annos triginta et tres [1]. Sed imperium iniit annum agens octavum decimum [2]. Omnes autem difficultates eius usque ad annos viginti et quinque fuere: reliqua in pace transegit. Gentes barbaras ditioni suae subiecit numero ·XX· et ·II·, graecas vero sedecim. Sed civitates condidit ·XII· omnes nomine suo scilicet nuncupatas, quae sunt hae [3]: Alexandria quae condita est nomine Bucephali equi, Alexandria montuosa [4], Alexandria apud Porum, Alexandria in Scythia [5], Alexandria Babylonis, Alexandria apud Massagetas, Alexandria apud Aegyptum, Alexandria apud Origala [6], Alexandria apud Granicum, Alexandria apud Tigridem fluvium, Alexandria apud Troadam, Alexandria apud Sanctum [7], quibus [a] quinque primorum, ut dictum est [8] elementorum id-

(a) Cod. *cui*.

(1) Ita etiam Cicero *Phil.* V. 17.

(2) Alexandrum annos natum XX. vel XXI. regnare coepisse, communis historicorum sententia est, quibus adde Auctorem Itinerarii cap. 5. Attamen Suidas anno aetatis XVIII. potitum regno scribit, cui sententiae calculum adiicit nunc Julius Valerius.

(3) Has recenset cum varietate Chronicon quoque paschale ed. paris. p. 170-171.

(4) Nempe ad Caucasum.

(5) Scilicet ad Iaxartem, seu falso nomine Tanaim.

(6) Ita etiam Bellovacensis *Spec. hist.* IV. 44.

(7) Ita cod. Sed videtur dicendum *apud Issum* vel *apud Indum*. Nam ne dicatur *apud Xanthum*, vetat superior Alexandria *apud Troadam*. Bellovacensis loco nuper citato habet *Scantum*.

(8) Lib. I. cap. 29.

circo sunt data nomina, ut hisce elementorum nominibus legeretur ALEXANDER IMPERATOR GENUS IOVIS CONDIDIT. Obitus autem [a] eius diem etiam nunc Alexandriae sacratissimum habent [1].

FINIS.

(a) Cod. *tamen.*

(1) Ea tamen memoria sive diei celebritas iam exoleverat vivente divo Chrysostomo, cuius verba recole ad cap. 57. p. 234. in adnotatione.

RERUM ALIQUOT NOTABILIORUM APUD IULIUM VALERIUM

INDEX.

Prior numerus libros, alter capita indicat.

Abderitarum legatio ad Alexandrum I. 48.
Acarnanum rex oppressus a Philippo I. 12.
Achilli parentat Alexander I. 46.
Achillis clypeus I. 47.
Aedes quaedam magnificentissima III. 52-53.
Aemilius consul Romanorum it legatus ad Alexandrum I. 22.
Agathodaemon locus Alexandriae I. 25.
Alcibiades curiae atheniensis consortio abrelegatur II. 17.
Alexander Nectanabum patrem interimit I. 8. *Bucephalam domat I.* 9. *Matrem Olympiadem reconciliat Philippo I.* 15. *Mavult esse Thersites apud Homerum quam apud scriptores vulgares Achilles I.* 47. *Hostibus fame laborantibus frumentum mittit II.* 12. *Civitate atheniensi donatus II.* 17. *Aegrotat II.* 24. *Legatus it ad Darium II.* 26. *Dictus iunior Sesonchosis I.* 33. *III.* 57. *Dictus Vulcanus* ibidem. *Divinis honoribus cultus II.* 38. *III.* 56-57. *Gentes barbaras viginti duas, graecas sedecim subiecit* 60.

Alexandri genitura I. 4. *Figura I.* 7. *Magistri varii* ibidem. *Iurgium cum Nicolao acarnane I.* 11. *cum Lysia et Philippo patre* 13. *Exercitus, naves et pecunia* 21. *Milites fame laborant* 49. *Aliis incommodis III.* 1. *Astutia* 41. *Congressus cum Diis* 42. 52. *Corpus vehitur in Aegyptum* 57. *Sepulchrum* ibidem.

Alexandro quae occasio moriendi fuerit III. 56.

Alexandria aegyptia conditur I. 24. *sq. Eadem quinquevertex* 25.

Alexandriae architecti I. 25. 26.

Alexandriae regiones appellatione primarum quinque graecarum litterarum distinctae I. 29. *III.* 60.

Alexandriae urbes duodecim conditae ab Alexandro III. 60.

Amazones indicae III. 44. *ponticae* 50. *libycae* 56.

Amyntas Antiochi filius transfuga ad Persas I. 43.

Amphictyones II. 13. 15.

Anguium cultus Alexandriae I. 29.

Antigonus satelles Alexandri III. 31.

Antipater venenum Alexandro propinandum curat III. 56.

Antiphon coniector somniorum I. 5.

Aquilae prodigium I. 30. *III.* 56.

Arbores solis et lunae loquaces III. 24. *sq.*

Argyritus fluvius III. 36.

Ariobarzanes Darii interfector III. 31.

Astrata vel Astras tos, vicus Aegypti I. 23.

Bebryciorum tyrannus III. 30. 31.

Besus Darii interfector III. 31.

Brachmanum colloquium cum Alexandro III. 11. *sq.*

Bucephalae equi feritas I. 7.

16

Candace proneptis Samiramidos III. 28. *Alexandrum pingendum curat* 30. *eumdem capit* 38.
Candaci parent octoginta populi III. 29.
Candacis munera Alexandro oblata III. 29. 42. *Candacis regnum et opes* 33. *et seq.*
Candaules filius Candacis III. 30.
Cantilena auloedi thebani I. 52.
Carthaginienses ab Alexandro increpiti I. 22.
Cataphracti, inventio orientis I. 35.
Charagos Candacis filius iunior III. 40.
Cleopatra nubit Philippo I. 13.
Cloacae alexandrinae I. 26.
Clytomachus thebanus triplici certamine vincit I. 54.
Concubinae Alexandri octoginta supra centum II. 30.
Coronae oblatae Alexandro a Romanis I. 22. *ab Atheniensibus II.* 15. *a Candace III.* 42. 46. *ab Amazonibus* 46.
Daemon melior I. 28.
Darii munera Alexandro oblata I. 37. *Darii iactantia* 37. 42. *Familia capitur I.* 44. *Deliberationes II.* 21. *obitus et funus* 33. 34. *interfectores in crucem acti* 37.
Dario paruerunt gentes centum et viginti I. 42. *centum et octoginta II.* 23.
Dii laevis humeris gestari soliti III. 12.
Draco locus Alexandriae I. 25.
Draconis prodigium III. 56.
Edictum Alexandri ad persicum imperium constituendum II. 35. *ad detegendos Darii interfectores* 36.
Epirotarum regum successio I. 46.
Epistola Aristotelis ad Alexandrum III. 48.
Darii ad Alexandrum I. 37. 42. *II.* 29.

Ad Satrapas I. 42.
Ad Porum III. 30.
Atheniensium ad Alexandrum II. 16.
Brachmanum ad eumdem III. 10.
Candacis ad eumdem III. 29.
Pori ad Alexandrum III. 3.
Satraparum ad Darium I. 41.
Epistolae Alexandri ad Tyrios I. 36. *ad Darium* 40.
ad Athenienses II. 16.
ad Lacedaemonios 19. *ad Rogodunem* 37.
ad Porum III. 5. *ad Aristotelem* 14. *sq.*
ad Candacem 28. *ad Amazonas* 44.
ad Olympiadem 49. *sq.*
Amazonum ad Alexandrum III. 45.
Rogodunis ad eundem II. 38. *ad satrapas et optimates* ibidem.
Euclides necatus in carcere ab Atheniensibus II. 17.
Eumedius satelles Alexandri II. 26.
Eurylochi locus Alexandriae I. 25.
Farinâ descriptum spatium Alexandriae I. 27.
Foetus portentosus III. 54.
Habruchia regio (nisi est mendum) I. 46.
Hammon militaris III. 28. *Eiusdem templum augustius fabricatum ab Alexandro I.* 23.
Hasta in Tauro monte ab Alexandro defixa I. 45.
Hebdomadarion , vel hebdomadarius , fera III. 16.
Herculis columnae III. 49.
Hermopolis seu Hormoenimpolis locus Alexandriae I. 24.
Hippophama sacrum annuum Amazonum indicarum III. 45.
Horoscopus I. 3.

Imber fugam Persis suadet. I. 43.
Indi bestiis commilitant. III. 6.
Insula magica III. 15.
Interdidinm locus Alexandriae I. 24.
Iovis et Iunonis templum in Aegypto I. 30.
Iovis babylonii simulacrum nutat moriente Alexandro III. 56.
Isidis effigies I. 33.
Lacedaemoniorum cum Alexandro bellum II. 20.
Laeva pars honoratior in homine III. 12.
Legati Alexandri a Tyriis necati I. 36.
Leontas missus ab Alexandro adversus Athenas II. 3.
Lucanorum foedus cum Alexandro I. 22.
Lycaonia dicta recentius Lucania ibidem.
Machonicus fluvius III. 45.
Margie Pori filia nurus Candacis III. 40.
Mars Amazonum parens III. 45.
Melampus vates I. 46.
Melanchion locus Alexandriae I. 25.
Mesonpontion locus Alexandriae I. 28.
Minervae simulachrum erectum in Macedonia II. 16.
Monstra hominum III. 51.
Mothana urbs rebellans subigitur ab Alexandro I. 16.
Nectanabi historia I. 1. *sq. Mors I.* 8. *statua et inscriptio in Aegypto I.* 33.
Nicolaus acarnan victus ab Alexandro in olympico agone I. 12.
Obelisci duo Sesonchosis regis I. 30.
Odontotyrannus fera III. 20.
Olympias comes Alexandri Ilium usque I. 47.
Oraculum sacerdotis olympici I. 12. *Hammonis* 23. *Serapidis* 31. *Apollinis* 50. 53. *sacerdotis plataeensis II.* 1. *arborum solis et lunae III.* 26. 27.

Persarum regis 52. *Iovis babylonii* 56.
Oratio Alexandri ad parentes I. 14. 15. *ad Graecos* 19. *ad veteranos* 20. *ad Memphitas* 34. *ad milites* 38. 49. *et III.* 1. 2. 4. *ad Indos* 9. *ad Brachmanas* 13. *Mons testaceus Alexandriae I.* 28.
Aeschinis II. 4.
Darii II. 33.
Demadis II. 5.
Demosthenis II. 9. 13.
Oxyathri fratris Darii II. 22.
Orphei statua sudat I. 46.
Pactolus indicus III. 36.
Paradisus soli et lunae sacer III. 24.
Paratonii urbis etymologia I. 23.
Parmenonis sycophantae poena II. 24.
Parmenion architectus I. 32.
Pausanias Olympiadis procus I. 17. *Philippum regem interimit* ibidem. *Raptum Olympiadis molitur* ibidem. *Manu Philippi morientis occiditur* 18.
Persae tributi exactores apud Philippum I. 16. *II.* 23.
Phari urbis origo I. 27.
Philippi regi imagines depositae ab Atheniensibus II. 16.
Philippus Alexandri medicus II. 24.
Philonis interitus III. 16.
Pori iactantia III. 3. *Idem singulari certamiue ab Alexandro interimitur* 8.
Prasiaca civitas Indiae regia III. 14. *Eiusdem magnitudo et potentia* 47.
Proserpinae templum et tegmen Plataeis II. 1.
Protei sepulchrum et sacrum I. 27.
Proteia insula I. 23.
Pugna Persarum atque Macedonum I. 43. *II.* 28.

Reges indicia dignitatis laeva praeferunt III. 12.
Rogodune Darii mater II. 33.
Romanorum legatio ad Alexandrum I. 22.
Roxane Darii filia Alexandro a patre desponsa II. 33.
Sabaei in India III. 14.
Samiramidis urbs regia III. 28.
Satyri visum oblatum Alexandro I. 36.
Scamander, seu potius Cassander, Macedoniae curator I. 45. *not.* 1.
Stoa Alexandriae I. 28.
Serapidis statua I. 30. *nomen* 31.
Serapion Parmenionis I. 32.
Sesonchosis regis inscriptiones I. 30. *III.* 18. *Congressus cum Alexandro* 42. 43.
Sicula oppida domita ab Alexandro I. 22.
Solis civitas III. 51.
Stasagoras magistratus plataeensis. II. 1.
Statuarum ignitarum strategema III. 6.
Stranga flumen I. 26.
Taposiris seu Taposiridus locus I. 24.
Testamentum Alexandri III. 58.
Thebarum excidium I. 51.
Thebas restitui permittit Alexander I. 54.
Tripus Croesi ab Alexandro sublatus I. 50.
Tripoleos urbis origo I. 36.
Troglodytae III. 51.
Tympanis flumen Indiae III. 47.
Tyrus eversa ab Alexandro I. 36.
Vaticinandi argumenta II. 1.
Urbium orbis terrae maximarum dimensiones I. 26.
Vulcani templum memphiticum I. 33.
Vulcanus Deus praecipuus Aegypti orientalis. III. 57.

VIRGILII MARONIS

INTERPRETES

VETERES

EX PALIMPSESTO VERONENSI.

VETERUM INTERPRETUM

IN VIRGILIUM MARONEM

COMMENTARIORUM FRAGMENTA.

ECLOGA III.

v. 27. Stridenti miserum stipula disperdere carmen. Significanter illud Theocriti translatum locavit: Ἀρκεῖ σοι καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ἔχοντι [1]. Disperdere. Eleganter ex loco, quod in triviis; re, quod stipula; sono, quod stridenti.

v. 29. Vitulam. M. . . operis auditor parat . . . apud veteres . . . bantur . . . ut *comici adipiscerentur praemii loco* arietes; ut *tragici* hirquos; *heroici* . . . lyrici tauros.

v. 30. Bis venit ad mulctram. Adnotandum quod hic mulctram feminino genere posuerit, cum alibi neutro [2]: "Inplebunt mulctralia vaccae „. Hoc autem est ex illo Theocriti:

---

(1) *Idyll.* V. 7. Porro lectores moneo scripturam graecam veronensis palimpsesti speciosam esse, quadratam, omque spiritu et accentu carentem.

(2) *Georg.* III. 177.

Μόσχον ἐγὼ θήσω, σὺ δὲ θὲς (γ') ἰσομάρτυρα ἄμνον [1].

Et reliqua. Binos alit ubere foetus. Suo more binos pro duobus, ut alibi [2], "bina manu lato crispans hastilia ferro,,. Praedicatio vitulae est quae duo . . .

v. 31. Quo pignore certes. Quo opere confligas, vel quod praemium ad certamen exhibeas.

v. 34. Bisque die numerant. *Ambo ineuntes* numerum non sinunt quicquam de grege imminuere. Alter et haedos. Alteruter etiam haedos, ut cura propensior indicetur, cum etiam haedorum numerus requiratur.

v. 37. Alcimedontis. Fictum nomen artificis, nusquam enim laus huius operis invenitur. Et voluit obscuriorem sensum reddere . . . faedera . . . orum pignus futurae concertationis adiuvit [3].

v. 38. Torno facili . . . scalptura . . .

v. 39. Corymbi sunt hed*erae* fructus granis h . . . inter se coëunt.

v. 40. In medio. CORNUTUS sic aestimat: Di*cit in medio sicut ill*ud: "In medio mihi Caesar erit,, pro eminebit. Duo signa. Duos libros putatur ostendere, quos nondum publicaverit. Et quis fuit alter? . . . ta de pluribus sit. Alii namque Eudoxum [4] tradunt; plerique Aratum . . . ae nomen ascribserit; nonnulli Archimeden; quidam Hipparchum [5], vel etiam Euc-

---

(1) *Idyll.* VIII. 14.

(2) *Aen.* I. 313.

(3) Ita codex.

(4) Cod. *Endoxum.*

(5) Cod. *Hippasychum.*

daemonem [1]. De Hesiodo . . . utis convenit. Aliqui Eucliden [2] astrologum significari putant.

v. 50. Venit ecce Palaemon. Palaemonem Augustum intelligit, qui iudex sit poëtarum. . . . . .

ECLOGA V.

v. 88. At tu sume pedum. . . . praemiis alacer uterque [3] discedunt. Pedum autem est baculum recurvum, quo pastores utuntur ut adminiculum pedum sit, ut ait Ennius in Ifigenia: " Gradum proferre pedum nitere. Cessas [4] o fid . . " *Pedum dictum est quia eo* pastores pedes ovium retrahere [5] soleant. Ut autem inputaret munus suum, ait: " quod me cum saepe rogaret, non tulit Antigenes „. Additque: " et erat tum dignus amari „. Cetera etiam ad laudandum pedum *dicuntur.*

ECLOGA VI.

v. 1. Prima syracusio. Aut [6] nostra ex omnibus,

---

(1) Ita cod. pro *Euctaemonem.* Certe *Eudaemonem* habet etiam Vitruvius IX. 7, quem super his astrologis consulicet. Sapienter vero noster interpres omittit Ptolemaeum, quod secus facit Servius cum anachronismo.

(2) Cod. *Eupliden.*

(3) Cod. *praemiis alax hectorque.*

(4) Huc usque extabat hic Eunii locus apud Festum voc. *pedum.*

(5) Confer Suidam voc. λάβρο ψ.

(6) Ita cod. *aut*, nisi est mendum pro *haud.*

quasi primus latine bucolicon Vergilius *scribserit* . . . Siciliensi, id est Theocriti. Est autem ὑπέρβατον. Nam ordo hic est: prima nostra Thalea [1] dignata est . . γοριχῶς, quasi primus ex Romanis bucolicon *condiderit* . . . Syracusio. Versu Theocriti. Ideo dictum, quia Syracusae metropolis Siciliae civitas, de qua Theocritus . . . Dignata est. Adroganter dictum, quasi potuerit maiora scribere *quam bucolicon*, quod ex facili compositione . . . Nec sicut olim lusit Anacreon vel veronensis Catullus:

" Cui dono lepidum novum libellum,
„ Arido [2] modo pumice expolitum?
„ Corneli, tibi: namque tu solebas
„ Meas esse aliquid putare nugas „.

Item Horatius [3]:

„ Ibam forte via sacra, sicut meus est mos,
„ Nescio quid meditans nugarum „.

v. 2. Silvas habitare. Antiqua consuetudine, sicut: Adque humiles habitare casas [4] . . . magnas, ut Graeci dicunt πλέειν τὴν θάλασσαν. Et alibi Vergilius [5] " Cava trabe currimus „ aequor „ pro *super aequor*.

v. 3. Cynthius. Id est Augustus aurem . . . vellit, sicut iis solemus facere, quos admonemus.

---

(1) Ita cod.

(2) Ita cod. *arido* masc. quae est longe tutior lectio quam illa vulgaris *arida*. Sane et ambrosiani codices Catulli habent *arido*. Verum Servii additamenta (ad Aen. XII. 587) habent Catulli lectionem *arida*.

(3) Lib I. *satyr*. IX.

(4) *Ecl*. II. 29.

(5) *Aen*. III. 191.

v. 4. Vellit. Praeteriti [1] temporis, ut admonnit.

v. 5. Deductum carmen. Tenue, gracile, subtile, quale bucolicis . . . origo ab aucipe [2] em . . . quia hae deductiores sunt, id est tenuiores.

v. 6. Nunc ego. Ordo hic est: nunc ego, Vare, agrestem tenui musam modulor harundine; supersunt autem qui laudes tuas dicant. Curant κατ' ἐξοχὴν lgendum: dicere cupiant sed implere non possint.

v. 7. Tristia condere bella. Aut epitheton est omnium bellorum tristia, aut specialiter ad civilia respicit, *quae fuerunt* tristia, sed illis contra quos gesta sunt. Condere pro componere. Sic Horatius [3] " condo et compono quae mox depromere possim ".

v. 9. Non iniussa cano. *CORNUTUS* putat hoc ad musas pertinere; sed illud magis accipiendum, Cynthius aurem vellit et admonuit: *nempe quod nutu* Augusti admonitus sit ut bucolicas scriberet. Siquis tamen haec quoque siquis. Iucunda ἐπανάληψις [4] . . et c . . ticis.

v. 10. Te nostrae, Vare, myricae. Hoc est, te etiam humilia canent. Et pastor alibi [5]: " carminibus

---

(1) Cod. *praeteri.*

(2) Consonant huic loco fabula a Frontone prolata lib. *de eloquentia* ed. rom. p. 235. super eloquentiae origine: *vocis modulatae amatores primas audisse feruntur aves vernas luco opaco. Post pastores recens repertis fistulis se adque pecus oblectabant. Visae fistulae longe avibus modulatiores* etc.

(3) Lib. I. *epist.* I. 12.

(4) Ita cod. Haec autem scriptura frequens est in biblico graeco codice omnium antiquissimo vaticano 1209.

(5) *Ecl.* IX. 10.

vestrum servasse Menalcam . . . . nemoribus [1] nostris caneris. Varum ergo prosequitur hoc epicedio, cui etiam conloquia *creditur nec non sibi sermonis* inpendere [2]. Duobus tamen illis pastoralia nomina adfingit. Silenum vero Sirona philosophum *intellegit. Nam Sirona* et Vergilius audivit. Hic tamen Siron epicureus [3] traditur . . .

ECLOGA VII.

v. 22. Quale meo Codro. Codrum plerique Vergilium accipiunt, alii Cornificium [4], nonnulli Helvium [5]. Quod s . . . Cinnam putant, de quo bene sentit. Similiter autem hunc Codrum in elegiis Valgius honore

---

(1) In codice, si bene memini, legebam *Numinibus.*

(2) Lege Servium qui eadem narrat.

(3) Sic potius quam *academicus* puto esse scriptum in cod. veron. Fuit enim Siron quidem *epicureus*; at Virgilius *academicus*, si Donato (*vit. Virg.* XIX.) credas: sin aliis, ipse quoque Virgilius *epicureus.* Sane id diserte aiunt quidam apud Philargyrium (*ad Georg.* IV. 219.) quo loco in vetere editione (an. 1589.) legebam bis *epicurus* pro *epicureus*, sicuti et codex veronensis (*ad Aen.* II. 649.) habet *epicuri* pro *epicurei.*

(4) De Cornificio poëta, qui etiam contra Virgilium scripsit, lege Servium (suppl.) *ad Ecl.* II. 39. et V. 8, Donatum *vit. Virg.* XVII, Hieronymum in Chronico ad annum MCMLXXVI.

(5) Helvium Cinnam poëtam aequalem fere Virgilii fuisse, exploratum est. Cinnae *Smyrnam* memorat Quintilianus *Inst.* X. 4.

et laude . . . *Cornific*(i) appetat. Et quadam in ecloga [1] de eo ait [2] . . .

"Ille canit quali tu . . . e ca . . .
" . . . solet numeros dicere, Cinna, tuos.
" Dulcior ut numquam pylio profluxerit ore
" Nestoris . . . aut . . . pectore dem . . .
" . . . credis mihi . . .
" Noctem non hilarum posset . . .
" (F)alleris in . . . quantum si gurgite raucae [3]
" Criseae quaerat flumina castaliae . . . "

qui accipiendus est φυσικῶς.

v. 24. Hic arguta fistula sacra pinu pendebit. Arguta, sonora, ut est: "arguto percurrens pectine telam [4] ".

v. 30. Vivacis cornua cervi. Ἔλλειψις. Non enim addidit: aut consecravit aut posuit, sicut illic [5]: "Aeneas haec de Danais victoribus arma ". Hesiodus [6] ita:

---

(1) Ita cod., non *elegia*.

(2) Nempe Valgius, cuius alia fragmenta paucissima legesis in collectione pisaurensi T. IV. p. 421, quibus adde quamdam particulam ex Servio (suppl.) *ad Aen.* XI. 457. Quippe Valgius in poëticis studiis maxime excelluit. De eo sic Tibullus ad Messalam IV. 1. 179.

Est tibi qui possit magnis se accingere rebus
Valgius, aeterno propior non alter Homero.

Vide et Horatium lib. I. *satyr.* X. 82.

(3) Coc. *rautae.*

(4) *Aen.* VII. 14. At inferius *Ecl.* VIII. 22. *telas.*

(5) *Aen.* III. 288.

(6) In codice, quantum memini, legebam *Homerus*, sed omnino scribendum *Hesiodus*, cuius locum (qui ad eiusdem fragmenta edita pertinet) sic vertit Plinius *Hist.* VII. sect.

'Εννέα μὲν ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
'Ανδρῶν ἡβώντων, ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος·
Τρεῖς δ' ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται· αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ
'Εννέα τοὺς κόρακας· δέκα δ' ἡμεῖς τοὺς φοίνικας
Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

v. 33. Sinum lactis. ASPER. Sinum est vas vinarium, ut Cicero significat, non, ut quidam, lactarium. Plautus in Curculione [1]: "Cedo, puere, sinum „. Et respondetur: "Quasi tu lagynam [2] dicas in qua chium vinum solet esse „. Sinum ergo vas patulum . . . e sinus vocitatum. Hic autem sinum lactis vas quodcumque lacte onustum. Varro de vita ·PR· lib. I. "*Lepestam vas di*cebant ubi erat vinum in mensa positum, aut galeolam aut sinum. Tria enim haec similia sunt, pro quibus nunc *acrataph*oron ponitur „. Atta in Megarensibus [3]: " Nempe . . . sinus apud mensam, ubi sermo solet suboriri seditiosus „.

---

49. *Hesiodus, qui primus aliqua de hoc prodidit, fabulose (ut reor) multa de hominum aevo referens, cornici novem nostras attribuit aetates, quadruplum eius cervis, id triplicatum corvis: et reliqua fabulosius in phoenice et nymphis.*

(1) I. 1. 75.

(2) Ita cod.

(3) Apud Servium, qui hunc locum paulo imperfectio-

v. 37. Nerine Galatea . . . m oceanina. Galatea Nerei filia a Polyphemo cyclopo [1] adamata conplexum eius evitans in mare se praecipitat . . . Alii Corneli [2] epitheton. Dicit Nerine (ut decla)raret (sicu)lam esse Galateam. . . . .

ECLOGA VIII.

v. 21. Incipe maenalios .m.m.t.v. [3]. Antiquorum hanc clausulam velut epodon repetit, Theocritum secutus [4]: Ἄρχετε βουκολικᾶς μοῦσαι φίλαι ἄρχετ' ἀοιδᾶς.

v. 22. Maenalus argutumque nemus. Maenalus mons Arcadiae. Argutum nemus . . . ut illud [5] . . . "*arguto* percurrens pectine telas".

v. 29. (Mopse) . . . c . . . vel de moribus nonnullas culpas . . . (s)ubitas pleraeque ap . . . in reatum vocatae sint. Et (ait) quod mulier in publico osculum offerre debuerit nec obtulerit plexibil . . . Ob id enim institutum hoc apud veteres habebatur, ut probaret se temulentam in publico non fuisse . . . nuptias . . . intulisse [6].

---

rem citat, legitur *Megalensibus*. Iam famigerati sunt Horatii versus (lib. II. *epist.* I. 79.) de Atta:

> *Recte nec ne crocum floresque perambulet Attae*
> *Fabula, si dubitem; clament periisse pudorem*
> *Cuncti paene patres.*

(1) Sic mihi videbatur in cod. pro *cyclope*.

(2) Ita cod. pro *Cornelii*.

(3) Nempe *mecum*, *mea tibia*, *versus*. His enim compendiis utitur interdum codicis scriptor.

(4) *Idyll.* I. 64. (5) *Aen.* VII. 14.

(6) Hic locus videtur sumptus ex opere varroniano *de*

v. 30. Sparge marite nuces. Nuptiali festo nuces dividi vel in solum abici solent. Sic puerorum colligentium *strepitu* vox puellae non anditur. Vel ne infausta verba ad aures ferantur. Est et illa opinio, quod qui nuptias *contrahunt* lusus, incaviti [1] relinquunt, ut in Terentio [2]: "Nunc hic dies aliam vitam alios mores postulat „, Tibi deserit hesperus Oetam. Hoc est, tibi hesperus ab Oeta monte consurgit. Inde etiam raptus ille ritus . . .

v. 32. O digno coniuncta viro! Vindictae loco degeneris viri carpit societatem.

v. 33. Dumque tibi est odio mea fistula. Ἐρωτικῶς, quasi non ipsum *oderit sed* genus vitae. An omnia apud eum posita odit, quia ipse despicabilis sit?

v. 34. Hirsutumque supercilium. Morum gravitas luxum refutans. Promissaque barba. Annis virilibus pasta.

. . . .

GEORGICORUM LIBER II.

v. 91. Sunt Thasiae vites, sunt et Mareotides albae. Indiscretim locavit, ut quas quisque voluerit, pro terrarum situ eligat.

v. 93. Et passo Psythia utilior . . . seu quod expandi soleat πάνσα [3] οἱονεί. Lageos. Uva leporini co-

---

vita populi romani. Confer autem Cic. *de rep.* in fragmentis libri IV. 6.

(1) Archaismus pro *incauti.* (2) *Andr.* I. 2. 19.

(3) Ita omnino videbatur habere codex; nisi quis mavult scribere πάσσασα. Οἶνον quidem πάσσον memorat Polybius in fragmentis libri sexti, apud Athenaeum lib. X. 11. Ad vocabulum πάνσα quod attinet, non videtur inutile considerare

loris, unde et vocabulum *sumitur*. Vel quia lepores ultra alias adpetunt, sive quod languon [1] est iuxta dialecticos pedibus infirmus . . . ac per ebrietatem ruere; unde et pigros vel otio deditos languonas vocarunt . . . poëta evidenter notavit: " Temptatura pedes olim vincturaque linguam ".

v. 98. Phanaeus promuntorium in Chio insula, ubi Liber et Apollo maximo *honore* coluntur . . . nes.

v. 99. Argitis graeca, quasi argeotis. Minor uva haec melior quam i(ll)a maior.

v. 102. Rhodia. De Rhodo insula. Dis accepta. Quod ex ea maxime Numinibus sacrificatur . . . poculis vel pomis parantur.

v. 105. . . . maxime harenosum . . . id est litus harenosum ac [2] Libyae.

v. 113. Bacchus amat colles. Colles patentes sine umbra amat Bacchus, vites bene proveniunt. Taxi arbores floribus venenatis . . . *frigidis* locis abundant, tepidioribus denegantur.

v. 115. Eoasque domos Arabum. Arabia orientis

Prisciani locum (in explicatione versus 1. libri X. Aeneidos) qui ita se habet: "Notandum, quod cum alia omnia quae *n* „ habent ante *do*, et in participio ante *sus* servent *n*, ut *of-* „ *fendo offensus* etc., *pando* differentiae causa, ne femininum „ eius simile inveniatur proprio masculino, quod est *hic Pan-* „ *sa*, ideo *passus passa* fecit: quamvis a *patior* quoque *pas-* „ *sus* facit, et a *pateo passus*„. Ergo *pansa* litteris potius latinis quam graecis scribendum fuit. Apud Isidorum denique in glossario ed. Areval. T. VII. p. 479. PANSA est *qui ambibat* (corr. *ambulat*) *pedibus in diversa tendentibus.*

(1) Cod. *langon*, at mox *languonas*. Et nota vocabulum.

(2) Ita cod.

regio abundantissima. Pictosque Gelonos. Thracas, corporibus interlitis [1] inlustri. . . membra. Sic et alibi [2]: "pictique Agathyrsi" . . . de versicoloribus eorum vestibus pictos putant dictos.

v. 116. Nigrum hebenum . . . materiam nigram et levem. Observandumque quod masculino genere dixit. Nisi forte . . . num [3] locutus sit.

. . . .

v. 289. *Tenui vitem committere sulco.* Parum profundae fossae: et fructuosior habetur vinea, quae non in profundum nimium *in*foditur.

v. 291. Aesculus arbos glandifera, parvas tamen bacas ferens.

v. 298. Vergant. Declinent, spectent.

v. 299. Neve inter vites corylum sere. . . . arboris fructus . . . assandas in sacras carnes. Etiam verua ex ea faciunt, sicut ipse alibi [4]:

"Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
"Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis".

. . . . vitibus pecudem caprum immolant Libero . . . ede plectantur, ut hanc arborem Deo velut sacrificalibus flammis . . . a dicuntur vitium sine fructibus summitates de flagri similitudine quae ante bimatum . . . postea palmites . . . naturali humanae pal-

---

(1) Threiciarum certe mulierum interlita coloratis maculis brachia in Tyrrhenorum vasculis observare memini.

(2) *Aen.* IV. 146.

(3) Servius non masculino genere sed neutro dictum heic *hebenum* putat. Atqui ex . . *num* vox *neutrum* exprimi nequit.

(4) *Georg.* II. 395.

mae simili . . . quod in partes multifidas dividitur ut digiti.

. . . .

v. 352. Urgerent. Premerent.

v. 353. Findit canis aestifer arva. . . . signum illud formatum putetur. Est enim in lingua extima caniculae [1] stella ardentissima quae solet germina male operta torrere.

v. 368. . . . tibus sumant intellegi . . . *cre*verint. Stringe comas. Attonde luxuriantem.

v. 373. Cui super indignas hiemes . . . Pecus supra elementorum vim nociturum intellegat, nisi caverit.

. . . .

v. 535. Septem arces. Septem (montes) . . . etiam dies sacer Septimontii constitutus est.

v. 536. Dictaeus. Graeci . . .

v. 538. Aureus Saturnus. Aurei saeculi auctor, cuius in Italia latentis regnum iustissimum . . . qui . .

GEORGICORUM LIBER III.

v. 1. Te quoque, magna Pales . . . Palem invocat de pecorum studiis proventibusque dicturus, *quibus praesidet* Pales. Εὐπόρως *quidem* se parat . . . (ha)esitant, quod a Deo *inchoa*verit. Sed in eo [2] Maecenatem ad vicem Numinis est precatus. Magna Pales. Potest communi . . . relligionem . . . coli statuit, et cuius die Romam condidit, id est Palilibus. Sic et ali-

---

(1) In codice post *caniculae* pausa maior notatur.

(2) Libro I. *Georgicorum*.

bi poëta [1]: "Nunc veneranda Pales „. . . . et Pales Matuta, cuius templum Atilius Romulus vovit [2]. Ἀντιδιαστέλλων unde magn. . .

v. 2. Pastor ab Amphryso. *Apollo pavisse* Admeti pecus traditus est, qui iuxta Amphrysum Thessaliae fluvium huic subiacuit. Lycaei. Lycaeus mons Arcadiae, circa quem Pan Deus colitur. Arcadia abundat his etiamnum relligionibus, unde et idem Pan Lupercus [3] colitur.

v. 3. Cetera quae vacua tenuissent mentes. Vacuas mentes scribentium intellegendum. Sic Lucretius [4]: Vacuas aures animumque sagacem „. Accipitur et vacuas, otiosas.

v. 4. Omnia iam vulgata. In vulgum data, ac per hoc relinquenda . . . (s)ensui libentius tra . . . mussationes persequi . . . dure Herculi imperitantem . . circa eum exercentem. Unde illud est [5]: "Homines nati durum genus „ . . . Stheneli filius rex Argivorum Herculi athlas [6] ·XII· imperavit.

v. 6. Hylas puer . . . filius inter Argonautas comes Herculis, in Mysia raptus a nymphis, et *sonitu proditus* rivi est. Et Latonia Delos. Apolline et Diana Latona gravida insequentem draconem Delo invecta

---

(1) *Georg.* III. 294.

(2) Aedem Matutae in urbe Roma commemorat Livius V. 19. 23. XXV. 7. Codex autem habet perspicue *Romulus.*

(3) Confer Clem. alex. *Strom.* I. 21. p. 384.

(4) Lib. IV. 910. Sed ibi *tenues* pro *vacuas.*

(5) *Georg.* I. 63. Confer Ovidium *Metam.* lib. I. cap. 8.

(6) Ita cod. Confer Petron. *fragm. tragur.* C. 57.

vitavit [1], *in coturnicem avem*, quae graece ὄρτυξ dicitur, versa . . . poëta.

v. 7. Hippodameque. Oenomai filia . . . velocit . . . certamine exsuperavit, quae per fraudem . . . ercori filio . . . oum. Umerique [2] Pelops . . . Mythici tradiderunt, Tantalum Iovis filium . . . autem Pelopis . . . adfixum . . . et ut lautissimis dapibus (adpositis) furiarum agmine prohibeatur attingere . . . pulae genus . . pellatum. S . . . Servilianus historiarum scribtor [3] . . . verit eburnum appellatum tradidit. Minerva . . . ex ebore . . . cetera (lucu)brare parassent.

v. 11. Aonio vertice. Helicone Boeotiae monte Musis sacro, quae Vergilium ad Romanam linguam sequantur.

v. 12. Idymeas palmas. (Palmas) Idymeorum. Regio Iudeae Musarum numini sacra. Eleganter autem regionum conla . . . q . . . dixerit idymeas specialiter palmas, quia illic et plures et *proceriores proveniunt*.

. . . .

v. 351. Rhodope porrecta sub axem. Id est ad septentrionem porrecta. longissime autem hic mons iuga sua extendens . . . mons hic in(declinab . . .

v. 364. Umida [4] vina. Non per se umida sed aquae admixtione . . . o, et ideo gelu stricta. Purum enim numquam gelatur.

---

(1) Confer Callimachum *Hymn. in Delum.*

(2) Ita cod. sine adspiratione, uti etiam non semel apud Frontonem.

(3) Serviliani historica quaedam fragmenta extant.) Servilianus vir cl. Gellii aequalis apud hunc lib. I. 2. Tum Serviliani liber XII. citatur a Macrobio *Sat.* I. 16.

(4) Ita cod. sine adspiratione.

v. 376. Secura otia. Nihil laboris habitura, cum latibulo . . .

v. 382. Riphaeo Euro. Scythico. Sed nunc Eurum non suo nomine significavit, quia ab oriente flatus illius est. Sed per metalemsim [1] quemcumque ventum dixit. Attamen Aquilonem proprie accipiemus, cui . . .

v. 391. Munere sic niveo . . . traditur speciosi arietis munere lunam a Pane delusam fuisse . . . *v*ellera quaedam. Ita Panos [2] et Paniculas vocaverunt.

v. 402. Calathis. Quae vulgo panaria vocant.

. . . .

GEORGICORUM LIBER IV.

v. 444. Hominis ore. De . . . quia vaticinaturus est, os hominis traditur induisse, ut loquens responsorum seriem, ab Aristeo pos(sit) intellegi.

v. 445. Nam quis te. Pro quisnam, poëtica usurpatio, ut reversione syllabarum loquendi. . . . quia nondum se divinatio tota collegerat. Et minaciter correptus irascitur.

v. 451. Ardentes oculos. Divinaturi imaginem . . . *aspectu* commotiore designat.

v. 463. Actias Orithya. Attica quae Acte [3] aliquando vocata est, ut Callimachus [4] et alii tradiderunt. Orithyia Erichthaei filia. Haec a Borea rapta (et advecta) in Thraciam edidit ex se Zethum et Calain.

---

(1) Ita cod.

(2) Cod. *Nitapannos.*

(3) Sic, non *Actiace* ut Philargyrius.

(4) Confer Fragm. CCCXLVIII. in ed. Spanhemii.

Per Orithyiam autem autem ultimam Thraciae partem significat ad septentrionem locatae.

. . . .

v. 524. Oeagrius Hebrus. Epitheton flumini [1] de regis nomine quia a patria Oeagr(iu)s, aut Orphei [2] patris.

v. 535. Faciles Napaeas. Quia Graeci nemora nape vocant. Faciles Napaeas, fluctuantes, natura *flexibiles*.

AENEIDOS LIBER I. [3]

v. 1. Arma virumque cano . . . ad litora cogant. Arma (partim) ponuntur pro *instrumentis rusticis*, *ut*: "*Dicendum et quae sint duris agrestibus arma* [4]". Ponuntur pro caestibus: "Paribus palmas amborum innexuit armis [5]". Ponuntur pro pistor(um) *instrumentis*: "*Cere*aliaque arma expediunt [6]". Ponuntur proprie suo nomine arma cum telis: "Arma viri ferte [7] . . . parte orationis. Ponuntur pro fulgore: "Armatumque auro circumspicit Oriona [8]". Signific . . . Ferrumque armare veneno [9]" Accipiuntur [10] et pro bello, ut hic: "Arma virumque cano".

---

(1) Ita cod.

(2) Cod. *Orphaei.*

(3) A codice veronensi absunt illi versus: *Ille ego qui quondam* etc. Incipiturque: *Arma virumque cano*, sicuti Pierius observavit in antiquissimis mss. usuvenire.

(4) *Georg.* I. 160. Et confer Priscianum in huius versûs explicatione.

(5) *Aen.* V. 425. (6) *Aen.* I. 177. (7) *Aen* II. 668. (8) *Aen.* III. 517. (9) *Aen.* IX. 773. (10) Cod. *accipitur.*

Arma semper plurali numero enuntianda. Sed hic *per* μετωνυμίαν bellum intellegetur. Μετωνυμία est per id, quod continet, id quod continetur, ut dicitur Ceres pro frugibus, arma pro bello.

Vir tribus modis ad intellegentiam datur. Ponitur enim natura, virtute, adfinitate. Natura: "*Bella viri pacem*que gerant [1]„. Accipitur pro virtute: "Haeret pede pes, densusque viro vir [2]„. Adfinitate: "O digno *coniun*cta viro [3]„?

Canere quatuor significationes habet. Ponitur pro cantare: "Hic canit errantem lunam [4]„. Ponitur pro pl*orare*: "Multi crudele canebant exitium [5]„. Ponitur pro vaticinari: "Ipsa canas, oro [6]„. Pro carmine hic accipi*tur*.

Troiae ab oris. Per perifrasin [7] circumlocutus est ab oris Troiae pro a Troia. Significantur autem *litora* ut est: "Pauci vestris adnavimus oris [8]„. Significantur fines: "Italique hanc litoris oram [9]„. Significantur clipei partes: "Subit oras hasta per imas [10]„. Significantur et regiones, ut hic: "Troiae qui primus ab oris„ . . . scribamus.

v. 3. Iactatus et alto. Altum significat mare, ut hic. Significat et caelum: "Maia genitum demittit ab alto [11]„. Significat *profundum*, ut: "Spelunca alta fuit vastoque immanis hiatu [12]„. Significat amplum,

---

(1) *Aen.* VII. 444. (2) *Aen.* X. 361. (3) *Ecl.* VIII. 32. (4) *Aen.* I. 742.

(5) *Aen.* II. 124. Legebam autem in codice *exitium*, non *artificis scelus* quod est in editionibus.

(6) *Aen.* VI. 76. (7) Ita cod. cum *f.* (8) *Aen.* I. 538. (9) *Aen.* III. 396. (10) *Aen.* X. 588. (11) *Aen.* I. 297. (12) *Aen.* VI. 237.

ut: "Altaque Pangea [1]„. Significat *magnum* [2], ut: "Sic pater ille Deum faciat, sic altus Apollo [3]„.

v. 10. Insignis ponitur pro admirabili, ut hic: "Insignem pietate virum„. Ponitur pro precioso, ut illic: "Insignem pharetram [4]„. Ponitur pro decoro: "Insignis facie, genitor quem miserat Arcens [5]„.

v. 11. Inpulerit. Hic coëgerit; alibi significat inpingere: "Inpulit in latus [6]„. Significat et temptare "Inpulerat ferro [7]„. Significat aperire: "Inpulit ipsa manu portas [8]„.

v. 12. Urbs antiqua fuit. Expositio. Tyrii coloni. Hi qui a Ty*ro profecti Carthag*inem condiderunt . . . contra (punicas) . . . regiones posita, sed quoniam . . . qui Itali nu . . .

v. 16. *Hic illius arma. Iunoni currum*, hastam, et cassidem tradunt. Venus etiam armata perhibetur. Est autem . . . a currus . . . matris Deum vehitur, unde et Iunoni potest hoc vehiculum deputari, sicuti ipse poëta ait [9]:

"Quaesitas ad sacra boves Iunonis, et uris
„ Inparibus ductos alta ad donaria currus.

v. 21. Belloque superbum. Hic posuit superbum, ut in tertio [10]: "Iuvenem superbum„. Sed intellegitur et . . . *gl*oriosum. Accipitur clarum: "ultroque

---

(1) *Georg.* IV. 462.

(2) Ita suppleo post *m.* Quamquam a Servio *altus* loco infra laudando explicatur: *aut venerabilis, aut quia in excelso loco consecratus est.*

(3) *Aen.* X. 875. (4) *Aen.* VIII. 166. (5) *Aen.* IX. 583. (6) *Aen.* I. 82. (7) *Aen.* II. 55. (8) *Aen.* VII. 621. (9) *Georg.* III. 532. (10) *Aen.* III 326.

superbum [1] „. Intellegitur et imperiosum : "Nos patria amissa, dominis parere superbis cogemur [2] „.

. . . .

v. 237. Quae te, Genitor? Genitor melius quam pater, quia pater fit et adoptione, genitor nonnisi qui genuerit. Vertit. . . . vel immutavit, id est de proposito retraxit: ut alieno instinctu, non sua sponte mutatus sit.

v. 240. *Fortuna ponit*ur interdum pro statu incerto, ut illud: "Dum quae fortuna sit urbi [3] „. Saepe ponitur pro adversa, ut hic: "Nunc eadem fortuna viros „. Aliquando pro prospera: "Nec habet fortuna recessum [4] „. Accipitur pro occasione: "Si fortuna permittitis uti [5] „. *Accipitur et pro* successu: "Sortitus fortunam oculis [6] „. Interdum pro necessitate: "Siqua interea fortuna fuisset [7] „.

v. 242. Antenor putuit. Antenor Troianorum primatibus mixtus [8] de reddenda Helena saepe auctor fuit, Menelaumque et Ulixen ne Paridis insidiis sternerentur admonuit, et, ut ab aliquibus traditur, ipse defendit: ob quod meritum, capto Ilio, incolumis evasit. Hic iuxta fontem Timavi . . . urbem statuit, quam Patavium nominavit.

v. 243. Illyricos sinus. Cadmus Agenoris filius, relictis Thebis, comite Harmonia coniuge, fortunae iniurias (*sustinens*) fines Macedoniae supergressus, parvulum filium, qui iuxta Illyricum fluvium ab Harmonia editus fuerat, dereliquit. Hunc serpens spiris

(1) Quaerendus hic locus. (2) *Aen.* XII. 236. (3) *Aen.* I. 454. (4) Quaerendus locus. (5) *Aen.* IX. 240. (6) *Aen.* XII. 920. (7) *Aen.* IX. 41. (8) Ita cod.

suis innexuit, et donec ad adultos veniret annos amplexu corporis fovit, imbuitque viribus, quibus omnem illam regionem sibi subdidit. (Hic) ex vocabulo suo Illyrium *denominavit* [1].

v. 247. . . . quas aves Antenor secutus traditur ex responso [2]. Sunt qui Patavium a Patena [3] palude dictum putant, (quae) *prope civitatem fuisse dicitur. Alii a* Pado flumine vocatum volunt, ut littera una sit mutata postea ex Padavio. Antenor autem traditur *Henetos*, qui ex gente Paphlagonum secuti erant, amisso duce Pylemene [4], adposito digammate [5] Venetos appellasse [6] . . . Homerus ita ait [7]:

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον. κῆρ.

v. 248. Genti nomen dedit. Potest pro *progenie accipi*, ut est [8]: "cui genus et nomen quondam natique fuissent„. Et alibi [9]: "Et nos aliquod nomenque decusque gessimus„. *Hinc dicunt Patavini* gentiles se Romanorum. Sed haec intempestiva interpretatio [10] est.

---

(1) Eadem sententia est Eustathii *ad Dionysium periegetam v.* 389.

(2) Praelocutus fuerat Interpres de Patavii etymologia sumpta a πέτεσθαι, propter avium volatum, quem Antenor auspicii loco habuerat.

(3) Ita cod. At Servius *Patina*.

(4) Ita ex Livio I. 1. emendo codicem, qui habet *Poelemene*.

(5) Cod. *digrammate*. (6) Lege Livium I. 1. (7) *Iliad.* II. 851. (8) *Aen.* V. 621. (9) *Aen.* II. 89.

(10) Cod. *interpraetatio*, quam scripturam in aliis quoque observavi antiquis codd.

v. 249. . . . Antenoris . . . Aponi esse . . . tus. Aponus [1] dictus . . . dolores fuget.

v. 260. Magnanimum Aenean. Aeneas uxore et regno potitus, Latino mortuo, Etruscos certamine premens, in conflictu bellico *requisitus nusquam comparuit* [2], et Numici fluminis gurgite haustus putatur: cui Ascanius, hostibus devictis, in loco quo . . . r apparuerat, Aeneae indigeti templum dicavit [3], ad quod pontifices quotannis cum consulibus *veniunt sacrificaturi*.

. . . .

AENEIDOS LIBER II.

v. 81. Fando. . . . et Pacuvius in Teucro: "Nihil ne a Troia adportat fando [4]„? Lucilius in ·II·: "Fandam adque auditam iter ab ima fl. . . . [5]. „. *Hic ergo* patiendi vim non agendi habet. Supra vero [6]: "Quis talia fando Myrmidonum „ activo modo enuntiavit.

v. 82. Belidae nomen Palamedis. Nauplii quidem filius Palamedes; sed longius repetit ab origine Belidis epitheton, *nempe ad Belum usque* refert. Origo au-

---

(1) Cod. *Apollo*; ut quidem olim legebam.

(2) Conferendus Tullii vetus Iuterpres a me editus *ad Plancianam* IX. 2.

(3) Conferendi Dionysius Halic. *Antiq. rom.* I. 64. Livius I. 2. Tibullus II. 5. 43.

(4) Addendus est hic locus fragmentis antea editis pacuvianae Teucri.

(5) Hic item locus addatur fragmentis editis libri II. satyrarum Lucilii.

(6) *Aen.* II. 6.

tem eius talis traditur. Epaphus Iovis et Ius filius de Euxia Elidis amnis filia Memph . . . ex qua [1] et Neptuno Belus et (Agenor) nati sunt. Ex Belo Danaus et Aegyptus. Ex Danao Amymene soror . . . Neptnuus Nauplium. Huius Proetus [2]; et Proeti Laernus; cuius Naubolus filius; et inde Clytius. *Tum ex hoc Nauplius*; et ex eo Palamedes, de quo nunc Sinon loquitur. Varro Argonautarum primo [3]:

"Ecce venit Dana(i) multis . . .
„Namque satus Clytio Laerni quem Naubolus ex se,
„Laernum Naupliades, Proetus sed Nauplion edit,
„*Filius huic Palamedes quem* Danai *nece perdunt.*

v. 83. Falsa sub proditione. Filaetia [4] est (qua . . . pati reum) per Palameden. Nam qui genus trahebat a Belo non potuisset a commilitio vacare Graecorum: proditusque in illa simulatione furoris . . . corrupto satellite eius (noctu aliquid) auri in tabernaculo illius obruit, fictasque de proditione mox futura litteras Agamemnoni dedit: quod cum penitus adseveratum fuisset, innocens Palamedes damnatione *occiditur.*

(1) Nempe ex *Libya.* Confer autem Eusebium *Chron.* lib. I. 25.

(2) Cod. *Protaeus*, sed mox *Proeti.*

(3) Hic est Varro Atacinus, diversus ab illo celebriore Varrone. Ab hoc Atacino Varrone libros omnino quatuor *de argonauticis* scriptos testis est Pseudo-Probus iamdiu editus *ad Georg* II. 126. Cum Atacini fragmentis luculentus hic locus collocandus est. Vide Quintilianum X. 1.

(4) Ita cod.

v. 90. Pellacis. Circumventoris, vel etiam corruptoris: a verbo qu(idem) pellicio, id est circumvenio sollicito tra... Lucretius [1]:

" . . . . . placidi pellacia ponti ,,.

v. 101.... tea quidem ad alias personas pertinentia proferuntur. Ceterum ad ipsius Sinonis actus venitur.

v. 103. Iamdudum sumite poenas. Iamdudum (hic) *est quamprimum*, ut: " Iandudum erumpere nubem ardebaut [2] ,,. Plerique tamen sic distinguunt: " Idque audire sat est iamdudum ,, ... sequatur postea quasi ex fiducia...

v. 104. Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae. Elegans fraudium color, ut quidquid suppliciorum Sinoni fuerit inlatum, Graeci sint vindicandi.

v. 155. *Vos arae ensesque nefandi, quos fugi* ... mma contexitur. Nam neque ullis adpetitus insidiis est, neque devotus hostiae, neque fugiendi..., denique sic de omnibus iurat, ut per ea quae non fuerunt dans sacramentum, careat obiurgatore.

v. 163. Impius Tydides genere; inde impius nomine.

v. 164. *Scelerumque inventor Ulixes* ... suae potestatis ... noctu occisis arcis custodibus Diomedes et Ulixes in castra Palladium ... Ac tunc Diomeden Ulixes, ut tantae laudis titulum solus adquireret, temptavit occidere.

v. 165. Fatale Palladium. In quo fatum Troianorum constabat. Alibi [3]: " Scandit fatalis machina mu-

---

(1) *Lib.* V. 1002. (2) *Aen.* I. 580. (3) *Aen.* II. 237.

ros „. Fata quatuor modis (sum)untur. Aut enim ab his dis . . . edem et Parca . . . quae et responsorum significatione intelleguntur, ut est: " Fracti bello fatisque repulsi [1] „. Aut univers . . . constituta, ut: "Haec finis Priami fatorum [2] „. Aut: " Quo te . . . ac . . . fata vocant [3] „. Id est quo ae(in). . . (adiuvante) Deo aguntur . . . *Et quo quemque modo fugiat feratque laborem* [4]. Traduntur etiam . . . fatalia fuisse, ex qua significatione hic dicitur fatale Palladium.

De Palladio sane (haec pauca). Duo Palladia traduntur *extitisse*, (alterum) in Attices regione, *alterum* in Troade. Adque [5] illud quod Athenis repertum est, videbatur ponti inlabsum: unde apud illos tu . . . γεφυρίτις Ἀθηνᾶ. Alii [6] sic existimant, quod hoc ex Samothracia in Troiam Dardanus transtuli(t) [7] . . . megalos vocant; cui responsum fuit, tamdiu mansuram Troiam quamdiu id mansisset inco*lume*.

. . . .

v. 170. Aversa Deae mens . . . Iunone [8]: " Diva solo *fixos oculos* aversa tenebat „.

v. 171. Tritonia . . . alii in Libya esse confirmant.

---

(1) *Aen.* II. 13.

(2) *Aen.* II. 554.

(3) Ita cod. cum spatiis. Ceterum vide *Aen.* VI. 147.

(4) *Aen.* VI. 893.

(5) Ita cod.

(6) Ab hoc loco usque ad *incolume* manus paulo recentior seu certe rudior scribit.

(7) Hac super re legendus Dionysius Halic. *Antiq. rom.* II. 66.

(8) Ita cod. Loquitur tamen eo loco (*Aen.* I. 482) poëta de Pallade.

Quidam etiam paludem interpretantur [1], ut Santra Antiquitatum libris [2]... τρεῖν sit φοβεῖσθαι[3], et Minerva hominibus in proeliis metum iniciat.

v. 173. *Salsus* sudor iit. Hoc epitheton demonstrativum, quo totius corporis sucus etiam gustu potuerit agnosci.

" *Nam*que laborando manat de corpore sudor [4],,.

PROBUS malo epitheto putat usum poëtam [5]. Critici vero naturalia *epitheta* nusquam inhoneste putant locari.

v. 178. *Omina* ni repetant Argis, Numenque reducant ... relligionem. Omina vitiose repetuntur ... o unde progredi ... am proficiscitur, inde saucius nulla re gesta memoriae mandanda, obiecta relligione Numinum rediit ... amque repetit ... si forte quispiam princeps senex recipiebat (sortisque) idque auspicium repetebat domo.

. . . .

v. 288. Graviter gemitus imo de pectore ducens ... prior versus [6] adstruxit cum dicitur *gemitus imo* de pectore ducens. Summa autem celeritate enuntianda sunt omnia quae debent urgere fugiturum.

---

(1) Cod. *interpraetantur.*

(2) Inferius *Aen.* V. 95. laudatur Santra *de antiquitate verborum*; isque titulus notus est Festo et Nonio. Ceterum Santra etiam *de viris illustribus* scripsit, teste divo Hieronymo in prologo sui libri de eodem argumento.

(3) Confer Apollon. lex. hom. voc. τριτογένεια.

(4) Versus anonymus.

(5) Ita reapse Probus etiam apud Servium.

(6) Videlicet: *Ille nihil*; *nec me quaerentem vana moratur.*

v. 293. *Sacra suosque tibi commendat Troia penates*. Eleganter ait, Troia [1] commendat, potius quam ipse commendare se dicat. Cuncta enim sic Aeneas agit, ut vid*eatur obedientiam patriae* praestitisse quod fugit. Sunt autem in his versibus quae cum ἐκτάσει pronuntianda sunt, sacra quae ostendo . . . quae sola habet, tibi commendat, qui solus de civibus remansisti.

v. 295. Pererrato statues quae denique ponto. Vaticiuii more somnii monita clauduntur, ut sit securitas prae . . . cum . . . postremitat(em) . . . magna. Ita dictum et illud:

" Tu moenia magnis magna para [2] ,,.

v. 299. Quamquam secreta parentis Anchisae domus. E . . . saevire incipie(ns) . . . ideoque remotam patris domum fuisse confirmat, cum Met*rod*orus [3] referat, Anchisae aedes in lo*co* . . . troianae urbis fuisse.

v. 302. *Excutior somno* . . . tis solemus expelli, sic incusso torpore subito horrore quassamur.

v. 305. Rapidus montano flumine torrens. ASPER. Montano, magno; aut quod monte decurrat. Rapidus et torrens dicit*ur*, qui aestate arescens, hieme attollitur, quem Graeci χειμάῤῥουν [4] vocant. Sed nos ei nomen *ab aestate* posuimus, Graeci ex hieme.

v. 310. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam. *Observandum quam sapien*ter primam Deiphobi domum

---

(1) Cod. *Troiam*.

(2) *Aen*. III. 159.

(3) Ut alios mittam, Metrodorus philosophus defendit Virgilium apud Servium ad *Georg*. I 230. Metrodorus citatur etiam a Philargyrio ad *Georg*. II. 336.

(4) Cod. χοσμαρρουν.

arsisse confirmet, de quo in ·VI· [1] additur, quod ilicet post interitum Paridis Helena ei tradita sit, et ob id in eius domum primam Graecorum *incursionem nunc dicit fu*(isse).

v. 311. Iam proximus ardet Ucalegon. Pro domo Ucalegontis nomen ipsius posuit, sicuti dicimus ei, ad cuius domum ierimus, (ad t)e fui. *Ita supra* [2]: " Ultro Asiam magnam [3] Pelopea ad moenia bello venturam ". Nam per Asiam incolae Asiae intelleguntur.

v. 313. Clamorque virum clangorque tubarum. Homerus nullum tubarum usum in nocte constituit. *Immutatum ordi*nem rerum omnium etiam ex hoc confirmat Aeneas, quod ad convocandos socios non solum ignis indicio, *verum etia*m tubarum sonitu Graecorum multitudo commota sit [4].

. . . .

v. 472. *Sub terra tumidum quem bruma tege*bat. Conveniens comparatio, ut sicut serpens sub terra lauerit, et in auras subito eruperit; ita et Pyrrhus in equo clausus tali specie in bella processerit.

v. 473. *Positis exsuviis.* Quaeritur ab aliquibus, utrum bene positum sit exsuviis in significatione pellis. Dialectici enim tradunt [5], inde bene dici exsuvias, unde dici et induviae recte possint.

v. 479. Correpta dura bipenni. . . . acutum vocarunt, unde et bipennis dicitur ex utraque parte acuta.

---

(1) *v.* 494. et sqq.

(2) *v.* 193.

(3) Ita codex; non *magno* ut in editionibus.

(4) Lege auctorem de orig. gent. rom., et Plinium VII. 56.

(5) Scilicet verborum proprietas pars est dialecticae.

v. 496. Spumeus amnis. Plus est spumeus quam spumosus. Ut est: " Nemora inter frondea [1] „ pro *frondibus onusta.*

. . . .

v. 623. Numina magna. Vel primae inter caelestes potentiae: vel magna, intoleranda; cum in excidium Ilii saevitiam etiam multitudo cumulaverit.

v. 632. Descendo ac ducente Dea. Legitur et Deo [2]. Descendo. Alii legunt Deo: fatum volunt dictum. Sallustius quoque auctor est, occultam potentiam Deum vocari (f)*atum*: " Ut tanta repente mutatio non sine Deo videretur [3] „. Ipse etiam poëta alibi [4]: " Sequimur te, sancte Deorum, quisquis es „. Qui vero legunt Dea, matri adtribuunt Aeneae liberationem.

v. 633. Fammaeque recedunt. Ad id refertur quod.. " Danai qua deficit ignis [5] „.. Sed cum (epichi)rhemate hoc dictum est, ut Veneri obtempe(rent) flammae obsequentes. Et ita antea spopondit filio securitatem: " Nusquam abero [6] „.

. . . flammis opprimatur incendii. Tale est etiam illud quod praestitit Aristeo cum dixit poëta [7]: " Curvata in montis faciem circumstetit unda „.

v. 649. *Fulminis adflavit ventis et contigit igni*... cuius rei Vergilius sciens, voluit seriem facti huius

---

(1) *Aen.* I. 191.

(2) Haec est glossa in codice.

(3) Citant hunc Sallustii locum Servius heic, et Donatus ad Terentium *Eun.* V. 2. 36. Immo Servius heic plagiarius est huius antiquioris scholiastae.

(4) *Aen.* IV. 576. (5) *Aen.* II. 505. (6) *Aen.* II. 620.

(7) *Georg.* IV. 361.

evolvere. Epicurei [1] autem ita tractant, ut poëta elocutus *est*, ventumque igneum fulmen vocant, ac nubibus exenti aiunt, sicut et Lucretius tradit [2].

v. 657. Men' efferre pedem, genitor? Non sine te, neque... et amans... fatalis sed tertio... (in)probetur eventus... et (il)lud de Aeneae pietate, ut nollet etiam ipse discedere, si pater detrectet evadere.

v. 664. Hoc erat, alma parens. Scandendi difficultatem primae syllabae brevitas facit, nisi ·o· vocalem, aut finis partis orationis... et, aut ·e· consonantis litterae, aut (g)em... dum in utraque syllaba sonum praestat pro duabus posita, ut illud [3]: "Mezentius hic est".

v. 665. Eripis. Pro eripiebas, aut ereptura eras.

v. 668. Arma viri ferte citi.... potius instiget, subdendum est armet. Adque id ita [4] duplicis causae ratio deposcit, ut et pro consuetudine hominum... eorum qui morantur tarditas increpetur, et ad invidiam pertineat Anchisae, qui filium conpulerit periclitari.

Quaerunt aliqui cur arma petat, cum Graecorum armatus Aeneas antè arma fefellerit? sed Graecorum habebat [5].

---

(1) Cod. *Epicuri* fortasse pro *Epicurii*. Confer autem Servium ad *Georg.* I. 332.

(2) Libro VI. 294. sq. his verbis:

Est etiam quom vis extrinsecus incita venti
Incidit in validam maturo fulmine nubem:
Quam cum perscidit, extemplo cadit igneus ille
Vortex, quod patrio vocitamus nomine fulmen.

(3) *Aen.* XI. 16. (4) Ita habet codex. (5) *Aen.* II. 389.

v. 670. *Numquam omnes* hodie. Sic in Bucolicis [1]: "Numquam hodie effugies,,. Plautus in Colace [2]: "Si me hodie invitaverit, numquam quicquam...,,. Titinius in Iurisperita [3]: "Numquamne mihi licebit hodie dicere?,, Cato in contione: "Apirensium [4] bellum fecimus... tris missi ad(versus... quos... censorem habuistis, neque)... upli pectore adsecutus,,.

v. 673. *Conplexa* pedes. Σχῆμα διανοίας [5]. Haec enim omnia non tam narrationem, quam... spectaculum... ante nuntiantur.

v. 674. Parvumque patri tendebat Iulum. Plus est quam si dixisset: mihi ut ad retinendum... tis vis affectionis esset (hoc omine).

v. 678. Et coniunx quondam tua relinquor. Feminei doloris obiectio, qua nec decore a [6] marito uxor relinquenda proponat... prius personas ad suffragium retentionis obiciat; tamen ubi ad suum pervenit nomen, oblivionem *sui* accusat.

v. 687. *At pater Anchises.* Peritum multarum disciplinarum Anchisen fuisse... ssunt. Naev*ius*... qui

---

(1) *Ecl.* III. 49.

(2) Alter hic mihi plautinae Colacis deperditae locus occurrit in veterum scriptis. Nam priorem offendi in epistola quadam ·M· Aurelii Caesaris. Vide Frontonis opera ed. rom p. 57.

(3) E Titinii *Iurisperita* locum alium citat Charisius in Putschio. p. 177. *v.* 7.

(4) Sic pro *Epirensium*. Confer Homerum Odyss. VII. 8, ubi scholiastes ambrosianus a me editus voc. Ἀπειραίη diserte explicat ἡ Ἠπειρωτική.

(5) De hoc schemate lege Charisium in Putschio p. 251. seq.

(6) Cod. *decus ea.*

ita de eo [1] ait: "doctus Anchisa, quem Venus pulcherrima Div(um) fata docet, divinum ut pectus haberet,,. Plu ... po(sita nox) serenum erat.

v. 693. *Intonuit laevum.* Sinistrum id est bonum, ab eo quod ... Ideo dictum sit ... quod in posticis, id est ratum. Sed fulmen unde exoritur, id servari oportet, et tonitru ubi desinit ... sinist(r)a tonat, optimum fit auspicium, si modo non posticis sed anticis evenit.

v. 694. Stella facem ducens.... qui ait, Troianos stellam ducem discessionis habuisse ... um exactius. Quid si facem ducens? Omnes enim qui de prodigiis aliqua scribserunt, aiunt, quod si ... o exciderit ... portendas. Atqui Anchises velut bonum auspicium esse laetatus est ... a peritis magis acceptum est, quod in re ... dolosis adversa signis prodigia casibus expe ..

v. 703. *Vestrum hoc augurium.* Discessionis et (vaticinii ... reparandae gentis interpre ... ut non perisse Troiam signorum praesentium maiestate doceatur: qui numinum favor a *seren*itate reseretur.

v. 714. *Cereris* desertae. Quasi a filia derelictae, perpetuumque epithetum faciunt propter raptum Proserpinae, vel ... m quem [2] postea aput [3] inferos vidit Aeneas. Imitatione sane huius epitheti et inde tracta existimatur ... " Ara est Isidis desertae, sic appellatae propter huiusmodi causam: quia quondam ex libris ... et per inprudentiam agnae hostia consecrata, quod vi-

---

(1) Cod. *ita deo.* Porro apud Probum *ad Ecl.* VI. 31. locus hic paulo aliter se habet, et tribui potius Ennio videtur.

(2) Nempe *Cererique sacrum Polypoeten. Aen.* VI. 484.

(3) Ita cod.

ctimae genus adeo a cultu Deae eius alienum est *ut qui sacra* eius celebrant, agnina carne penitus semet abstineant [1] „.

v. 717. Cape sacra manu. Varro secundo historiarum [2] refert, Aenean, capta Troia, arcem cum plurimis occupasse, magnaque hostium ... *obtinuisse* abeundi potestatem. Ita ... auferre. Cumque circa (arma) opesque alias ceteri morarentur, Aenean patrem suum collo *extulisse*; *mirantibus*que Achivis hanc pietatem, redeundi Ilium copiam datam, ac Deos Penates ligneis sigillis vel lapideis, terrenis quoque, Aenean ... quam rem Graecos stupentes omnia sua auferendi potestatem dedisse, eaque ...

Atticus [3] de patre consentit, de Penatibus negat, sed ex Samothracia in Italiam devectos [4]. Contra quam opinionem refertur ... a Vestae, incensis Deae eius aris ex ruinis troicis liberata. Additur etiam ab ·L· Cassio censorio [5], miraculo magis Aenean patris ... rem inter hostes intactum properavisse. Item historia-

(1) Quaerendus locus. Confer interim Iuvenalem XV. 11.

(2) Idem est opus, ut arbitror, atque Annalis varronianus, cuius librum tertium citat Charisius in Putschio p. 81, *v.* 17.

(3) Attici Annalem memorant Cicero *ad Attic.* XII. 23, Nepos *Hannib.* cap. ult., aliique.

(4) Recole superius *ad Aen.* II. 165.

(5) Haud scio an hic ·L· Cassius censorius idem sit atque ·L· Cassius Hemina, cuius historica quaedam fragmenta extant. Et quidem Cassii Heminae librum II. *de censoribus* laudat Nonius voc. *moliri*. Cassius Longinus censor apud Paterculum lib. I. 15, et II. 10. Sed et commentarios censorios memorat Dionysius halic. I. 74.

rum libro ·I· ait [1]: Ilio capto... *Pen*atibus umeris impositis erupisse, duosque filios Ascanium et Eurybaten [2] bracchio [3] innixos ante ora hostium prae... s etiam ei naves: concessumque ut quas vellet de navibus securus veheret.

v. 719. *Flumine vivo. Solent quid*am calumniari quid [4] dixerit vivo. Sed est et consuetudo ut dicatur aqua viva quae suo tantum rivo meat... semper means iu eo paludis portu, nec mori torpescens.

v. 721. *Latos umeros. Iure* dictum est latos, nec notanda iactantia est in veritate, sicut illud in primo [5]: "Sum pius Aeneas,,.

v. 723. Succedoque honeri... sustollo validis umeris... genitorem Elisio [6] na... sacra contactu (vetat). Dextra se parvus Iulus inplicuit. Et dictum inplicuit propter pueri trepidationem.

. . . .

AENEIDOS LIBER III.

v. 691. Comes infelicis Ulixi. CORNUTUS. Num indecore hoc dicitur, qum [7] sit Ulixes hostis Aeneae? ASPER. Non indecore, sed pathetice [8]... magnifice, quoniam eadem erroribus et periculis patiebatur Aeneas.

---

(1) Varro ut arbitror.

(2) Apud Dionys. halic. I. 65. Εὐρυλέων.

(3) Ita cod. quae est antiqua scriptura.

(4) Ita cod. *quid.*

(5) *v.* 378.

(6) Ita codex, non *Elysio.*

(7) Ita cod.

(8) Cod. *patic* . . .

v. 693. Plemyrium [1] undosum. LONGUS. Plemurium fuit emendatum Plemyrium promuntorium Siciliae. Dictum autem ἀπὸ πλημύρειν ideo est, quod undique fluctibus undisque adluatur. Nassos prius appellata Ortygia . . . apposita . . . esse dicta ab eo quod Latona fugiens draconem Pythonem in coturnicem mutata, quae graece ὄρτυξ dicitur, in eam evolaverit.

v. 696. Duo ora habere hic fluvius [2] dicitur, quorum alterum στόμα Ἀλφαίου, alterum στόμα Ἀρεθούσης.

v. 699. Saxa Pachyni. Pachynum promuntorium dictum, quod (ibi) propter . . . luus . . . densior sit aër.

v. 701. Apparet Camerina procul. ASPER. Camerina Siciliae oppidum . . . r . . . teret pestem . . . ensibus (in ea) . . . e exhaurire eam instituerunt: quae cum attingeretur tetrum odorem reddebat. Tum consilio capto ad oraculum Apollinis abierunt. Ibi *responsum est*: Μὴ κίνει Καμερίναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.

v. 705. Palmosa Selinus. LONGUS. Quasi Opuns, Amathus, unde et Selinuntii, quasi Opuntii et Amathuntii dicuntur. Selynas . . . olympionicas multos [3] fuisse adnotat Milestos [4].

---

(1) Ita cod. cum unica *m*. Tum in carmine scriptum prima manu *plemurium* (quod est in scho io); mox emendatum *plemyrium*.

(2) Alphaeus.

(3) Cod. *multo*. Multos Olympionicas praetermissos fuisse in olympiadum libello, docet Scaliger Chron. Euseb. ed. vet. p. 354. gr. Palmas in nummis Selinuntiorum videsis apud Spanhemium de praest. et usu num. T. I. p. 338.

(4) Quaerendum de hoc *Milesto*: nisi forte scribendum

v. 707. Hinc Drepani me portus . . . cum X [1] castraret patrem suum Caelum (aliis) . . . tudine quod ad bracchia X . . . falcis imagine. ·C· Fannius in ·VIII· Annali [2] Dre*panum* modo, modo Drepana appellat.

AENEIDOS LIBER IV.

v. 146. Pictique Agathyrsi. ASPER. Pictos stigmosos, ut " pictosque Gelonos [3] ". In prothesi Laodamiae ac Papyrin [4] . . . " haec terga habeant stigmata ". SCAURUS. Cretes. Quia responso accepto ex insula Creta profecti . . . et ducem secuti Delphum [5], Phocidam tenuisse dicuntur, ut Phalare . . . [6].

v. 149. Haud illo segnior. LONGUS. Segnior deformior accipiendum, siquidem segnis est sine igne, id est frig*idus* . . . nam et formonsum [7] non aliunde

---

est *Melissus*: aut gentile nomen *milesios*, quod minus placet. Telestes quidem selinuntius dythyramborum nobilissimus artifex apud Diodorum Sicul. lib. XIV. 46.

(1) Nempe Χρόνος, qui idem est ac Κρόνος apud Dionysium halic. *Antiq. rom.* I. 38.

(2) Annalium Fannii exigua fragmenta supersunt. Et quidem Charisius in Putschio p. 99. *v.* 19. locum quemdam ex illius octavo Annalium laudat. Lege, si placet, quae nos diximus de Fannio in *prosographia* dialogorum Ciceronis de rep.

(3) *Georg.* II. 115.

(4) Ita prorsus legebam in codice.

(5) De *Delpho* Pausanias X. 6.

(6) Sic legebam in codice. Sed enim *Philarchus* historicus satis notus est. Quamquam ego ex Servio ad *Aen.* III. 334. suspicabar legendum *Alexarchus*.

(7) Ita cod. contra Capri praeceptum apud Putsch. p. 2241.

dicimus quam a calido. Formum enim dicebant antiqui calidum [1]. *Unde* . . . segnem pro deformi . . . dicit Vergilius.

v. 158. Votis optat aprum [2]. LONGUS. Indolem pueri vult ostendere, ut merito in ·VIIII· [3] Numanum occidisse videatur.

v. 176. *Parva metu primo.* Primo propter metum parva; mox ubi valere iam coepit, sublimitate procera famosum v(oce) *caput* sideribus audet inserere.

v. 178. Illam terra parens ira inritata. CORNUTUS . . . (quid) . . . e posset. ASPER. *Ait* . . . in Deos saevire. Famam creavit, per quam quia introducuntur invicem certantes et adulter . . . et belligerasse haec nobis innotescerent. Famam Vergilius singulariter, at [4] Sal*lustius* [5] . . . plurali numero, ut in primo historiarum: "At per omnem provinciam magnae atro*cesque famae*, cum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium milia, novas immanes f . . . ocean(i) acc(it)os corporibus hominum vesci contenderent [6]„.

v. 179. Extremam. Utrum pessimam? An erudi-

(1) Haec verba repetit Beda apud Putsch. p. 2236.

(2) Cod. habet *votis optata parum.*

(3) *v.* 653. (4) Cod. *aut.*

(5) Quoniam Sallustius saepe in his scholiis laudatur, et quidem nunc ab Aspro; obiter moneo, Asprum olim Sallustii quoque opera commentationibus declaravisse, teste huius rei divo Hieronymo *contra Ruffinum* I. 16. *Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium commentarios.*

(6) Videtur addendus hic locus fragmentis libri I. historiarum Sallustii. De *famae* plur. vide Senec. *ep.* CXIV. Id ante a cupide imitatus fuerat ille Arruntius, de quo Seneca loco praedicto.

tius sonsit, ut legimus apud Medicos degenerare *extremos* partus ?

v. 184. *Nocte volat.* Hac mora distinguendum, ut sit eius sententia et ordo talis : nocte quidem volat, at luce [1] custos omnis eventus sedet summo tecti culmine.

. . . .

AENEIDOS LIBER V.

v. 78. *Duo lacte novo.* Ut : " Quae sors prima tulit sanguis novus imbuit arma [2] ,,.

v. 80. Salve sancte parens. Catullus : " Salvete Deum gens, o bona matrum progenies salvete iterum [3] ,, ... Sancte parens iterum quia ... salutaverat quin ad sepulturam mitteret, ut facit in ·XI· [4] Pallanti : " Salve aeternum *mihi maxume Palla*, aeternumque vale ,, ... ssu dicitur. Sallustius in (di) [5] ... " Eo redeun-

(1) Cod. *ad lucem.*

(2) Hic' versus scribitur in margioe manu nescio cuius Scholiastae, citaturque a Nonio voc. *imbuere* ex ·VI· Virgilii. Sed est ex VII. 554.

(3) Vide Catulli locum Carminis LXIII. 23, sed diversum. Atqui codex evidenter habet quod ego scripsi.

(4) *v.* 97.

(5) An legendum *in declamatione?* an *in XI?* Ductus enim litterarum ambigui et oblitterati in codice eas quoque lectiones pati videbantur. Declamationes aoonymi Auctoris in Virgilium memorat Servius ad *Aen.* X. 532. Et certe argumenta quaedam Aeneidos et Georg. tribuuntur Sallustio. Porro Historiarum Sallustii libros IX. aut etiam XI. a quibusdam commemorari video (apud Fabricium *biblioth. lat.* ed. nov. T. I. p. 239.)

te domum salutaretur aput aedem Bellonae „. Homerus [1] . . .

v. 81. *Nequicquam cineres animaeque umbraeque paternae.* In tria hominem dividit, animam quae in caelum abit, umbram quae ad inferos, corpus quod *traditur* sepulturae [2].

v. 81. Nequicquam inquiunt quod ha . . . habent solacium aliquod ad dolorem : non adferunt tamen remedium aliquod poste . . . " Non licuit fines italos fataliaque arva, nec tecum ausonium ·q·e·q·t· [3] „.

v. 84. Adyta dicuntur proprie Deorum in templis : sed de Anchisae tumulo dixit, qui fuit sanctus [4].

v. 93. Altaria. Liniua, ut : " Paterisque altaria libant [5] „. Et : " Aspice corripuit tremulis altaria *flammis* [6]. Pacuvius in (Medo [7]) : " Vitam propagans ex ar(is et) altaribus „.

v. 95. Incertus Geniumne loci. SCAURUS. Erudite, nam ait ex medull(is) corporum anguis nasci, (ut) equorum . . . et vitulorum apes *e visceribus effervescunt* . . . danti qui eos in monumentis defodibant. Santra [8]

---

(1) Locus relinquitur in codice vacuus. Ego vero ibi scriberem Iliadis versum 179. libri XXIII.

Χαῖρέ μοι, ὦ Πάτροκλε, καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι.

(2) Confer Scholiasten ambrosianum ad *Odyss.* XI. 601, et Servium ad *Aen.* II. 772. IV. 654.

(3) Nempe *quicumque est, quaerere Tybrim.*

(4) Hic locus scribitur in codice alia manu.

(5) *Aen.* XII. 174.

(6) *Ecl.* VIII. 105.

(7) Incerta est in oblitterato codice haec lectio. Sane pacuvianae *Medi* vel *Medeae* fragmenta aliquot supersunt.

(8) Codex *Sandra*, at superius *Aen.* II. 171. rectius habuit *Santra.* Porro Santrae *de antiquitate verborum* liber II.

de antiquitate verborum libro ·III· ait: "... dracones genu ... accipi pro locorum geniis [1], ideoque loc ... go bene accipere pii ... „. Unde etiam Persius [2]: "Veto quisquam faxit oletum. Pinge duos angues; pueri, sacer est locus „ ... apud Ciceronem de natura Deorum ·LT· [3] ubi de Cleomene lacedaemonio.

. . . .

v. 241. *Et pater ipse manu magna Portunus euntem inpulit.* Ennius: "Atque manu magna Romanos inpulit amnis [4] „. Portunus, ut Varro ait, Deus portuum portarumque praeses. Quare huius dies festus Portunalia [5], quo [6] aput veteres claves in focum add ... mare institutum [7]. Hunc Graeci Palaemona vocant.

v. 251. *Meliboea.* Lucretius in ·II· [8] "Iam tibi barbaricae vestes meliboeaque fulgens purpura „. Coelius [9]: "Mean ... factum meandro duplici ... lana

---

citatur a Festo in voc. *nuncupata pecunia*, et in *recinium* liber IV. a Nonio in voc. *genialis*.

(1) Legesis ·I· Valerium de reb. Alex. I. 29.

(2) *Satyr.* I. 112.

(3) Explico *libro tertio*, quem librum mutilum esse scimus. In codice quidem est ·*IT*· cuius compendii prior littera modo *I*. videbatur, modo *L*. Si *I*. intellegas, explica istud compendium *item*.

(4) Cod. videbatur habere *omnis*, quod retinere non placuit.

(5) Vide Varronem *de LL.* V. 3.

(6) Cod. *qua*.

(7) Festus in voc. *claudere* ait: *Claudere et clavis ex graeco descendit, cuius rei tutelam penes Portumnum esse putabant, qui clavim manu tenere fingebatur, et Deus putabatur esse portarum.*

(8) *v.* 499.

(9) Coelii quidem historici fragmenta aliquot impressa sunt.

est qualis a Melibea [1] . . . ut velum„ . . . Sic alius e(u)m errantem, alius ludentem dicit. An potius duo opera meandri in chlamy*de*? Hoc magis.

v. 252. *Intextusque puer.* Poëtice, ut illud . . . in pictura.

v. 255. *Iovis armiger.* Cicero in Mario: " Hic Iovis altisoni subito pinnata satelles [2]„.

v. 463. *Fessumque Dareta.* Fessum non [3] modo lassum, verum etiam deficientem accipi vult. Id etiam sequentia indicant.

v. 467. *Cede Deo. Scilicet fato*, *ut*: "Descendo ac ducente Deo [4]„. An secundum illam [5] consuetudinem athletarum, qua hodieque victores hoc honore nominant? Et forsitan sic supra [6] Eryx Deus dictus.

v. 473. Hic victor superans animis tauroque superbus. D . . . sse, cui superes . . . animus pugnandi vires . . . "Si superant fetus, pariter frumenta sequentur [7]„. Ennius in ·VI· "Aut animis [8] superant atque asperrima *moenera* belli spernunt [9]„. Quod tamen Dem(ocritus) . . . cuius ex gloria est . . . *refic*at probat anim(o)s (si)bi post post pugnam superesse [10]. Et ferunt Pollucem victo Amy-

---

(1) Ita cod. At superius *meliboe*, quod ego feci *meliboea*.

(2) Editus iamdiu hic versus in Ciceronis fragmentis.

(3) Cod. *nunc.* (4) *Aen.* II. 632. (5) Cod. *illum.* (6) *Aen.* V. 391. (7) *Georg.* I. 189. (8) Cod. *animos.*

(9) Addatur hic locus fragmentis libri VI. Ennii.

(10) Democritus reapse disputat de anima in eclogis physicis Stobaei.

co [1] Bacchia [2] . . . dominus . . . appareret long. . . . esse victoria.

v. 487. *Malum.* Malus quando arborem navis significat, generis masculini est; quando arborem pomorum, feminini [3].

v. 488. *Volucrem traiecto in fune columbam.* LONGUS. Adnotat CORNUTUS quod indecenter sacram matri suae avem sagittis figendam constituerit. Sed videlicet Homerum [4] secutus est. Sed et eodem modo quamcumque aliam avem expositam queri [5] potuit, quia singula genera alitum Diis quibuscumque sacrata sunt. Praeterea columbae in tutela sunt . . . a . . . er . . . ati magna quae . . . (quia) . . . quod leones Matris magnae, contra Deam faciet qui leonem occiderit, nisi qui forte fuerit sacratus?

v. 495. *O clarissime.* Clarissimum dixit facto insiguem.

v. 496. *Pandare.* Pandarus, Minerva auctore foedus quod inter Graecos et Troianos factum erat confudit, icto sagitta Menelao in femore [6].

. . . .

---

(1) Pollucis certamen cum Amyco legitur apud Theocritum *Idyll.* XXII, Apollonium *Arg.* II, itemque Valerium Flaccum *Arg.* IV.

(2) Sic legebam in codice.

(3) Haec nota est a manu rudiore.

(4) *Iliad.* XXIII. 853. (5) Cod. *quaeri.* (6) *Iliad.* IV. 86. sq.

AENEIDOS LIBER VII.

v. 260. *Auguriumque suum.* Et hic augurium pro responso posuit, ut in ·III· [1]: "Da pater augurium adque animis [2] inlabere nostris.

v. 266. *Dextram tetigisse....* tinat ad implendam fidem responsi (et) . . . dum quod vates praedixit. Sed populo magnum porten . . . llum, et sperat non superfuturas causas belli, (si) maturato [3] filiam conlocaverit. Et quia, cum [4] Ilio natus sit . . . erat. "Sive fide seu quis bello est expertus et armis [5] ,,. Quae equidem res redolet antiquitatem. Illi enim iun . . . ti *d*extra et pro tabulis signatis cedebat. Et haec fides aput gentem Saturni maxima fuisse debet ex . . . ni.

v. 269. Non patrio ex adyto. Hoc ad illud: "Lucosque sub alta consulit Albunea [6] ,,. Sortes. "Ne pete conubiis [7] *n*atam sociare latinis [8] ,,. Non plurima caelo. Hoc ad illud: "Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari [9] ,,.

---

(1) *v.* 89.

(2) Cod. *adque in animis.*

(3) Ita legebam in codice *maturato.*

(4) Cod. *eum.*

(5) *Aen.* VII. 235.

(6) *Aen.* VII. 82.

(7) Ita codex cum simplici *n*, quod in aliis antiquis monumentis videre est.

(8) *Aen.* VII. 96.

(9) *Aen.* VII. 74.

v. 271. Hoc canunt Latio. Vaticinantur: "Externum cernimus, inquit, adventare virum [1].

v. 327. Pater Pluton. Non quia pater eius sit; Eumenidum enim mater est nox, *pater Acheron* [2]; sed quia Ditem patrem dicimus.

v. 331. *Virgo*. Virgines furias ideo putant Physici videri, quia nullam voluptatem capiant. Hunc mihi da proprium. . . . locutus [3] propric dicebantur quae non ἐκ παρέργου, sed quae necessaria [4] et sine intervallo agebant... Contraria sunt subsiciva. Qui studendi propositum habet, et huic rei attendit proprium studium: ex *contrario* . . . r . . . at aut aliquid tale, subsiciva opera dicitur. Nunc hoc dicit: hoc tantum agas ex *animo*.

v. 337. Tibi nomina mille. HATERIANUS· Nomen hic pro facie positum, ut in ·II· [5]: "Iacet ingens litore truncus ·a·u·c· et s·n·c· [6] pro... *Sensus* est talis: tibi mille facies, mille ad nocendum artes; id est in nullam non faciem nocendi causa *te vertis*. Huc illud quoque suffragatur: "Verte omnes tete in facies [7] „.

v. 341. *Exin gorgoneis Allecto infecta venenis*. ASPER. Statim. Haec sine ulla lectionis intercapedine pronuntianda sunt, quia ἰσοπρόσωπον [8] *in*duxit hoc

---

(1) *Aen.* VII. 68.

(2) Quamquam nulla est lacuna in codice, tamen verba *pater Acheron* prorsus inserenda videbantur. Vide heic Servium.

(3) Ita cod. *locutus*. (4) Ita cod. *necessaria*.

(5) v. 557.

(6) Nempe *avolsumque umeris caput et sine nomine corpus*.

(7) *Aen.* XII. 891.

(8) Cod. υωφοπροσωπον.

ex nocendi festinatione, ideoque illam perfecto officio induxit loquentem [1]. Sic et primo [2] Cupido matri non respondit. Et gorgoneis venenis infectam abusive, non quoniam Gorgonis angues habeat, sed quoniam et Gorgos serpentibus armata fuisset.

. . . .

v. 406. *Postquam visa satis primos acuisse furores.* Quae [3] reginam primum incendit, deinde Turnum, mox canes Iuli.

v. 412. *Et nunc magnum manet Ardea nomen.* Hoc dicit referens ad sua tempora: retinet quidem nomen adhuc, sed fortunam primam extinxit aetas.

v. 419. *Fit Chalybe....* Similis illi. Tale est illud: "Fit Beroë Tmari coniunx longaeva Dorycli [4]".

. . . .

v. 485. Tyrrhusque pater. ASPER. Nomen Tyrrhi ab historicis traxit [5]. Tyrrhum enim aiunt fuisse pastorem, aput quem *Lavinia* delituit tum qum Ascanium timens fugit in silvas. Hic Latini vilicus traditur fuisse.

v. 489. *Pectebatque ferum.* LONGUS ... n. ...

---

(1) *Aen.* VII. 545. (2) *v.* 689. (3) Cod *qua.*

(4) *Aen.* V. 620.

(5) Nomen *Tyrrhi* diserte superest apud Q. Tuberonem in fragmento ab Aurelio Victore citato *Orig. g. r.* cap XVI. At Dionysii Halicarnassei *Antiq. rom.* I. 70. vulgaris lectio est Τυῤῥηνῷ: quamquam ibi rectius legebant Τυῤῥῳ Gelenius et Portus. Codex Dionysii ambrosianus (A. 159. part. sup.) habet Τυράννῳ.

admodum in consuetudine intellegitur. Neque enim poterat esse ferus, de quo *supra dixit* adsuetum imperiis,, et herum communiter a. . .oportet figuratum *accipere*... ranam iam *non ad natu*ram refert animalis, sed ad morum qualitatem, si tamen dicendi sunt in feris mores, et leo c . . . non est . . . si fera ci*bum* . . . ferum quomodo et de equo in •II• [1] : " Inque feri curvam compagibus alvum contorsit ,,.

v. 506. *Hic torre armatus. An* ita armati veniunt antequam sciant quid propter [2] armentur ? An quia auxilium Silvia vocat, *idcirco int*ellexerunt se armari debere ?

. . . .

v. 591. *Caecum.* Temerarium inprobum.

v. 605. *Hyrcanisve. Gens est* Scythiae. Artificio enumerat hostes, ut veniat ad Parthos. *Ad Indos.* Indos enim Au*gustus* . . . avit.

v. 606. Parthosque reposcere signa. Quae Licinio Crasso interfecto interceperant Parthi. Haec . . . Augustus. Huius facti nitae [3] repraesentantur in arcu qui est iuxta aedem divi Iulii [4].

v. 607. *Sunt geminae belli portae . . . Numa Pompil*ius in imo Argileto . . . ino indicem pacis et belli. Hunc *Phaliscis* captis transtulerunt Romani. Dicit er-

(1) *v.* 51.

(2) Ita cod.

(3) Sic evidenter legebam in codice: nisi quis mavult emendare *notae.*

(4) Adnotent romani antiquarii haec verba, ex quibus nunc demum patefit ubinam arcus Augusti collocatus fuerit.

go verum et Laurento [1] fuisse hanc consuetudinem... Numa Pompilius d... hunc... fuit in pace. Secundus Manlius Torquatus . . . mensibus octo in pace fuit. Tertius [2] Augustus relligione non hostiis caesis sed observa... ena tutum est [3].

. . . .

v. 665. Et tereti pugnant mucrone. Dolonem significat. Dolo dicitur gladius acutissimi et tenu*issimi* *ferri*... per verum sabellum pila. Quid ita autem sic illos armavit [4], nisi vult [5] illum Samnitibus es*se*... dolones nam ligneis capulis...

v. 681. *Caeculus.* Cato in Originibus ait, Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse, ideoque Vulcani *filium* existimasse: et quod oculos exiguos haberet, Caeculum appellatum. Hic colle(ctitiis) pastoribus Praeneste fundavit [6]. Hunc Varro ab Depidiis [7]

---

(1) Ita cod. *Laurento.*

(2) Augustum tertium, non ter, clausisse Iani templum contendunt quidam critici in notis ad Svetonium *Aug.* cap. XXII. de Civ. D. III. 9. Sane et noster Interpres priori sententiae favet, quam tuentur etiam Plutarchus loco nuper citato, et Livius I. 19.

(3) Lege Plutarchum in *Numa* ed. paris. T. I. p. 73. Item Augustinum *de C. D.* III. 9.

(4) Cod *amavit.*

(5) Ita videtur in codice.

(6) Lege Petrinum *Annal. praenest.* cap. III.

(7) Hinc sanari mihi videtur Solini lectio capitis II. *Caeculum iuxta ignes fortuito invenerunt, ut fama est, Digitorum sorores.* Quo loco Salmasius notat, vetustiores omnes melioresque Solini libros habere *Digidiorum*; ipse tamen in

pastoribus educatum, ipsique Depidio nomen fuisse, *et cognomentum* Caeculo (tradit) libro qni inscribitur Marius aut de Fortuna [1].

v. 683. Gelidumque Anienem. ASPER. Ani(o)... et... ad tertium miliarium.

v. 684. Hernica saxa colunt. Audiendum [2] est, qnod sic etiam Marsi lingua sua *saxa* hernas vocant... hernica... Hernici sunt... Anagniam habitant Marsorum coloni. Hernica ergo quasi Marsica.

v. 688. Galeros.... *Fronto* [3] *et Andronicus* [4] neutro genere (dicta [5]) galeria [6]... ta... (dictas) putant, qu(o)rum prior...

. . . .

---

aliam plane explicationem abit. Legendum igitur in Solino *Depidiorum sorores.*

(1) Locum alium varroniani libri *Marius aut de fortuna* lege apud Macrobium *Saturn.* II. 14.

(2) Ita eod. Porro et hoc scholion Aspri est.

(3) Addidi *Frontonem*, qui, ut hoc loco ait Servius, dixit genere neutro *hoc galerum.*

(4) Spero me recte nomen truncum supplevisse. *Pompilius* enim *Andronicus* est inter illustres Grammaticos apud Svetonium cap. VIII.

(5) Videbatur legi posse in codice etiam *dicit.*

(6) Varro quidem apud Charisium in Putschio p. 61. *v.* 10. dicit *galeria.* Sed Gracchus ibidem *v.* 8. *galera* feminino genere.

AENEIDOS LIBER VIII.

v. 25. Laquearia [1]. Lacuaria ... pluribus ... quae n ... Lucilius ... " arcusque ... ,,.

v. 28. *Sub aetheris axe*. Sub deo [2]. Accius in Philocteta : " Sub axe positum, unde horridus aquilonis stridor gelidas molitur nives [3] ,,.

v. 30. *Seramque dedit per membra quietem* ... Uti dictum est : Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα [4]. Quod duci con(vene)*rit vigilare*.

v. 34. Carbasus et masculino et feminino genere dictus est. (Cat)ullus : " Cann(ub)iae ... carbasus ... ros umbrosa c ... an ...

v. 37. *Aeternaque Pergama*. In Italiam vehendo effecisti aeterna. Bene ex persona ominatur Romanis.

. . . .

v. 104. *Ante urbem in luco*. In eo loco dicit, qui nunc Velabrum dicitur. Id enim est lucus Herculis ac col(lis in quo) postea Hercul ... *aram* maximam consecr ... [5].

---

(1) Ita cod. *laquearia* in textu, tum *lacuaria* in scholio.

(2) Ita cod. pro *dio*. Sane et apud Varronem *de LL.* V. 2. nonnulli bis legunt *deo* pro *dio*.

(3) Emendatior et plenior iam prodit hic Accii locus, quam erat antea apud Ciceronem *Tusc.* I. 28, et Nonium voc. *moliri*.

(4) *Iliad.* II. 24.

(5) De ara maxima Herculis lege Dionysium Halic. *Antiq. rom.* I. 40, Solinum cap. I., Aur. Victorem *Orig. g. r.* cap VI, Mamertinum *paneg.* I. *Maximian.* cap. I, nec non Servium *ad Aen.* VIII. 179. 269. 271.

v. 105. *Pauperque senatus.* NISUS [1]. Quod senatum ·R· cum Romulus prim*itus legit* (centum) ex senibus nuncupaverit.

v. 106. *Tura dabant. Lucinius* [2]: Absterge lacrimas et Divos ture precemur,,. Tepidusque cruor. ASPER. Cruor proprie *dicitur Nam* quamdiu in corpore est; sanguis est; qum fluit, cruor; qum exiit, tabus est.

. . . .

AENEIDOS LIBER IX.

v. 360. *Remulo.* ASPER De quaestionibus vel maxima. Remulus, inquit, dat; nec addit nomen *accipientis*... (quod ῥῆμα. Illud nobis proficit, quod Vergilius quando dicit alicui datum, nec dicit nomen... vi-

---

(1) Cod. N̄, qua nota significatur NISUS vel NIGIDIUS; uterque enim fuit Virgilii interpres.

(2) In codice superest tantum . . . *nius*; sed dicendum *Lucinius*; namque apud Nonium voc. *lupari* legitur "Luci. lib. V. *et Divos ture precemur.* ,,. Nonius ergo complet nomen auctoris *Lucinii* acephalum in veronensi palimpsesto; et vicissim palimpsestus complet Lucinii versum imperfectum apud Nonium. Iam *Lucinium* a *Lucilio* diserte distinguit Capella lib. III. (ed. Grot. p. 60.) his verbis: "Lucilius in dativo casu *a* et *e*. coniungit dicens, *huic Terentiae Orbiliae*: Lucinius *a* et *i*: et Lucretius crebro: et noster Maro *aulai*, *pictai* ,,. Male igitur in duobus codd. Nonii ambrosianis legitur in citato loco *Lucilius.* Frustra item Grotius volebat invehere *Licinium* in Capellae textum. Gothofredus legebat *Lucinium* pro *Lucilium* in Nonio etiam in voc. *callet.*

detur ostendere cognominis fuisse. HATERIANUS hic (Tiburti) Remulo sc...

v. 361. *Quae mittit dona hospitio cum iungeret.* Malluit [1] sic figurare, quod est ob hospitium. Et in ·VII· [2]: "Nostri si tanta cupido, si iungi hospitio *properat* sociusve vocari.

v. 363. *Post mortem bello Rutuli praedaque potiti.* ASPER. Et hoc obscurum. Sed hoc modo fiet lucidum. Primum Rutulos [3] accipere debemus Rhamn... Ex eodem schemate erit dictum, si ita vis intellegere: "Quamvis Elisios miretur Graecia salt*us* [4] ".... δάρδανος ἀνὴρ *dixit* Homerus [5]. Certe forsitan [6] et illud sic dictum: "Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus [7] ". *Dardanus* enim pro Dardanio, et sic [8] Aeneas: ubi genus positum pro specie. Erit ergo talis sensus: Pon... Remuli nepotis quem occiderit Rhamnes [9], potiti sunt Rutuli. Hic Rutulus Rhamnes est.

v. 369. *Ibant, et Turno regi responsa ferebant.* Alio loco ostendit illos a Turno missos. Hoc loco ad-

(1) Ita cod. Sic apud Frontonem ed. rom. p. 221. *manlui.*

(2) *v.* 263.

(3) Ita cod. in scholio: at in carmine idem codex habet *Rutuli*, ut in editionibus.

(4) *Georg.* I. 38. et nota variam lectionem *saltus* pro *campos.*

(5) *Iliad.* II. 701. XVI. 807. Locum autem graecum ipse supplevi.

(6(Cod. *forsitam*, qui interdum est idiotismus.

(7) *Aen.* IV. 661.

(8) Ita cod. *sic.* Sed videtur scribendum *sit.*

(9) Cod. *Hamnes*, sed mox *Rhamnes.*

notant PROBUS et SULPICIUS contrarium illi esse: "Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas [1] „.

v. 373. *Sublustri noctis in umbra.* ASPER. Utrum non (nubila) inlustrique? Nam sub pro pa(rum) ponitur. Lucilius: "Facti subpudet (tu di ... „) inlustri positum. Vergilius: "Namque sub ingenti lustrat dum singula templo ·r·o· [2] „. PROBUS hic posuit aptissimum exemplum ex Horatio [3]: "Nocte sublustri nihil astra praeter vidit et undas „.

v. 379. *Ad divortia nota* ... In Annalibus belli gallici [4]: "Hic qua ducebant vastae divortia fossae „.

v. 380. Omnemque abitum [5] ·c·c· [6]. Sic abitum, non aditum. Neque enim ideo circumdant nequis adeat, sed nequis poss(it) *abire*.

v. 386. Iamque inprudens ·IN· [7] ASPER. Id est in-

---

(1) *Aen.* VII. 600. Porro heic ait Servius (nempe *Aen.* IX. 367.) "Non est contrarium illi loco *Sepsit se tectis* etc. „ Nunc autem constat Servium contradicere Probo et Sulpicio. Vide ibidem et reliqua Servii (in suppl.)

(2) Nempe *reginam opperiens. Aen.* I. 454.

(3) *Od.* XXVII. lib. III. Porro Servius, laudato Horatii loco, Probi auctoritatem reticet.

(4) An hoc idem est opus atque *Annales* seu *libri belli sequanici*, quorum et auctorem fuisse constat Varronem Atacinum, et secundus laudatur a Prisciano in Putschio p. 877. *v.* 26? Sed enim *Annales* post Ennium scripserat etiam Volusius, de quo Catullus *Carm.* XXXVI. et XCIII.

(5) Cod heic *adytum*, quod corrigitur in ipso codice tum in carmine tum ab ipsa Scholiastae affirmatione.

(6) Nempe *custode coronant.*

(7) Ita evidenter in codice est nota ·IN· duobus punctis conclusa. Utrum autem explicanda [sit *iunior* (namque

prudens et ignorans se evasisse. An quod supra [1] alte... "*Eury alum* tenebrae ramorum onerosaque praeda inpediunt„. Ergo inprudens morari Euryalum hoc pot... me intercidat sensus calor.

v. 387. Quo [2] post Albae de nomine dicti. Hoc genus elocutiones con... προλήμψει. In Iugur*thino bello*: Scipio cui postea Africano ex virtute nomen inditum fuit [3].

v. 390. Infelix. Melior HA(TERIANI) dis(tinctio) *ita ut se Nisus potius infe*licem dicat, quam *Euryalum*. Maior enim...

v. 397. HATERIANUS. Fraude loci potest per se legi; deinde subiungi: "et noctis subito ·t·t· [4]„ ut duplex terror fuerit et ex loci fraude et ex noctis tumultu repentino. Sed et alio modo haud [5] absurde*[6] distinctio; "fraude loci et noctis„. Deinde "subito turbante tumultu„ Nam... terror quem incutiebat et nox et locus ignotus et tumultus obvallantis comitatus.

v. 402. *Ocius adducto.* ASPER. Adnotandum... quam metro... ntes... facit. Ergo adnotemus adfecta-

---

Asper, quoque *iunior* in Grammaticis numeratur) an *interpres Asper*, an *interpretatio Aspri* (Est enim in codice ·*IN*· *ASP*·) an aliud quidvis, eruditorum esto iudicium.

(1) *v.* 384.

(2) Ita *quo* in scholio; at in carmine *qui*, ex quo apparet, Interpretem usum esse alterius codicis lectione.

(3) Cap. V. sed paulo aliter. Codex autem pro *fuit* habet *huius*.

(4) Nempe *turbante tumultu*.

(5) Cod. *haut*, quod et alibi observavi.

(6) Ita cod. *absurde*.

tam structuram qua ad lo . . . ora . . . *dis*par orationis adqu(iri), ut: "Luctus ubique pavor et plurima mortis imago [1]„. Et: "Pingue superque oleum fundens [2] ardentibus extis „.

v. 404. *Tu Dea. De* . . . et proximo deriguntur [3] opportune invocationes, ut: "Faune precor, miserere inquit; tuque optima ferrum terra tene [4]„. Et: "Nymphas venerabar agrestes, Gradivumque patrem geticis *qui praesidet armis* [5]„. *Et ali*bi [6]: "Iuppiter, hospitibus nam te dare iura locuntur [7]„.

. . . .

AENEIDOS LIBER X.

v. 1. *Domus Olympi.* LONGUS. Utrum sic domum dixit aperiri, quomodo et Homerus [8]: χαλκόβαται δὲ πύλαι μύχον οὐρανοῦ ἃς ἔχον ὧραι. Et Ennius non tantum domum, sed etiam cenaculum caeli [9]. Per hoc diem significat: facto *enim die* omnia reserantur.

v. 4. *Castraque Dardanidum adspectat populosque latinos.* Ut opportune de illis loquatur. In quo

(1) *Aen.* II. 369.

(2) *Aen.* VI. 254. Est autem *fundens* in codice, non *infundens* ut in editionibus.

(3) Ita cod. (4) *Aen.* XII. 777. (5) *Aen.* III. 34. (6) *Aen.* I. 731. (7) Ita cod.

(8) In Homeri textu edito *Iliad.* V. 749. et VIII. 393. pro χαλκόβαται est αὐτόμαται.

(9) Extat hic locus in fragmentis incertorum librorum Ennii *collect. pisaur.* T. IV. p. 275.

videtur Homerum secutus cum induceret Deos de Troia locuturos: Τρώων πόλιν εἰσορόωντες [1].

v. 6. *Quia nam.* ASPER. ἀρχαϊσμός. Iam in quinto [2] notatur, ubi dixit: "Heu quia nam tanti cinxerunt aethera nimbi„!...

v. 8. *Abnueram. E*nnius Ann*alium*...Haec abnu...

v. 10. Notabilis figura: "Aut hos...

v. 18. *Potestas.* Pro eo penes quem et hominum et Deorum potestas est. Aut quomodo potestas in consuetudine pro rege *usurpari vel im*perio vel magistratu solet.

v. 63. Quid me alta silentia. [3]. Adnotandum... silentium tam... rumpere et vocem.

v. 67. *Italiam fatis petiit auctoribus* [4]... Videtur fatis significare responsis quia subiecta congruunt, quae tamen ipsa elevat *subiungen*do: "Cassandrae impulsus furiis [5]„.

v. 76. Venilia.... m alii Venerem quod in mari nata sit. Alii nympham quam Graeci Βουνηλίη [6] vocant. *Varro rerum* divinarum ·XIIII· [7]: "De Dis

(1) *Iliad.* IV. 4.

(2) *v.* 13.

(3) Spatium est in codice scribendis litteris *Asp.* nempe *Asper.* Sed locus oblitteratus.

(4) Heic quoque periit Interpretis nomen.

(5) *v.* 68.

(6) Codex habere Βουνην.

(7) Rerum divinarum libros ad ·C· Caesarem pontificem maximum scripserat Varro, teste Lactantio *div. Inst. I.* 6 Ii sexdecim fuerunt; nempe in istorum exordio unum singularem, qui prius de omnibus loqueretur, apposuerat; tum

certis spes cum conciliata non frustra esset, et evenisset . . . bantur, quam Deam cum Neptuno coniungunt [1] . . . „.

. . . .

v. 183. *Qui Caerete domo.* Varro putat, Caere oppidum Etruriae (a) Pelasgis cum sitientes inventum flumen proximum . . . salutassent χαῖρε [2], atque ea causa id vocabulum oppido datum. Ante enim Agyllam vocitat(a)m *Vergilius* testis est, qui ait: " Urbis Agyllinae sedes [3] „. Flaccus primo Etruscarum [4]: " Agylla, inquit, ab Etruscis . . . *videlicet* nominata est Cisra [5], quod esset Tiberis Etruscis primus agris subiectus.

---

quindecim addiderat, quos tribuerat in quinque ternarios. Itaque liber ·XIV· secundus erat in quinto ternario. Nunc in huius libri fragmento (quod videtur libri ipsius exordium) videmus agi *de Diis incertis*; quae res plane congruit cum horum postremorum librorum descriptione quae apud divum Augustinum *de civ. D.* VI. 3. eiusmodi est: *in tribus, qui restant, libris Dii ipsi sequuntur extremi; in primo Dii certi, in secundo incerti, in tertio cunctorum novissimo Dii praecipui atque selecti.* Rursus cap. seq. ait Augustinus: *quid quod in illis tribus novissimis libris, Deos certos et incertos et selectos diligenter explicans* (Varro), *nullam Deorum naturam praetermittere videtur?*

(1) Legendus ·D· Augustinus *de civ. D.* VII. 22, qui adversus Varronem de Venilia disputat.

(2) Confer Strabonem lib. V. p. 437.

(3) *Aen.* VIII. 479.

(4) E Verrii Flacci historiis loci multi citantur praesertim a Plinio. Titulum tamen *Etruscarum* (nempe *rerum*, ut puto, aut *antiquitatum*) nusquam memini me videre memoratum.

(5) Ita cod.

Omnem enim p . . . *conplexa* oppidum est Caere AO- citatum „.

v. 184. . . . inclytae me . . . regio Asiae opipara ab hominibus . . .

v. 198. *Ocnus fatidicae Mantus et tusci filius amnis* . . . idem Vergilius ut Ocnus Mantus filius Mantuam condiderit, et a matris suae nomine appellaverit... *Flacc*us Etruscarum ·I·: In Appenninum, inquit [1], transgressus Archon Mantuam condidit „. Item Caecina [2] . . " Archon, inquit, cum exercitu Appenninum transgressus primum oppidum constituit, quod tum *Mantuam* nominavit, voca*tumque* tusca lingua *a* Dite patre est nomen. Deinde [3] undecim dedicavit Diti patri . . . Ibi constituit annum, et item locum [4] consecravit, quod duodecim oppida condere . . . „ . . . nem. Vergilius ait: " Mantua dives avis sed non genus ·o· ·u·g·i·t·p·s·g·q· [5]. A Darchonte [6] enim in gen*te Etrus-*

(1) Cod. *inquid.*

(2) Caecina, qui *de etrusca disciplina* scripsit, memoratur in indice libri II. plinianae historiae. Huius locos de fulminibus laudat Seneca *natural. quaest.* II. 39. et 49: tum 56. ait: *Hoc apud Caecinnam* (scribe *Caecinam*) *invenio, facundum virum; qui habuisset aliquod in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis umbra pressisset.* Tempestive autem a Scholiaste neutro post librum Flacci *Etruscarum* citatur Caecina qui *de etrusca disciplina* scripsit. Gens autem *Caecina* videtur etrusca fuisse. Vide Glandorpii *Onomasticon.*

(3) Namque *Mantus* Etruscis erat *Dis* teste heic Servio.

(4) An *lucum* ?

(5) Nempe *omnibus unum. Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.* Aen. X. 201.

(6) Ita cod. pro *Tarchonte.*

corum palam est Mantuam conditam, et alia undecim oppida. Describtio tamen, de qua loquitur, *in vetere* Etruria invenitur. Sed Vergilius miscet duas Etrurias veterem et inferiorem, ut utriusque *principatum* Etruriae [1] suae adsignet: eum alioqui Mantua ad haec auxilia non pertineat.

v. 207. *Aulestes arbore centena.* Ἔμφασις, re *integre* narranda, ne comminuatur. Adnotandum vero, quod non dicit *unde* sit hic Aulestes, nec quae secum ducat auxilia.

. . . .

v. 241. Sabidius commentar. XII. (vers.) sa(lior [2]. "Ut) in exercitu . . . m imp . . . umque erat in tabernaculo in sella . . . ensa auspicabatur coram exercitu, pullis e cavea liberatis [3] . . . cum circum sellam suam . . . *ob*nuntiato a . . . (p)ullum . . . mum quisqui*s* . . . tripudi . . . [4] ntia. Silentio deinde facto, residebat et dicebat: Equites et pedites nomenque latin*um* . . . le(s) cincti armati paludati . . . estis secuti . . . dum sinistrum solistimum quisquis vestrum vider*it* . . . Deinde . . . *ob*nuntiato dicebat . . . uti placet a legionibus invocaren-

(1) Servius pro *Etruriae* scribit *patriae*.

(2) Interpretem carminum saliorum (sed ·C· Aelium) memorat Varro *de LL.* VI. 1. Quoniam vero posteriorem tituli partem aegerrime legebam in codice, idcirco iam suspicor ibi pro *vers. salior.* scriptum esse alium titulum v. gr. *commentar. XII augurali*, aut *sacrorum pontificalium*: de quibus lege Festum voc. *sanqualis*, *recto*, *malluvium*, *nectere*, *tauri*.

(3) Cod videbatur habere *libertatis*.

(4) In codice interiacere videbam spatium quatuor litterarum: quare cave scribas *tripudiantia*.

tur, faciantque quod (ipse) sperabit r... e (imp.) fidemque m... ducat salutareque siet, viros voca, procliinn [1] ineant. Deinde exercitu in aciem educto, iterum... tur. Interim ea mora utebantur qui testamenta in procinctu facere volebant „.

v. 242. Quem dedit igne [2]. HATERIANUS. Id est enim igni. Separa ergo igni, ut intellegas etiam igni invictum, id est adversus ignem. *Igni* enim ablativus casus... (ig)ni invictum, id est... m... invictum.

v. 551. Fauno Dryope quem nympha crearat. LONGUS. Quaerunt quidam, quomodo si ex Fauno et nympha creatus sit, mortalis esse potuerit? Tamquam non Eryx Neptuni et Veneris filius, qui [3] tamen ab Hercule sit occisus; aut tamquam constet, nymphas inmortalis Deas esse [4].

v. 557. LONGUS. Istic pro hic, ut Plautus in Rudente [5]: "Non hercule adulescens iam istos dies complusculos quenquam istic vidi sacrificare „. Et infra [6]: "Istic ubi vis condormisce, nemo prohibet, publicum est „.

v. 559. *Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum unda feret.* ASPER. Hoc quidem apud Home-

(1) Id omnino confirmat Varro LL. lib. V. 9. Hae autem formulae erant in ritualibus etruscis. Vide Festum ed. Gotofr. p. 176, et Macrobium Sat. I. 16.

(2) In carmine codicis prima manus scripsit *igne*, tum alia, fortasse paulo recentior, fecit *ipse*. Re autem vera haec nota apponitur in codice versui huic, non sequenti in quo est *Ignipotens*.

(3) Cod. *quia*.

(4) Eadem questio est de Silenis apud Pausan. VI. 24.

(5) I. 2. 43. (6) II. 7. 14.

rum [1] de eo, qui in flumine trahebatur, recte positum est; at de eo, *cuius sit in* campo corpus, (si flumine)... dictum ratione. Sic in quibusdam dum nimio stu*dio Vergilius ad* Homerum trahitur, neque temporis neque loci habet curam.

v. 564. *Taci*tis [2] regnavit Amyclis. Adnotandum quod in catalogo huius non meminit. Amyclis ex proverbio... *sum*ptum est, cuius Afranius meminit in Prodito: "Deliberatum est non tacere amplius. Amyclas tacen*do pe*risse audio [3]„.

v. 565. *Aegaeon*... Homerus [4] amicum Aegaeona dicit Iovis. Sed Antimachus in ·III· Thebaidos dicit adversum eum arma contulisse [5].

v. 566.... *Exi*gua hic distinctio [6]. Potest enim sic legi: "Quinquaginta oribus ignem pectoribusque arsisse Iovis„ ut ποιητικῶς ignem Iovis dixerit fulmen,

(1) *Iliad.* XXI. 120. sq.

(2) Codex... *ctis.*

(3) Addatur hic locus fragmentis Proditi afranianae. Porro et Servius similem fere locum laudat heic Lucilii: *mihi necesse est loqui: nam scio Amyclas tacendo perisse.*

(4) *Iliad.* I. 402. sq.

(5) Cod *Sed Antimachus in ·III· Thebaidos d. adversum eum armacm.* Porro Antimachus hic colophonius, paulo senior Platone, eiusque Thebais (licet iam deperdita) notiores sunt quam ut aliqua illustratione egeant. Tantum noto, hunc Antimachum recenseri inter elegiacos poëtas ab Interprete a me edito ad orationem Tullii *pro Archia* cap. X. 3, quae res et aliunde constat.

(6) Vix dubito quin hoc scholion sit Hateriani: ex superioribus enim exploratum est, hunc Interpretem ad distinguenda poëtae membra praecipuum studium contulisse.

ut: "Ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem [1]". Potest et sic distingui: "Quinquaginta oribus ignem pectoribusque arsisse, ut hic sit mora". Deinde . . . ratur: "Iovis cum fulmina contra tot paribus streperet clypeis".

. . . .

v. 738. *Laetum Paeana.* Zenodotus in eo quem inscribit Παιηονίην [2] . . . (riam) [3] sub nomine Naucratis facit disserere Aristarchios [4], qui putant alium Paeana [5] esse, alium Apollinem. Ipse eundem nec diversum multis docet.

. . . .

AENEIDOS LIBER XII.

v. 458. Gravem Thymbraeus Osirim. Utrum aetate? an magnitudine corporis? an fort*itudine*? *ut* non facile pellere(tur), hostibus gravem.

v. 460. Ufentemque Gyas. ASPER . . . quod . . . honore . . . sacris (sedibus) . . . insigue . . . ndit.

---

(1) *Aen.* I. 42.

(2) Nota opus Zenodoti iunioris, qui quidem adversus aristarcheam Homeri recensionem scripsisse dicitur a Suida. Confer etiam Macrobium Saturn. I. 17.

(3) Confer scholia ad Odyss. a me edita lib. IV. 231. Inter Παιηονίην (seu Πειτονίην ut videbatur in cod.) et . . . (*riam*) spatium erat paucis scribendis litterarum elementis, quantum memini. Scripsissem *hist*oriam, nisi absurdus visus esset titulus partim graece partim latine scriptus. Confer heic Servium.

(4) Ita recte cod. pro *Aristarcheos.*

(5) Cod. *Paetona.*

v. 468. Iuturna virago. Utrum (pariens) an virum agens, quod pro... Et quaerendum an virgo possit dici quae virilibus officiis fungatur, licet virgo non sit vir(o)... nondum nubili aetate, si nec virum experta. At virago quae in (virtu)te et in virgin*itate*... Minerva et Diana; ita tamen ut non apte dixeris virginem Vestalem viraginem, *quae* virginitate quidem perpetua est, sed femina... has viragines dic*imus*... qualis in tragoediis Atalanta traditur.

v. 470.... t in [1] CORNU. [2] et...uit. Ego reli...

v. 494. *Tum vero assurgunt irae.* Diu laboravit (ut εὐπρεπῶς) religiosi viri personam pugnantem induceret post ictum foe*dus*.

v. 495. *Diversos ubi sensit equos.* Ut diversarum partium (fugitu...)

v. 504. *Aeterna gentes in pace futuras.* Quasi nulla bella civilia posteris ventura essent, sed quantum ad ipsas gentes pertinet, aeternam *conco*rdiam haberent [3].

. . . .

v. 680.... ique amplius. Id est diutius, ulterius. Lucilius: "Quo populum adque urbem pacto servare potisset „. *Fur*ere ante furorem. Ut servire servitutem et vitam vivere. Hunc furorem ex virtute' venientem.

v. 684. Praeceps. Abrupta enim (bella) dicuntur quae non... declivia sunt.

. . . .

---

(1) Ita *in* sine punctis, secus atque superius *Aen.* IX. 386. An et heic *iunior Cornutus*?

(2) Videtur explicandum *Cornutus*, vel *interpretatio Cornuti*.

(3) Ita cod. *haberent*.

v. 707. Armaque deposuere humeris. Nimium solute, cum exemplo rupti foederis [1] sollicitiores esse debuerint.

v. 712. Invadunt Martem clipeis atque aere sonoro. Alia ambiguitas [2]. Nam aut colligendum est "Invadunt Martem clypeis adque aere sonoro,, post con(i)ectas . . . *aut* dividendum illo modo est, aut "Invadunt Martem sonoro . . . utem . . . sonoro, at inf(erius) referatur . . . ntur in fraudem clipeis [3] et sonoro aere tellus daret gemitum.

v. 718. Stat pecus omne metu mutum . . .
Muta metu terram genibus summis apetivit [4].

. . . .

---

(1) *Aen.* XII. 266.

(2) Et hoc scholion Hateriani esse arbitror.

(3) Ita cod. At superior *clypeis*.

(4) Versus anonymus.

F I N I S.

INTERPRETES VIRGILII

IN VERONENSI PALIMPSESTO OCCURRENTES.

ASPER E. *VII.* 33. Æ. *II.* 305. *III.* 691. 701. *IV.* 146. 178. *VII.* 341. 485. 683. *VIII.* 106. *IX.* 360. 363. 373. 386. 402. X. 6. 559. *XII.* 460.

CORNUTUS E. *III.* 40. *VI.* 9. Æ. *III.* 691. *IV.* 178. *V.* 488. *XII.* 470.

HATERIANUS Æ. *VII.* 337. *IX.* 360. 390. 397.

LONGUS Æ. *III.* 693. 705. *IV.* 149. *V.* 488. *VII.* 489. X. I. 557.

NISUS, *vel NIGIDIUS* Æ. *VIII.* 105.

PROBUS Æ. *II.* 174. *IX.* 369. 373.

SCAURUS Æ. *IV.* 146. *V.* 95.

SULPICIUS Æ. *IX.* 369.

ANONYMUS passim.

His accensendi videntur

METRODORUS Æ. *II.* 299.

MILESTOS seu MELISSUS seu TELESTES Æ. *III.* 705.

SCRIPTORES

APUD PRAEDICTOS INTERPRETES LAUDATI.

Accius in Philocteta Æ. *VIII.* 28.

Afranius in Prodito Æ. *X.* 564.

Aliqui Æ. *II.* 473.

Anacreon E. *VI.* 1.

Andronicus Æ. *VII.* 688.

Annales belli gallici Æ. IX. 379.

Antimachus in III. Thebaidos Æ. X. 565.

Antiqui E VIII. 21.

Aristarchii Æ. X. 738.

Atta Megarensibus E. VII. 33.

Atticus Æ. II. 717.

Auctores anonymi G. IV. 463. *Æ. I.* 247. *II.* 165. 714.

Caecina Æ. X. 198.

Caius Fannius in ·VII. Annali Æ. III. 707.

Callimachus G. IV. 463.

Cato in Contione Æ. II. 670. *in Originibus Æ. VII.* 681.

Catullus E. VI. 1. *Æ. V.* 80. *VIII.* 34.

Cicero E. VII. 33. *De natura Deorum ·LT· Æ. V.* 95. *In Mario Æ. V.* 255.

Coelius Æ. V. 251.

Critici Æ. II. 173.

Democritus Æ. II. V. 473.

Dialectici G. II. 93. *Æ. II.* 473.

Ennius Æ. V. 241. *X.* 1. *in Ifigenia E. V.* 88. *In sexto Æ. V.* 473. *Annal. . . Æ. X.* 8.

Epicurei, vel Epicurii Æ. II. 649,

Flaccus Etruscarum primo Æ. X. 183. 198.

Graeci E. VI. 2. *G. IV.* 535. *Æ. II.* 305. *V.* 241. *X.* 76.

Hesiodus E. III. 40. *VII.* 30.

Historici Æ. VII. 485.

Homerus Æ. I. 247. *II.* 313. *V.* 80. 488. *VIII.* 30. *IX.* 363. *X.* 1. 4. 559. 565.

Horatius E. VI. 1. 7. *Æ. IX.* 373.

Interpretes incerti E. III. 40. *Æ. X.* 76.

Lucilius Æ. VIII. 25. *IX.* 373. *In secundo Æ. II.* 81. *XII.* 680.

Lucinius Æ. VIII. 106.

Lucius Cassius censorius Æ. II. 717.
Lucretius G. III. 3. *Æ. II.* 90. 649. *In secundo Æ. V.* 251.
Medici Æ. IV. 179.
Mythici G. III. 7.
Naevius Æ. II. 687.
Oraculum Æ. III. 701.
Pacuvius in Teucro Æ. II. 81. *In (Medo) V.* 93.
Persius Æ. V. 95.
Phalarchus Æ. IV. 146.
Physici Æ. VII. 331.
Plautus in Curculione E. VII. 33. *In Colace Æ. II.* 670. *In Rudente Æ. X.* 557
Prothesis Laodamiae ac Papyrin . . . Æ. IV. 146.
Proverbium Æ. X. 564.
Quidam E. VII. 33. *Æ. II.* 719.
Sabidius commentar. XII. Æ. X. 241.
Sallustius Æ. II. 632. *V.* 80. *In primo historiarum Æ. IV.* 178. *In Iugurthino bello IX.* 387.
Santra Antiquitatum libris Æ. II. 171. *De antiquitate verborum libro ·III· Æ. V.* 95.
Scriptores prodigiorum Æ. II. 694.
Servilinnus historiarum scribtor G. III. 7.
Terentius E. VIII. 30.
Theocritus E. III. 27. 30. *VI.* I. *VIII.* 21.
Titinius in Iurisperita Æ. II. 670.
Tragoediae Æ. XII. 463.
Valgius in quadam Ecloga E. VII. 22.
Varro Æ. V. 241. *X.* 183. *De vita ·PR· lib. I.* 1. *E. VII.* 33. *Primo historiarum Æ. II.* 717. *Secundo historiarum* ibidem. *Libro qui inscribebatur Marius aut de Fortuna Æ. VII.* 681. *Rerum divinarum ·XIIII· Æ. X.* 76.

Varro (*Atacinus*) *Argonautarum primo Æ. II.* 82.
Zenodotus in eo quem inscripsit Παιηονίην . . . *Æ. X.* 738.

PERSONAE ALIAE

QUAE IN COMMENTARIIS APPELLANTUR, OMISSIS PASTORALIBUS ET HEROICIS.

Aratus E. III. 40.
Archimedes E. III. 40.
Atilius Romulus G. III. 1.
Augustus E. III. 50. *VI.* 3. 9. *Æ. VII.* 606. 607.
Cleomenes lacedaemonius Æ. V. 95.
Cornelius E. VII. 37.
Cornificius E. VII. 22.
Eucdaemon E. III. 40.
Euclides astrologus E. III. 40.
Eudoxus E. III. 40.
Helvius Cinna E. VII. 22.
Hipparchus E. III. 40.
Iulius divus Æ. VII. 606.
Licinius Crassus Æ. VII. 606.
Maecenas G. III. 1.
Manlius Torquatus Æ. VII. 607.
Naucrates Æ. X. 738.
Numa Pompilius Æ. VII. 607.
Romulus Æ. VIII. 105.
Scipio Africanus Æ. IX. 387.
Siron philosophus E. VI. 10.
Varus E. VI. 6. 10.

INDEX RERUM

APUD VIRGILII INTERPRETES

NOTABILIORUM.

Adyta dicuntur proprie Deorum in templis Æ. V. 84.

Aegacon apud Homerum amicus Iovis, apud Antimachum hostis Æ. X. 565.

Altum plura significat Æ. I. 3.

Anchises multarum disciplinarum peritus Æ II. 687.

Aeneae indigeti pontifices quotannis cum consulibus sacrificabant Æ. I. 260.

Antenor Graecis minime adversus, et Patavii conditor Æ. I. 242.

Apollo secundum Aristarchios diversus a Paeane, secundum Zenodotum idem Æ. X. 738.

Aponi etymologia Æ. I. 249.

Ara maxima in Velabro Æ. VIII. 104.

Arcadia abundat religionibus Panis G. III. 2.

Argeotis uva G. II. 99.

Arma multiplicem significationem habent Æ. I. 1.

Ἀθηνᾶ γεφυρῖτις *Æ. JI.* 165.

Athla, æ, feminino genere G. III. 4.

Athletae victores Dii dicti Æ. V. 467.

Atilius Romulus templum Palis Matutae vovit G. III. 1.

Attica aliquando Acte vocata G. IV. 463.

Auguralia praecepta Æ. II. 693-694.

Auspiciorum in castris captandorum mos Æ. X. 241.

Bucolici carminis origo ab aucipe E. VI. 5.

Caeculi, qui Praeneste fundavit, historia Æ. VII. 681.
Caere a graeco χαῖρε, *antea dictum Agylla Æ. X.* 183.
Canere quatuor significationes habet Æ. I. 1.
Carbasus et masculino et feminino genere dicitur Æ. VIII. 34.
Catulli lectio emendata E. VI. 1. *cum nota* 2.
Chronus patrem Caelum exsecat Æ. III. 707.
Cisra (nisi est mendum) oppidum Æ. X. 183.
Darchon (vel Tarchon vel Archon) duodecim oppida condidit Æ X. 198.
Delphus Cretensium dux Æ. IV. 146.
Depidii pastores Æ. VII. 681, *quo loco Solini lectio emendatur in nota* 7.
Deserta perpetuum epitheton Cereris Æ. II. 714.
Dextrae contactus olim pro tabulis signatis cedebat Æ. VII. 266.
Dis dignitate pater Æ. VII. 327.
Drepanum et Drepana Æ. III. 707.
Ecloga VI. Virgilii dicta epicedion E. VI. 10.
Eryx ab Hercule occisus Æ. X. 551.
Etruriae duae, vetus et inferior Æ. X. 198.
Eurybates Aeneae filius alter Æ. II 717.
Famae plurali numero Sallustius usurpavit Æ. IV 178.
Fando patiendi et agendi vim habet Æ. II. 81.
Fata quatuor modis sumuntur Æ. II. 165. *Vide et Æ. X.* 67.
Fatum vocatur occulta Deûm potentia Æ. II. 632.
Fessus non modo lassus verum etiam deficiens accipitur Æ. V. 463.
Filaetia Æ. II. 83.
Formum dicebant antiqui calidum Æ. IV. 149.
Fortuna plures significationes habet Æ. I. 240.
Fulmen est ventus igneus secundum Epicureos Æ. II 649.

Furiae cur virgines dicantur Æ. VII. 331.
Galeria pro galeri Æ. VII. 688.
Harmonia Cadmi uxor Æ. I. 243.
Hebenus masculino genere G. II. 116.
Heneti adposito digammate dicti Veneti Æ. I. 247.
Hernae lingua Marsorum dicuntur saxa Æ. VII. 684.
Homerus nullum tubarum usum in nocte constituit Æ. II 313.
Homo post mortem in tria divisus; animam, umbram, corpus Æ. V. 81.
Iani templum ter clausum Æ. VII. 607.
Illyricus Cadmi filius, a serpente educatus, ex vocabulo suo Illyrium denominavit Æ. I. 243.
Inpellere plura significat Æ. I. 11.
Insignis varie adhibetur Æ. I. 10.
Ἰοφοπρόσωπον *Æ. VII.* 341.
Isidis sacra celebrantes agnina carne semet abstinebant Æ. II. 714.
Iuno armata Æ. I. 16.
Languon, onis, est pedibus infirmus G. II. 93.
Latona in coturnicem versa G III. 6. *Æ. III.* 693.
Liber et Apollo culti maximo honore in Phanaeo promuntorio Chii G. II. 98.
Longaevitas cornicis, cervorum, corvorum, phoenicis ac nympharum ex Hesiodo E. VII. 30.
Malus masculino et feminino genere Æ. V. 487.
Mantua secundum Virgilium ab Ocno, secundum Flaccum et Caecinam ab Archonte vel Darchonte (seu Tarchonte) condita Æ. X. 198.
Maturato adv. Æ. VII. 266.
Nassos (seu Naxos) prius appellata Ortygia E. III. 693.
Nitae (seu notae) cladis romanae sub Crasso in arcu Augu-

sti, qui erat iuxta aedem divi Iulii, repraesentabantur Æ. VII. 606.
Nomen pro progenie (ut videtur) Æ. I. 248. *Pro facie VII.* 337.
Nuces dividi vel abici solebant nuptiali festo E. VIII. 30.
Nymphas non constat esse immortales Æ. X. 551.
Ora, ae, multas significationes habet Æ. I. 1.
Orithyia Boreae uxor Zethum et Calain ex se edidit G. IV. 463.
Palamedis genealogia Æ. II. 82. *Eiusdem fata* 83.
Palladium duplex, alterum in Attices regione, alterum in Troade Æ. II. 165.
Pani et Paniculae G. III. 391.
Pan Lupercus G. III. 2.
Partus extremi degenerant Æ. IV. 179.
Patavii etymologiae plures Æ. I. 247.
Patavini gentiles Romanorum Æ. I. 248.
Patena palus Æ I. 247.
Pedi descriptio E. V. 88.
Penates ex Samothracia in Italiam devecti Æ. II. 717.
Pollux Amyci victor Æ. V. 473.
Portunalium ritus Æ. V. 241.
Potestas pro rege vel imperio vel magistratu Æ. X. 18.
Praemia comicorum, tragicorum, heroicorum, et lyricorum E. III. 29.
Prylemenes Paphlagonum dux Æ. I. 247.
Quaestio maxima in Virgilio Æ. IX. 360.
Roma Palilibus condita G. III. 1.
Sanguis, cruor, et tabus, qua ratione differant inter se Æ. VIII. 106.
Segnis, id est sine igne, accipitur pro deformis Æ. IV. 149.

Selinuntii multi olympionicae fuerunt Æ. III. 705.
Septimontii dies sacer G. II. 535.
Sinum quid sit E. VII. 33.
Spumeus plus est quam spumosus Æ. II. 496.
Structura adfectata Æ. IX. 402.
Superbus varie accipitur Æ. I. 21.
Syracusae metropolis Siciliae civitas E. VI. 1.
Σχῆμα διανοίας *Æ. II.* 673.
Testamenta in procinctu Æ. X. 241.
Torrentis et χειμάῤῥου *etymologiae Æ. II.* 305.
Tyrrhus Latini regis vilicus Æ. VII. 485.
Venilia graece Βουνηλίη *Æ. X.* 76.
Venus armata Æ. I. 16.
Virago quae sit Æ. XII. 468.
Virgilii libri duo innuuntur E. III. 40.
Virgilius reprehensus Æ. II. 173. 719. *III.* 691. *V.* 488. *IX.* 369. *X.* 559. *XII.* 707.
Virgilius Sironis philosophi auditor E. VI. 10.
Vir tribus modis ad intellegentiam datur Æ. I. 1.
Ulixes Diomeden temptavit occidere Æ. II. 164.

CYNTHII CENETENSIS

IN

VIRGILII AENEIDEM

COMMENTARIUM.

COMMENTARIUM IN MARONEM

EDITUM

A CYNTHIO CENETENSI*

IN OMNI DICENDI GENERE INTEGERRIMO.

P. Vergilius Maro natus est idibus octobris ·M· Licinio Crasso et Pompeio conss., patre Vergilio, matre Magia Polla, vico Andico, qui abest a Mantua triginta passuum milibus. Tenui facultate nutritus puer, degit in extrema pueritia Mediolani sub Gryllo grammatico. Post Actiacam victoriam agrum amisit: nam volente Augusto milites Cremonensium et Mantuanorum agros inter se divisere. Romam mox se contulit, et sub Marco Epidio rhetore, qui fuerat Augusti praeceptor, multum profecit; eiusque industria in amicitiam Pollionis acceptus est: cuius beneficio et Alpheni Vari, Sulpitii

* De hoc erudito homine, qui circa tempora Pii II. Papae vixit, haec pauca verba scribit Lilius Gyraldus dialog. I. de poëtis sui temporis: *Cynthius Cenetensis, cuius mira in elegiaco carmine facilitas, sed omnino elumbis atque enervis.* Commentarium autem eiusdem in Virgilium prorsus ignoravit Gyraldus.

Tuccae, praedium paternum a Mileno Trione primipilari occupatum recuperavit. Mox per Maecenatem Augusto coniunctus, et familiaritate Quintilii. Puerum amavit Alexandrum, quem in Bucolicis Alexim appellavit. Cydum puerum admodum in agris suis dilexit. Plotiae famosissimi scorti domum aliquando adivit, nec, ut Pedianus ait, cum ea coivit; illa *contra in eum* liberalis fuit. In otio secutus *dogma* Epicuri, domum habuit in Exquilina regione Romae prope hortulos Maecenatis. Parentes ipse tumulavit, et ex tribus fratribus duos, Silonem paene infantem, et Flaccum iam natum annos XX. Bello cantabrico cum coepisset scribere Aeneida, usque ad sextertium centies ab Augusto est honestatus, et in summam gratiam venit. Nec apud populum romanum notitia caruit: nam auditis in theatro Vergilii versibus, ipse populus romanus surrexit universus, et forte praesentem spectantemque Vergilium sic veneratus est quasi Augustum. Quinquagenarius Atticam petiit gratia visendi orientem, ut redeunti Principi ex victoria orientis occurreret: et aestu solis defatigatus in tercianam duplicem incidit, nec pati voluit Megaris *subsistere*. Decessit Brundusii annum agens
*Sentio. quinquagesimum C. Sexto * et Q. Lucretio conss. X. Kal. octobris, sepultus in via puteolana ad secundum lapidem a sinistris: in cuius monumento tale legitur epigramma:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua rura duces.

Statura fuit procera, colore subpallido, natura imbecilli proclivi ad pthisim: dolore capitis saepius laborabat: vini et cibi continentissimus, amoris impensissimi. Aliorum scripta ita probavit, ut anteponeret suis. Et

medicinae operam dedit, testante Plinio. Scripsit eo stilo ut vetustatem semper redoleret, cuius ërat amantissimus. Multa opera litteris comntendavit: puta admodum *iuvenis* in Balistam quemdam ludimagistrum: postea Moretum, Priapeia, Copam, Diras, Culicem, Aethnam, et nonnulla epigrammata. Postea in Bucolicam transiit: mox Agriculturam aggressus est ad honorem Maecenatis: novissime Aeneida edidit in honorem Augusti*, quae omnibus admirationem fecit, etsi ipse testamento damnavit. Iuvenis Vergilii versus primus Romae legit Q. Caecilius Epirota, de quo Marsus tale edidit monostichon

Epirota tenerorum nutricula vatum.

Et primus liber Vergilii qui emissus est inscribitur Culex, cuius tale est initium

Lusimus, Octavi, carmen modulante Thalia.

Aeneas secundo anno imperii latini venit in Italiam. Nam capto Ilio XVII. diebus ante aequinoctium autumni, circa conversionem aestivam, Troiani in Thraciam navigarunt, et illic per hiemem commorati sunt. Vere primo coeperunt navigare et venerunt in Siciliam usque: et illic ille annus ab excidio Ilii finitus est. Inde quom tempus esset navigationis, per mare tyrrhenum aestate fere media pervenerunt in Laurentum, et sic finitus est secundus annus. In principio tertii anni ducta Lavinia filia Latini, oppidum condidit Lavinium. Haec Varro et Dionysius. ARMA dicuntur ab arcendo, teste Pompeio, quorum, ut inquit Plinius, inventores fuerunt Cory- v. 1.
bantes. TROIAE. Troia est regio a Troë dicta filio Erichthonii, quae prius Dardania dicebatur. Ilium urbs est ab Ilo dicta filio Trois: nam urbem nobilitavit referente

Eusebio. PRIMUS AB ORIS. Aeneas primus fuit ex Troianis
qui ad Italiam navigavit. Antenor enim ad stagna maris
Adriatici usque tantum pervenit, et pulsis inde Euga-
neis Patavium condidit. Eo tempore Italia nisi usque
Rubiconem extendebatur: de quo Lucretius et Sveto-
nius mentionem fecerunt: et ultra Rubiconem ex iussu
mandatoque populi romani non licebat cuique ferre ar-
ma, vexilla, signa et commeatum sine Romanorum po-
testate. Quod siquis huius iussionis adversus fuisset, non
secus ac hostis P. R. habitus esset, quasi sacros penates
ex penetralibus asportasset. ORIS. Ora sine aspiratione si-
gnificat regionem, et limbum vestium, et chordas quibus
naves ligantur. Livius "trahunt anchoras et oras,, M. F.
Quintilianus,, permutamus vela, nautis et oras solventi-
v. 2. bus,,. ITALIAM. Ut inquit Dionysius, dicta est ab Italo:
quod affirmat Vergilius Italiam dixisse ducis de nomine
gentem. Ut Hellanicus lesbius asseruit, Herculem nobi-
lem taurum in Siciliam usque ex Aventino quaeritasse, et
semper clamando itulum itulum, ab eo augurio postea
Italiam dixerunt. Columella et Varro dicunt Italiam a
bobus nuncupationem traxisse. Dicitur et Oenotria ab
Oenotro rege filio Lycaonis et Deianirae, qui ·XVII. ae-
tatibus ante bellum Troianorum in Italiam navigavit, et
Ausonas ibi habitantes suo nomine appellavit Oenotrios.
Qua ex causa ridiculum est dicere Italiam esse appella-
tam ab Ausone filio Ulixi, cum multo *ante* diceretur Ita-
3. lia. LAVINIA VENIT LITORA. Et non Lavina. Silius Italicus
"sceptraque fundavit Teucris lavinia victor,,. Catullus
veronensis " lavinius acer,,. Litus terra est quaeque
mari propinqua. Vergilius "cui litus arandum,,. Dicitur
a litando, ut alii volunt a laedendo. FATO. Fatum est
4. series rerum invicem coniunctarum. VI SUPERUM. Vis tris

habet significatus, vis virtus; vis multitudo; vis violen-
tia. SAEVAE. Saevus dicitur crudelis, prosper, et magnus.
Ennius „ Induta est saeva stola „. Varro dicit “ augu-
ria saeva „ idest prospera. IUNONIS. Iuno dicitur, ut in-
quit Dionysius, a iuvando; ut voluit Varro, a vivendo,
eo quod una cum Iove vivat. Dicitur Lucina quod lu-
cem nascentibus praebeat. Dicitur Fluoria a fluoribus
seminum, quod mulieres in partu liberet. Dicitur Fe-
brua, quod mulieres post partum februet; februare
enim est latine purgare: unde mensis februarius dictus
est, in quo apud antiquos expiationes mortuorum fie-
bant. Dicitur Interduca, quod mulieres et mares pariter
ducat. Dicitur Domoduca, quod ad domos maritorum
sponsas ducat. Nam praeest matrimonio. Dicitur Unxia
ab ungendo, nam variis unguentis utuntur mulieres.
Videntur dictae etiam uxores ab ungendo, quoniam
utuntur unguentis. Dicitur Cincia quod cingulum ca-
stitatis resolvat: nam quando deponebant virginitatem,
cingulum dissolvebant mariti. Ovidius “ zonaque salaci
casta recincta manu „ Et Catullus “ quod zonam solvit
diu ligatam „. Dicitur Socitena quod pariter sponsam so-
ciet. Dicitur Populonia quod populos multiplicet. Dici-
tur Curetis, quia magna et potens; nam Dea est bello-
rum, quae apud antiquos curribus fiebant. LATIO. Idest v. 6.
in Latium. Latium dictum a Latino, vel a corporum la-
titudine; ut nonnulli volunt, a latendo. Vergilius “ La-
tiumque vocari, malint, his quoniam latuisset tutus in
oris „. Ovidius in fastis “ dicta quoque est Latium ter-
ra latente Deo „. Sed hoc indicio meo poëticum est:
nam nunquam Saturnus latuit in Italia. ALBANIQUE PA- 7.
TRES. Ascanius condidit Albam, de qua aliâs plura di-
cemus. Albani et Albenses dixerunt. Nam Albani ex op-

pido Alba latino, Albenses vero ex oppido Alba apud lacum Fucinum. ROMAE. Roma dicta est a Romulo; ut alii volunt, a verbo graeco. Et tuto admittitur hoc: et Roma non fuit primum nomen Urbis. Nam non licebat nec fas erat Romae nomen proprium urbis; qua ex causa, nemo ex latinis magistris scriptum reliquit,
v. 8. quod legerim. MUSA MIHI CAUSAS MEMORA. Poëta in tris partes dividunt poëmata sua, propositionem, invocationem, et narrationem. Ut fecit Lucius Columella:

Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo.
Pierides tenui deducite carmine musae.
Pinguis ager.

Plerumque miscent poëtae propositionem narrationi, quod in utroque opere fecit Homerus. Aliquando miscent propositionem invocationi, quemadmodum fecit Papinius in Achille. Hunc tamen ordinem pervertit Lucanus, *qui antequam* proposuit, narravit. Musae novem fuerunt, ſut alii volunt tres: secundum Homerum et Hesiodum filiae Iovis et Memoriae; secundum Alcmaeonem caeli et terrae; secundum Diodorum Iovis et Themidis; dictae quidem musae quod nos bona utiliaque edoceant, et quod ab indoctis ignorentur. NUMINE LAESO. Septimus est casus, teste Servio. QUO NUMINE. Nam Iuno plurima numina [1] erat sortita ut supra diximus. NUMEN. Servius inquit numen esse dictum a potestate, et dicitur quasi Dei nutus. Varro ante hunc dixerat esse imperium; qua ex causa dicas in numine non esse nu-
9. tum, sed imperium potestatemque Dei. REGINA DEUM. Quoniam . . terrestria sola sunt Iunonis, vel quod ita
10. Sabini appellant. INSIGNEM PIETATE VIRUM. Nam Aeneas pa-

(1) Sic etiam Servius *numina*, non *nomina*.

trem et Deos Penates ab incendio troiano liberavit. TYRII v. 12.
COLONI. Tyros, idest Phoenicia, est dicta quidem a sanguine conchyliorum. Tyrii primi fuerunt, qui maria navibus sulcarunt, et fuerunt litterarum inventores propter Cadmum. In Tyro erat Herculis templum nobilissimum. Huius erat sacerdos Acerba, quem Vergilius Sichaeum dixit. Corrupto vocabulo apud Servium Sicharbas. De Acerba lege Iustinum, quem ante Herculis simulacrum Pigmaleon frater Didus occidit: soror timens fratrem iussit dare vela in Cyprum: mox in Africam venit, ubi emit tantum terrae quantum circuiret corium bubulae, quod dissecuit in diversas ligulas, et conprendit XX. stadia, ubi erexit Carthaginem, arvis nobilem, opulentia rerum potentem, studiisque bellorum asperam. Appianus * tamen aliter sentit, quod Dido non condiderit Carthaginem: et Diodorus dicit fuisse conditam a Xoro et Charchedone, unde puto dictam esse Carthaginem a conditore. SAMO. v 16.
Samos est Ioniae Asiaeque contraposita, ·CCC· stadiorum circuitu; ut est apud Hesiodum, ·C· milium passuum. Vocabatur Arusia, Parthenia, Anthemus, Melamphilus. Adeo feraci in solo insula est, ut in ea lac gallinae esse feratur: vino tamen infelicissima. Samo altitudo interpretatur. Templum Iunonis amplissimum, cuius architectus dicitur Rhaetus, Pilei filius indigena. CURRUS. Nam Dea belli est, quod curribus fiebat 17.
apud antiquos: vel thensa intelligit currum in quo simulacra Deorum vehebantur, teste Pompeio. LIBYAE. 23.
Libya dicitur a vento ibi flante. Nuncupatur Libys, vel a verbo graeco, teste Varrone, quod penuriam aquarum habeat. Nam ibi est caritas aquarum, referente Crispo "caelo terraque aquarum penuria„. Vel a

* Cod. *Apinnus.*

v. 23. puella Libya. SATURNIA. Iuno filia Saturni. ARGOS duplex est, in Peloponneso et in Thessalia. In numero unius, generis est neutrius. Horatius "aptum dicet equis Argos,,. In numero multitudinis est generis virilis. IUDI-
27. CIUM PARIDIS. Sententia Alexandri de praestantia formae
28. contra Iunonem. GENUS INVISUM. Propter Electram, quae erat pelex Iunonis et non Iovis. Ex ea enim natus est Dardanus origo stirpis troianae. ET RAPTI GANYMEDIS HONORES. Ganymedes puer troianus, cuius amore captus Iuppiter una aquila regina volucrum ad rapiendum puerum se contulit. De qua re Martialis tale edidit tetrastichon

,, Dic mihi quem portas volucrum regina? Tonantem.
,, Nulla manu quare fulmina gestat? Amat.
,, Quo calet igne Deus? Pueri Cur mitis aperto
,, Respicis ore Iovem? De Ganymede loquor.

31. LONGE LATIO. Longe, hoc est valde. Sallustius "lon-
35. ge mihi aliena mens est ·P·C·,, VIX. Id est mox. LAETI. Alacres, quoniam in Italiam navigabant; vel laeti idest veloces. SALIS. Maris, ut alibi, spumante salo. Sales autem populi facetias significat. Martialis "et salibus vin-
37. cis Sextium Caballum,,. MENE INCOEPTO. Servius exposuit ne pro ergo: sed placet hoc modo subintelligi mene, idest atat ne ita est me non posse avertere ab Italia regem Teucrorum? Plinius iunior ad Adrianum "hominem
39. ne romanum tam graece loqui,,? PALLAS ex cerebro Iovis nata est, et dicitur a πάλλειν quod est concutio, quoniam concutit hastam. *Hinc* nomen etiam tractum est pallium. CLASSIS nomen est graecum: multitudinem navium significat et populi. Quintilianus "classis populi,,
40. Aliquando accipitur pro ima navi. PONTO. Non quod sit sine ponte mare dicitur pontus, sed a verbo graeco

ποντίζω. NOXA non pro noxia, quae nusquam reperitur, accipitur: quoniam noxa per se culpam significat, et damnum etiam significat. Ovidius Metamorphoseon "nocte nocent potae, sine noxa luce bibuntur „. Et Svetonius de vita Caesaris. Sine ulla sua noxa idus martiae adessent „. ET SOROR ET CONIUNX. Iuno appellatur soror et coniunx, quia Iuno interpretatur terra quae eadem est tellus: Iuppiter vero caelum, ut inquit Dionysius, et Varro affirmat. Alii volunt Iovem intelligi aetherem, Iunonem vero aërem. AEOLIAM VENIT. Aeoliae VII. sunt insulae, ut putavit Servius VIII. quae a Graecis Hephaestiades, a nostris Vulcaniae appellantur. Inter eas prima est Lipara, a Liparo rege dicta filio Ulixi, cuius filiam duxit uxorem Aeolus filius Hippotae. II. est Hiera sacra Vulcano. III. est Strongyle in qua est regia Aeoli. IIII. Didyme. V. Hericusa VI. Phoenicusa. VII. Evonyme. Hae omnes insulae cavernosae sunt: ideo venti dicuntur illic domicilium habere a quibus gignitur ignis. AEOLE. Hoc debent diligenter in omni petitione servare orantes, ut praestari possit quod petant, ut sit res iusta, ut modum habeat petitio, et meritorum remuneratio: quae quidem omnia diligentissime in hac oratione a Iunone servata fuere. Eo enim in loco est possibilitas "et mulcere dedit fluctus et tollere vento „. Res iusta "gens inimica mihi tyrrhenum navigat aequor „ Nam est iustum quod petimus contra inimicos. Meritorum remuneratio "sunt mihi bis septem praestanti corpore nymphae. TYRRHENUM NAVIGAT AEQUOR. Hoc est per mare tyrrhenum. Primum mare appellatur hispanum; idem dicitur Ibericum, cuius pars est Baleare: postea Gallicum, mox Ligusticum, mox Tyrrhenum, quod plerique Tuscum ap-

Margin references: v. 41 (line 1), 47 (line 7), 52 (line 11), 65 (line 20), 67 (line 31).

pellant, et hoc mare extenditur usque in Siciliam; di-
ctum quidem quod Tusciam alluit, vel a Tyrrhenis nau-
tis qui se in mare praecipitarunt, et conversi sunt in del-
phinos, quorum fabulam tetigit Ovidius in Metamor-
v. 68. phoseon. ILIUM. Hoc est res Ilienses. VICTOSQUE PENATES.
Varro ait penates Dardanum ex Samothracia in Phry-
giam tulisse, et Aeneam postea in Italiam. Duae viriles
species erant aeneae manu tenentes pila, et interpretan-
tur esse Castor et Pollux filii Lacdae et Iovis. Nigidius ait
esse Apollinem et Neptunum. Dionysius lib. I. dicit es-
se duos iuvenes militari habitu et cum pilis, quos Apu-
69. leius in Socrate angelos appellat. SUBMERSAS OBRUE PUPPES.
Sensus est, ita submersa et obrue, ne amplius libera-
71. ri possint. PRAESTANTI CORPORE, hoc est nobili et ve-
nusta forma. Et poëta laudat nymphas, ut maior sit
in Deiopeia gloria venustatis; quemadmodum alibi ad
72. maiorem Aeneae gloriam Turnum laudavit. DEIOPEIAM.
Deiopeia filia fuit Iasi fluminis, et omnium nympha-
rum pulcherrima, quarum nomina haec sunt: Drymo,
Xantho, Legea, Philodoce, Cydippe, Lycoris, Clio,
Beroë, Ephyra, Ophis, Deiopeia, Arethusa, Clyme-
73. ne, et Cyrene. CONUBIO. Conubium ius est legitimi ma-
trimonii, a nubendo dictum, hoc est tegendo. Primam
habet longam a natura ut alibi: " conubia nostra rep-
pulit, et dominum Aeneam in regna recepit ". Nunc
75. poëta corripuit metri necessitate. PULCHRA PROLE. Allu-
sit ad Canacem et Machareum, qui turpiter amore vi-
cissim se dilexerunt. STABILI propter longam concor-
diam. PROPRIAM ut tollat suspiciones adulterii. DICABO ut
ostendat obsequentem. OMNES ANNOS, ut ostendat non es-
se futurum mixeos divortium. Divortium, quum mari-
ti amovebant a se uxores, si forte displicuissent, quam

consuetudinem Romani servavere. Discidium fiebat an-
tequam ducerentur ad domum maritorum. TUUS LABOR. v. 76.
O regina, tuum est deliberare quid velis, et mihi fas
est adimplere quod iusseris. EXPLORARE apud antiquos 77.
etiam damnare significabat, teste Festo. Sed postea per-
spicere est delictum cognoscere. Itaque speculatores ab
exploratoribus differunt: speculator est ille qui hosti-
lis perspicit; explorator qui peccata damnanda cogno-
scit. CAPESSERE; non est verbum desiderativum de quo
alias. TU MIHI. Hoc ad physicam rationem: nam Iuno 78.
terra interpretatur, a qua venti gignuntur. EPULIS AC-
CUMBERE DIVUM. Epulae cibi sunt ad ministeria homi-
num et ad nostrum usum comparati; epulum solemni-
ores cibi. Quaedam epulae et proprie publicum con-
vivium cunctis civibus exhibitum sive in dedicatione
alicuius templi, sive in honorem Deorum, sive ad ma-
gnificentiae obstentationem, sive in funere alicuius vi-
ri potentis. EURUSQUE NOTUSQUE RUUNT, CREBERQUE PRO- 85.
CELLIS AFRICUS. Mundus dividitur in quatuor partes,
in exortum, occasum, septentrionem, et meridiem. In
medio orbe terrarum est linea quae appellatur aequi-
noctialis. Ab oriente brumali spirat Vulturnus, quia
ex ea parte volant vultures: graece dicitur Eurus. Ab
oriente solstitiali spirat Aquilo: graece dicitur Boreas.
Ab occidente brumali spirat Africus, quia ex Africa
oritur: graece dicitur Libys. Ab occidente aequino-
ctiali spirat Favonius a fovendo, dictus graece Ze-
phyrus. Ab occidente solstitiali spirat Corus ventus,
graece Argestes. A meridie Auster, graece Notus. A
septentrione Septentrio, graece Aparctias. PRAESENTEM. 91.
Praesens non modo huius temporis, sed alicuius. Cice-
ro "ego incolumitati, postea dignitati; ille praesen-

ti potius quam futurae consulebat „ Et hoc mortuo loquebatur ·M· Fabius „ adulatores praesentis potentiae non responsurum invaserunt „. Praesentis potentiae ,
v. 92. quae tunc erat praesens. EX TEMPLO nomen est augurale. Nam augures signum faciebant in *aëre*, quod templum appellant : quo facto , ilico captabant auguria. Sidera et stellae differunt , ut apud Macrobium " sidera et stellas videns „. Stellae singulae sunt , quae non aliis permixtae per se feruntur : sidera vero quae in aliud signum composita formantur , ut Aries , Leo , Cancer
94. et cetera. TERQUE QUATERQUE. Tris pro superlativo et Graeci et Latini utebantur, quod Strabo affirmat cum exponit illud apud Homerum terque quaterque , idest maxime , quod Vergilius est imitatus. Macrobius ali-
96. ter sentit. FORTISSIME. Qui vulneravit Venerem et Mar-
97. tem. MENE ILIACIS. Idest vere nè ita oportuit me non po-
100. tuisse occumbere campis Iliacis ? SARPEDON. Filius Iovis et Laodamiae , rex Lyciorum cum Patroclo filio Moenetii manus conseruit , et poplitibus succisis Sarpedon in terram cecidit , cadentemque secutus est Patroclus , et prostratum occidit. SIMOIS et Xanthus sunt
106. fluvii Troadis. Xantho Simois immiscetur. DEHISCENS. Aperiens. Hic est sua sponte aperire , ut tellus hiat
111. aestu. Hiscere vero est oris et quidem humani. SYRTES sunt maris siccitates. In brevia et Syrtes , hoc est in brevia fretorum. Brevia enim dicuntur vadosa. ARAS. Hae arae alio vocabulo appellantur insulae Aegates ; ubi Carthaginienses duce Amilcone a Quinto Luctatio fuerunt deleti , amissis quingentis navibus, Cornelio referente. Tandem illic inter Romanos et Carthaginienses actum fuit foedus , et illum locum Aras appella-
113. runt , quae apud Sisennam propitiae dicuntur. LYCIOS

qui fuerant sub Sarpedone. RAPIDUS VORTEX. Vortex est v. 117.
aqua in se contorta. APPARENT. Videntur. COMPAGIBUS. 118.
Compango idem est quod coniungo, unde pangere est 122.
componere carmina. Martialis „ si nihil hinc veniet,
compangam carmina nervis „. Dicitur et compages,
gis, ut hoc in loco, et compago, inis. Ovidius in magno volumine „ iunctae compagine cerae „. PATISCUNT. 123.
Aperiuntur. Fatim abundanter significat. Verbum fatisco aperire. O TERQUE QUATERQUE. Alii exponunt quod
sit numerus finitus; quod infinito, hoc est saepius, placet mihi ut intelligas: ter et quater hoc est perfecte
beati. Nam numerus dispar apud antiquos erat perfectus. Tibullus " numero Deus impare gaudet „. IMBER
est humor aquae. Lucretius " Ex igni terra atque anima nascuntur et imbri "idest humores. NEPTUNUS. Saturni 125.
filius, a nuptu idest cooperitione dictus est. Nam quemadmodum caelum nubes tegunt, ita mare terram obnubit. PLACIDUM, quoniam Neptunus propitius erat Troia- 127.
nis. DOLUS apud antiquos in bonis et in malis rebus ac- 130.
cipiebatur, ut bonus dolus et malus dolus. GENERIS VE- 132.
STRI. Nam venti fuerunt filii Astrei et Aurorae, qui
fuit unus ex Titanibus. CAELUM dictum est quod sit 133.
caelatum, ut inquit Ennius, referente ·M· Teren- 136.
tio. Vel a contrario sensu quod sit apertum. NON SIMILI POENA. Hoc est graviori quam habuerunt Troia- 137.
ni: vel non simili mihi, id est vehementi et a me aliena. MATURATE FUGAM. Hoc est non furore neque impetu
redite in antrum. Nigidius ait maturare esse nec citius neque serius, sed ad quoddam temperamentum.
Matura poma, quae neque cruda neque mitia neque ca- 144.
duca neque nimium cocta, sed quae prospere proveniunt. Festus appellat maturum idoneum esui. CYMO-

THOE nympha, fluctus a κῦμα graeco quod fluctum significat. TRITON filius Neptuni ex Salace, tubicen maris, quem nunciatum est Tiberio principi Romanorum visum esse in quadam specu canentem, qui habebat formam hominis inguinum tenus: reliqua pars desinit in caudam piscis. SEDITIO est a seorsum dando, et ut placuit Ciceroni a seorsum eundo dicta, tunc est quum populo secum discordante, res ad manus vocatur. Factio est divisio civium in diversa studia, quando aliqui volunt se facere principes civitatis, et est aemulatio inter eos, qui factiosi dicuntur. AURIBUS. Auris et auricula differunt. Auris est ipsa auris, auricula cartilago illa
v. 159. circa aurium concavitatem. EST IN SECESSU LONGO LOCUS. Describit locum remotissimum in Libya duobus quidem scopulis eminentem. Silius de Carthagine sic locutus est "Carthago impenso naturae adiuta favore-excelsos tollit pelago circumflua muros „. INSULA quod in salo sit posita, vel domum significat quod sit posita
154. in solo. TUM SILVIS SCENA CORUSCIS. Tria sunt genera scenarum, tragicum, comicum, et satyricum. Tragicum ornabatur columnis fastigiis et signis regalibus, de quo inferius intellexit poëta "immanesque columnas rupibus excidunt, scenis decora alta futuris „ Comicum est quod aedificiis ornatur. Satyricum vero est quod ornatur arboribus speluncis et montibus agrestibus, de quo hic poëta intellexit. AQUA dicta est quod a qua vivamus. SILVIS. Silva et nemus differunt. Silva est quae incisis arboribus iterum pullulat: nemus vero
169. locus ad amoenitatem comparatus. ANCHORA apud Grae-
173. cos caret h. ARTUS vel a graeco vocabulo, vel quod
178. membra artubus artentur. FRUGES generale nomen est,
181. dictae a fruendo. ANTAEA - a ϑ graeco post t habet h.

CELSUS. Celsus nomen est graecum. CERVOS. Cervus a ge- v. 183. 184.
rendo, dictus, teste ·M· Terentio, ut inquit Pompeius a graeco, quod cornua longa gerat. PASCITUR deponens 186.
est, quia pasco et vescor differunt. Pascere est brutorum, vesci vero hominum. Vina a vite dicuntur, ut in- 195.
quit Varro. TRINACRIO hoc est Siculo. Nam Trinacria 196.
dicta est Sicilia a tribus montibus Peloro Lilybaeo et Pachino, et nomen est graecum. O SOCII. Magna usus 198.
est arte Aeneas hac oratione appellando Troianos socios. Nam quotiescumque duces in bello alloquuntur conciliandae benivolentiae gratia, eos socios appellant, quemadmodum legimus de Iulio Caesare, qui milites suos solitus est appellare socios. ANTEMALORUM. Una dictio est. Alibi Vergilius: caeli subterlabentia signa„.
SCYLLAEAM RABIEM. Scylla Phorci filia a Glauco Deo 200.
marino in monstrum mutata fuit, de qua Homerus sic loquitur: duo sunt scopuli, cacumen nubes exuperat, quod nemo mortalium usquam ascendit; in medio alterius est spelunca profunda, Erebi instar. Illic habitat Scylla monstrum horrendum ·XII· habens pedes, colla ·VI· praegrandia, et totidem capita, et dentes triplici ordine pectinatos. Alius scopulus bis ictu sagittarum spatio distat. Illic habitat Charybdis quae nigrantem erumpit aquam et absorbet. Ferunt hanc fuisse rapacissimam mulierem, et rapuisse boves Herculis a quo interfecta est; alii volunt, a Iove. CYCLOPEIA SAXA, 201.
hoc est Charybdim, quae est Siciliam versus, ubi Cyclops et Laestrygon regnavere, ad quos cum venisset Ulixes in pericula incidit; mox paulatim laetati hospicio tenuere Ulixem, qui postea cum voluisset rapere filiam regis, eiectus est, vindicantibus rapinam Polyphemo et Antiphate filiis. Alii intelligunt Cyclo-

v. 203. peia saxa quae sunt ad radices montis Lilybaei. Memini, ut inquit Caper, iungitur praeterito imperfecto infinitivi, ut memini me condere soles. Tamen poëtae usurpant in praeterito plusquam perfecto. Ver-
209. gilius : memini Corytium vidisse senem. SPEM. Antiqui dicebant spes speris, et pl. hae speres, ut est apud Ennium. Vultus a volendo dicitur. Lucretius genere
223. neutro pronunciavit. ET IAM FINIS ERAT. Oratio Veneris in genere deliberativo. Tria enim sunt causarum genera, iudiciale, demonstrativum, et deliberativum. Vult enim Venus persuadere Iovi ut tandem inponat
224. modum erroribus Aeneae. MARE VELIVOLUM, quod velis volatur, vel quod velis volat. Ennius " naves velivo-
225. las ,,. VERTICE CAELI. Non sine causa vides Vergilium hoc ordinasse. Nam posito Iove in altitudine sua cum Venere, significatur per mulierem aliqnam felicitatem posse evenire : quoniam Aeneas erat admittendus a re-
229. gina in partem regni per occasionem conubii. VENUS
232. a vigendo, hoc est coniungendo. FUNERA. Funus et cadaver differunt. Cadaver insepultum quod careat honore sepulturae dictum, vel a cadendo. Funus appellatur quando fiunt exequiae. Bustum quando est combu-
239. stum. Tumulus quando est sepultum. SOLABAR. Solatium et consolatio idem significant, sed differunt. Nam
242. solatium est in re, consolatio vero in verbis. ANTENOR. Sisenna sic scribit : " Antenor vir troianus magnus et gravis semper studuit componere pacem inter Graecos et Troianos. Legatos Graecorum hospitio suscepit. Capto Ilio, bonam fidem Graeci servaverunt, et regnum troianum in potestate Antenoris reliquerunt. Cum nunciaretur sibi conspirari ab Aenea et Dardaniis, cum omni supellectile et familia sua mare conscendit, et

superato Aegeo Ionium ingressus est mare. Mox inferi maris, hoc est Adriatici fauces, illinc Dalmatas, Illyricos, Liburnos linquens, hinc Appulos; tandem ad stagna maris Adriatici pervenit. Euganeis mox expulsis, Patavium condidit, et nomen dedit genti appellatione Antenoras „. TIMAVI. Alii volunt esse fluvium 244.
prope Aquileiam, de quo Strabo, Varro, et Polybius meminerunt. ·VII· habet ostia, ut inquit Martialis:

Et tu ledaeo felix Aquileia Timavo,
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas.

Alii dicunt esse fluvium patavinum, et appellari lingua vernacula Brentam. Lucanus:

Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque antenorei dispergitur unda Timavi.

Martialis: antenorei lupus excipit ora Timavi. Placet ut intellegatis de huiusmodi fluvio. PATAVI. Pata- 247.
vium dictum est vel a Padi vicinitate, quasi Padavium, ut inquit Servius, vel a verbo graeco id est volando. Nam captato augurio conditum est. ARMAQUE 248.
FIXIT TROIA. Consuetudo erat apud antiquos ponere in templis arma. Sed quae arma posuit Antenor? Messala sic scribit ad Valerianum: "Antenor sic fixit in templo arma, quae erant scrofa quae in Latio troia appellatur „. OLLI SUBRIDENS. Iuppiter subridens re- 254.
sponsum fecit Veneri eo quidem vultu quo solet esse cum facit serenum, et dato osculo natae dixit, debere omnem timorem deponere. Quippe Aeneas venturus est in Italiam, fatis sic volentibus, ubi aedificabit Lavinium dictum a nomine uxoris, vel a Lavinia filia Salonii, de qua supra. BELLUM INGENS GERET ITALIS. 265.
Dionysius sic ait: Turnum cui pacta erat Lavinia propter consanguinitatem Amatae matris Laviniae con-

fugisse ad Rutulos, cum magna multitudine copiarum bellum parasse, in quo bello cecidere Latinus et Turnus. Aeneas victor soceri regno successit et tris annos regnavit. Rutuli duce Mezentio iterum bellum instaurarunt: pugnatum est non procul a Lavinio: nox proelium diremit. Aeneas amplius visus non est. Alii putant relatum in Deos, ut hic narrat Iuppiter " sublimemque feres ad sidera caeli magnanimum Aeneam,,. Alii putant in Numico fluvio submersum. Ascanius successor patri templum in flumine dedicavit cum tali titulo DIVI PATRIS TERRESTRIS QUI NUMI-
v. 267. CI FLUMINIS UNDAS GUBERNAT. AT PUER ASCANIUS. Ascanius filius Aeneae, nunc Iulus cognominatus, post captum Ilium ·VII· anno Euryleon sive Ilus in fuga nominatus, patri Aeneae successit, ·XXXVIII· annis regnavit; Albam Longam condidit, dictam Albam ab augurio porcae albae; longam propter loci naturam. Servius inquit Ascanium dictum a flumine Phrygiae Ascanio, ut " transque sonantem Ascanium,,. Dictum Iulum a prima lanugine barbae. COGNOMEN dicitur non agnomen . . . praenomen causa differentiae. Haec praenomina primum fuere inventa propter Sabinos et Romanos. Cognomen ab eventu dicitur, ut Scipio Africanus, qui Africam delevit, et is primus fuit, qui cognomentum reportavit a terra devicta, referente Silio nostro " Primus devictae referens cognomina terrae,, loquens de Scipione. Agnomen a
269. familia. MAGNOS ORBES. Tria sunt genera annorum, ut inquit Servius, lunaris annus ·XXX· dierum; solstitialis ·XII· mensium; annus magnus secundum Ciceronem, qui tenet ·MCCCCC· annos, ut in Hortensio " horum annorum quos habemus in fastis ·XII· milia et

quingentos quinquaginta quattuor amplectitur. Hoc in loco magnum dixit comparatione lunaris. Annus dictus quasi anulus, qui in se redeat ut anulus; ut in se sua per vestigia annus; vel a verbo graeco hoc est innovatione.

Ascanius filius Aeneae regnavit annos XXXVIII.
Huic successit Silvius qui regnavit annos XXIX.
Huic successit Aeneas qui regnavit annos XXX.
Huic successit Latinus qui regnavit annos LI.
Huic successit Alba qui regnavit annos XXXIX.
Huic successit Capetus qui regnavit annos XXVII.
Huic successit Capys qui regnavit annos XXVIII.
Huic successit Capetus qui regnavit annos XIII.
Inde regnavit Tiberius annos VIII, qui dum pugnaret prope fluvium in Albula sumersus est, et nomen dedit Tiberi.
Inde successit Agrippa qui regnavit annos XXXIII.
Huic successit Alladius qui alio nomine dicitur Romulus, qui regnavit annos XXXIII.
Huic successit Aventinus qui regnavit annos XXXVIII.
Huic successit Procas qui regnavit annos XXXIII.
Inde regnavit Amulius annis XXX. qui ut Numitorem fratrem non modo regno sed prole privaret, Egestum filium, suum nepotem, in venatione interemit, et Silviam Rheam filiam Numitoris, suam neptem, quae dicta est Ilia, sacerdotio praefecit; quae dum aquatum iret, a Marte divinitus compressa peperit Romulum et Remum. Parvulos Amulius iubet exponi: ad quorum vagitum lupa lac praebuit, et suo vellere fovit, unde Romulus semper usus est pelle lupae. Aelius in commentariis ait: " Accam Laurentiam uxorem Faustuli nutricem fuisse infantum, quae corpus suum in vulgus

dabat, et lupae apud antiquos meretrices appellabantur,,. Silviam Rheam alii volunt in carcere interfectam, alii in Aniene fluvio Tiberis summersam, alii in Tiberi. Horatius " uxorius amnis,,. Plerique volunt a Romulo liberatam. Interfecto igitur Amulio, Romulus et Remus Numitorem avum suum in regna restituunt. Quibus dum cum avo angustum videretur imperium, recesserunt: et Romulus hortante Acca Laurentia ad novae urbis opus accenditur, montem Palatinum munivit: tria milia hominum dinumerata sunt et ·CCC· equites. Eo die quo urbem inchoavit sacra Dis fecit, et flammas populum transire iussit, ut se expiaret. Et interfecto Remo fratre a Celere quodam Fabio lituô pastorali, ut inquit Eusebius, (de eius obitu alibi etiam dicemus) Romam a suo nomine appellavit, quae condita est anno quadringentesimo secundo post captum Ilium, nona die mensis Aprilis ante Kal. maii, circiter II. et III. horam diei, olympiade vero secunda; licet de tempore multi dissentiant, de quibus in sexto dicemus. Aiunt eo die, quo inchoata est urbs Roma, fuisse na-
v. 272. talem Romuli. TERCENTUM. Treceni et triceni differunt.
277. Treceni dicuntur trecenti, triceni vero triginta. ROMANOSQUE SUO DE NOMINE DICET. Troiani post incensum Ilium delati ostia Tibridis, persuasu nobilissimae mulieris quae erat in classe, classem incenderunt, et capti amoenitate loci Palatium habitarunt, et a muliere Rema Romam dixerunt. Quidam dicunt a Roma filia Itali. Quidam a Roma filia Telephi, quae nupsit Aeneae. Quidam a Roma filia Ascanii. Nonnulli a Romulo filio Ulixis et Circes. Nonnulli a Romulo filio Emathionis qui auxilio Diomedis in Latium navigavit. Plerique a Romulo tyranno et duce Tyramuarum *. Alii

*Tyrrhenorum?

dicunt ex Aenea et Dexithea filia Phorbantis natos Romulum et Remum, et delatos in Latium urbem Romam condidisse. Alii a Romulo filio Romae nobilissimae troianae quae nupsit filio Telemachi. Ex omnibus opinionibus urbis Romae historiae romanae docent Romulum et Remum Marte genitos urbem Romam condidisse, Deorum domicilium, et omnium urbium totius orbis terrarum celeberrimam. LUSTRIS. Lustrum v. 283.
spatium quinque annorum, apud Graecos appellatum olympia. Nam in Elide civitate Arcadiae fiebant ludi curules, quos primus instituit Hercules ad radices montis Olympi. DOMUS ASSARACI. Haec est origo Romano- 284.
rum, qui venerunt ab Assaraco troiano hoc modo. Iuppiter genuit ex Electra Dardanum, Atlantis filia. Dardanus genuit Troëm. Tros genuit Assaracum. Assaracus genuit Capym. Capys genuit Anchisem. Anchises Aeneam. Aeneas genuit Ascanium et Silvium Posthumum. Ascanius Iulium Silvium, et quo moriente, in regno successit Silvius Posthumus: unde fundata est 285.
Iulia familia, ex qua natus est Iulius Caesar, Aureliae et Iulii Caesaris filius. PHTHIAM. Phthia pars est Thessaliae australis, in qua erat templum Thetidis matris Achillis, ex quo templo suspicantur illam regionem fuisse subditam Achilli, et erat inter Pharsalum novam et veterem. CLARASQUE MYCENAS. Mycenas condidit Perseus Iovis et Danaës filius. Patria fuit Agamemnonis. ARGOS in Peloponneso est antiquissima omnium 286.
urbium graecarum. Patria fuit Diomedis. FAMAM ASTRIS. 287.
Caesar interemptus est a Cassio et Bruto ·IIII· et ·XX· vulneribus, qui posteaquam vidit se strictis pugionibus peti, toga caput obnubsit, et simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet. Eo

v. 289. interempto, relatus est in numerum Deorum. SPOLIS ORIENTIS. Nam arma romana movit usque in oceanum, et Britanniam subegit. CANA FIDES. Vel quod in canis hominibus invenitur, vel quod ei albo panno manu involuta sacrificatur. Horatius "albo rara fides colitur velata panno „. Fidei templum erexit Amulius, in Ca-
292. pitolio dicavit Atilius. VESTA, nutrix fuit Iovis, ut Martianus. Eadem dicitur Cybele. Cognomen est graecum, ut inquit Cicero ignem significat, qui in eius templo semper erat inextinctus. REMO. Hic pro Agrippa accipitur qui sororem Augusti duxit uxorem, et cum eo pariter bella tractavit. Unde "parte alia ventis et Dis Agrippa secundis „. Sed de morte Remi fratris Romuli sic scribit Dionysius: " convenere inter se Romulus et Remus, ut uter eorum praestantius captaret augurium, conditae urbi nomen imponeret. Romulus impatiens morae per nuncium se aves vidisse ostendit. Remus iam sex vultures viderat a sinistris. Proficiscitur Romulus ad fratrem quasi victus, et cum a Remo peteret quot vidisset, ·XII· vultures se ostenderunt. Romulus specta, . inquit, frater. Dolum intellexit. Mox nata est controversia, et ex magna contentione orta est pugna. Multis utrinque caesis, inter quos Polytimus Faustuli frater, occisus est et ipse Faustulus: nec non secuta est mors Remi, ex cuius caede tanto dolore Romulus est affectus, ut mori iam destiuaverit „. QUIRINUS. Dictus est Romulus ab hasta, quae lingua sabina cu-
294. ris dicitur. Hoc in loco accipitur pro Augusto. BELLI PORTAE. Hyginus sic ait: Ianus in Latio cum Camerte rege indigenà, a quo Ianiculus mons est appellatus, mortuo Camerte solus regno praefuit, et cum esset solers praeteriti et futuri, *ideo dixere bifrontem*: et

quandoque colitur biformis, quandoque quatriformis, qui aspiciat omnem regionem caeli, septentrionem, meridiem, orientem, et occidentem. Hinc templum habuit quod in ·IIII· partes aperiebatur. Id clausum legimus tempore Numae Pompilii, et post secundum bellum punicum, et tempore Augusti. FUROR IMPIUS INTUS. Tempore Augusti pax fuit per totum orbem terrarum, quantum ad externas pertinet gentes: sed bella flagravere civilia contra Cassium et Brutum in Philippis, et ·GN· Pompeium in Sicilia. MAIA GENITUM. Oceanus ex Theti- v. 297.
de genuit Steropem, Alcyonem, Celeno, Maiam, Electram, Taiegetem, ac Meropem. Alii putarunt filias Atlantis. Ex Maia Iuppiter genuit Mercurium Deorum nuncium, et tres fuerunt Mercurii et tres Ioves. DIDO. 299.
Dicta est quasi virago, quod in consciscenda morte viriliter egit. Ante Elisa dicebatur. IUSSA FACIT. Hoc est 302.
exequitur imperium. Dicimus enim facio iussum, et non exequor iussum; sed exequor imperium, et non facio imperium. NOX. Dicta est a nocendo, et est um- 305.
bra terrae. ALMA. Dicta est ab alendo, ut alma Ce- 306.
res. CONVEXUM dicitur ex omni parte in terram declina- 310.
tum, ut inquit Pompeius. Silva nomen est graecum, et congeriem significat. VIRGINIS. Virgo est generis mu- 315.
liebris et non communis. SPARTANAE. Sparta est in La- 316.
conia, ubi erant mulieres venatrices. HARPALYCE fuit 317.
puella quaedam ex Thracia adeo velocissima in cursu ut superaret equos et transiret flumina; patrem a Getis populis in media multitudine liberavit. HEBRUM. Hebrus fluvius est Thraciae proximus Aeno* oppido. UMERIS. Si- 318.
ne h. EUS nomen est graecum adverbium vocantis. Hei 321.
et hei differunt. Nam heu iungitur casui nominandi et accusandi. Vergilius "heu pietas heu prisca fides," et heu

* Cod. Herio.

me miserum! Hei iungitur casui dandi. Vergilius "hei mihi qualis erat quantum mutatus ab illo!,, Haut, id est
v. 329. non, per t scribendum est, ut inquit Probus. PHOEBI. Phoebus nomen est graecum, et dicitur quasi novus. Dicitur Apollo, Pythius, Lycius, Pataraeus, Delius, Tripos (nam tripos est species lauri, ut inquit Martianus tris habens radices, et crat in Clario iuxta templum Apollinis), Auricomus, Sagittarius, Cynthins, Clarius, Smintheus Thymbraeus, Musagetes, hoc est princeps musarum. Habet et alia nomina, de quibus in-
330. fra dicemus. SIS FELIX. Hoc est prospera. Sed prosper et felix differunt. Nam prosper est ille qui dat felicitatem, felix qui recipit: sed utrumque recipit exceptionem; nam felix aliquando idem est quod prosper, ut in hoc loco. HOSTIA, id est sacrificium, dicta ab hostiendo quod est ferire, et id sacrificium fiebat quando erat eundum in hostes. Victima vero sacrificium erat, quod fiebat victis hostibus, unde nomen accepit. Ovidius in fastis "hostibus a victis victima nomen habet,,.
335. TALI HONORE. Venus his verbis noluit se Deam ostendere, sed virginem tyriam. Vel tali honore, id est sacrificio hostiarum, quia Veneri fiebant sacrificia ex
338. ture et floribus. AGENORIS URBEM. Antiquissimus Tyriorum rex Belus fuit pater Abantis, Abas Agenoris, Agenor Cadmi. Agenor autem Tyriorum regnum dilatavit adiectis iugis montis Tauri, unde maxima gloria fuit imperii Tyriorum. PRIMISQUE, id est auguriis captatis. Anneius: contentique auspice Bruto. Iuvenalis: veniet cum
359. signatoribus auspex. THESAUROS. Thesauri *sunt in* custodia Herculis, qui a plerisque dicitur Incubo, quia thesauris incubat. Credebant antiqui eos fieri divites, qui decimam Herculi solvebant. Hinc opes Marci Lu-

culli, hinc Acerba factus est ditissimus, quia erat sacerdos Herculis. IGNOTUM activam et passivam habet significantiam. Quintus Aelius " heres ignotus ". BYR- v. 367.
SAM. In Carthagine erat templum Iunonis et arx dicta
facti de nomine Byrsa. A PRIMA ORIGINE, id est vel 372.
a primo bello troiano, a raptu Helenes, de qua Herodotus talem recitat historiam: Proteus vaticinator praedixit excidium Troianorum et gentis, ex eo tempore quo spreta Iunone et Pallade pomum dederunt Veneri. Phoenices primi dissensionum auctores rapuerunt Io filiam Inachi regis Argorum. Graeci in vindictam rapuerunt Europen Agenoris filiam regis Phoeniciae: et cum par esset praeda, Graeci fuerunt secundi praedones et rapuerunt Medeam, ut alii volunt Hesionem Laomedontis filiam. Asiani aegre ferentes, fe-
cerunt ut Paris raperet Helenam. ANNALES libri sunt in 373.
quibus gesta per singulos annos notabantur. Multi Romani scripserunt annales, sed potissimum tres, Ennius, Lucius, Piso. Historia est earum rerum quas vidimus aut videre potuimus, et dicitur ab ἱστορῶ quod si-
gnificat video. OLYMPO, hoc est caelo, nomen est grae- 374.
cum. Olympus mons est proprie Apollinis Pythii, cuius mensuram posuit Xenecoras filius Eumenis. COMPONET. Hoc est finget: oblato gaudet componere bel-
lum. FAMA SUPER AETHERE NOTUS. Imitator est Ulixi, qui 379.
apud Homerum dixit famam suam venisse usque ad
caelum. PROPRIAM *. Hoc est Corithum urbem Tusciae, *Patriam. 380.
unde venerat Dardanus in Phrygiam, Iovis et Electrae
filius. MATRE DEA MONSTRANTE VIAM. Varro lib. ·II· ait, 382.
ex eo tempore quo Aeneas mare conscendit, semper vidisse stellam Veneris genitricis donec pervenit in
Laurentum Latii. EUROPA ATQUE ASIA PULSUS, hoc est per 385.

Italiam expellor Europa, per Troiam expellor Asia.
Europam secundum fabulas rapuit Iuppiter in taurum
commutatus. Martialis:

Vexerat Europam fraterna per aequora taurus,
At nunc Alcidem taurus in astra vehit.

HAUT INVISUS CAELESTIBUS. Hoc est carissimus Superis;
et sententia est Platonis et Pythagorae inquientium
v. 391. vivos caros essse superis, mortuos vero inferis. NUN-
CIO, id est significo. Nuncius autem ille est qui nun-
393. ciat, et illud quod nunciatur. CYCNOS. Cycni, alio
vocabulo olores, sunt augufia nautarum hac ratio-
ne. Nam Iuppiter in forma cycni concubuit cum Le-
da, quae peperit Castorem et Pollucem, qui relati in
caelum facti sunt sidera prospera nautis. Martialis:
394. et gratum nautis sidus fulgere Laconum. ALES IO-
VIS, aquila. Iuppiter, ut Anacreon ait, rex fuit Cre-
tae, qui dum gereret bellum contra Titanas filios
Titani, qui fuit filius Saturni, et dum Caelo pa-
tri sacrificia faceret, augurium aquilae vidit prospe-
rum, cuius cum vicisset augurio, semper in belli-
cis signis usus est aurata aquila: et quia usus est vi-
ctoria augurio aquilae, finxerunt poëtae aquilam Iovi
fulmina ministrasse. Alii putant, referente Servio, pro-
pter naturam nimii caloris, adeo ut et ova quibus su-
per sedet prorsus coquat, nisi admoveat gagatem la-
pidem frigidissimum, ut testatur Lucanus „ foeta te-
395. pefacta sub alite saxa „. ORDINE LONGO. Cycni grues et
ciconiae ordinati volant, et tanto quidem ordine ut fa-
ciant litteras in aëre, unde Palamedes filius Nauplii ex
volatu gruum quattuor characteres adinvenit, de quo
* Cod. *haec.* Martialis: nec * littera tota volabit, unam perdideris si
398. Palamedis avem. CANTUSQUE DEDERE. Captabantur au-

guria non modo ex avibus sed ex volatu et cantibus avis. Quae cantu dabant auguria dicebantur oscines.
CUR DEXTRAE IUNGERE DEXTRAM NON DATUR? Mos erat apud v. 408.
antiquos quotiescumque numina fiebant obvia, iungere dextras. Varro Callimachum secutus asseruit, omnem eorum honorem dextrarum veneratione et virtute con-
stitisse. PAPHUM. Paphus antiquissimus rex Cypri, ur- 415.
bem Paphum condidit distantem a mari ·XX· stadiis. Huius filius Cinyra erexit templum Veneri nobilissimum, referente Cornelio. SUBLIMIS, divino incessu. Li-
men est pars domus, unde sublimis. SABAEO TURE. Tri- 416.
plex est Arabia, deserta, petraea, et felix. In felici Arabia sunt Sabaei populi. Martialis "festinavit Arabs, festinavere Sabaei„ apud quos nascuntur tura. Vergi-
lius in Georgicis: mittunt sua tura Sabaei. VIA, teste 418.
Varrone, dicta est a vegendo; inde veges, *la soma* apud vulgares. QUA SEMITA MONSTRAT. Semita et via differunt;
semita angusta, via vero lata est. Martialis: semita 418.
facta via est. COLLEM. Collis est monticulus, sive per 419.
se sive a monte separatus, sive pars montis: clivus mollis et clemens, ut clivus Capitolinus: iugum est ardui-
tas: promontorium mons est in mari. PORTAS. Portae sunt 422.
urbis, ianuae domorum. MUROS. Muri sunt urbium, pa- 423.
ries domorum. OPTARE LOCUM. Id est eligere. EFFODIUNT 425. 427.
PORTUS Id est chotona faciunt, ut inquit Servius. SCENIS 429.
FUTURIS. Hoc est tragicis et satyricis, neque comicis. DECUS, et decor differunt. Decus est illa honorificentia ex rebus bene gestis, unde decora militiae, et decus pro honesto, dedecus pro inhonesto. Decor est quasi pulchritudo quaedam ex decentia rerum et personarum, et habet in genitivo mediam syllabam longam, decus vero mediam brevem, nomen est graecum.

v. 430. APES. Nymphae Phryxonides quae enutrivere Iovem in Dictaeo antro fuerunt conversae in apes. Vergilius: dictaeo caeli regem pavere sub antro. Et Martialis: conscia dictaeum quae tulit Ida Iovem. Alii volunt Melissam puellam a Iove stupratam, et iu apem conversam. Homerus ait apes natas esse ex crabronibus. Alii volunt inventas in Thessalia sub rege Aristaeo, de quo in Georgicis [1] plura dicemus. Alii volunt repertas esse sub Hymetto monte Atticae temporibus Erychthonii regis Athenarum. Alii volunt inventas in Creta insula sub Saturno, ut Menander. Physici volunt apes gigni ex rore matutino. Alii volunt recuperari apes ventre bubalo putrefacto, quod Cornelius probare non videtur, quod tanta utilitas nascatur ex putrefactione. Sed quomodocumque sit, compertum est apes gigni per tempora florum. FUCOS. Plinius ait esse genera apum: et apes proprie nascuntur a bubus, fuci ab equis, crabrones a mulis, vespae ab asinis. Fucus, secundum Aemilium, est maior ape, crabrone minor. IGNAVUS negligens, gnavus vero diligens. O cum nominativo et vocativo iungitur, aliquando et accusativo. Cicero "o variam volucremque fortunam,,! Et apud Vergilium "o fortunatos ni-
441. mium bona si sua norint! LUCUS IN URBE FUIT. Lucus dicitur a luce propter sacrificia quae fiunt in lucis noc-
444. tibus. LAETUS UMBRAE legit Probus grammaticus. CAPUT ACRIS EQUI. Phoenices ut primum venerunt in Libyam, elegerunt locum conficiendae urbis, quo effosso, invenerunt caput bovis, quod displicuit; nam bos est animal mansuetum et semper sub iugo. Alio lo-

(1) Notemus Cynthii propositum scribendi ad Georgica quoque commentarium.

co effosso, invenerunt caput equi, non displicuit:
"Bello enim armantur equi, bellum haec armenta sequuntur.
Et tamen iidem olim curru succumbere sueti
Quadripedes, et frena iugo concordia ferre.

ATRIDAS. Hic intellegit Agamemnonem, ac si dixisset v. 458.
Atridem, cui Achilles erat iratus propter restitutam
Astyonomen patri Chrysae sacerdoti Apollinis, et propter raptam Hippodamiam filiam Brisae regis Lyrnessiorum. Agamemnon et Menelaus fuerunt filii Aeropes et Plisthenis. SAEVUS fuerat Achilles Priamo propter cadaver Hectoris ei venditum. Et Achilles interfectus a
Philoctete filio Poeantis, ut inquit Lycophron. PHRY- 468.
GES. Vergilius, ut inquit Servius, quia vult Troianos timidos apparere, nominat Phryges, ut "o vere Phrygiae, neque enim Phryges. Generosos appellat Dardanidas. "Dardanidae magni genus alto sanguine divum„.
Perfidos dicit Laomedontiadas, ut "Laomedontiadae sentis periuria Troiae. Fortes vero Troës, ut: Troës agunt, princeps turmas inducit Asylas. Et etiam Hectoreos, ut
Hectorei socii. TENTORIA RHESI. Rhesus fuit rex Thraciae 469.
filius Iovis affinitate iunctus Priamo. Tamen mercede auxiliares copias ferebat, id est auxilium Troianis. Interfectus fuit a Diomede et Ulixe in primo somno, cognito eius adventu per Dolonem filium Eumeli, et ab eis in-
terfectum. XANTHUMQUE BIBISSENT. Ex oraculo nunciatum 473.
erat, si equi Rhesi bibissent de Xantho fluvio, Troiam forè sempiternam. TROILUS INFELIX PUER. Troilus filius Priami captus est in bello post mortem Hectoris, quem in medium productum *Achilles* strangulari iussit, quasi hostem: cuius interitum tota Troia deflevit, tum quia puer inmaturus bello perierat, tum ob praestantiam

formae, qua erat gratus omnibus popularibus. Alii vo-
lunt servatum ab Achille ob delicias, et in complexibus
v. 479. strangulatum. INTEREA AD TEMPLUM. Quum laboraret Tro-
ia, Helenus vates misit ad Hecubam uxorem Priami, ut
unum ex pulcherrimis peplis offerret Minervae. Hecuba
magna manu matronarum venit ad templum, et peplum
obtulit uxor Antenoris quae sanctissima habebatur, et
quae Theano vocabatur, et soror erat Hecubae uxoris
482. Priami regis. Peplum est vestis. NON AEQUAE PALLADIS.
Quia Troiani cadebant. AVERSA TENEBAT. Quia nolebat
exaudire Pallas. Aversus est ille vel illa quae non
483. vult exaudire. RAPTAVERAT HECTORA. Achilles Hecto-
rem interfecit, quem armis spoliatum et strictis utrin-
487. que pedibus vinculo currui postremo annectit: ex
quo ut descendit, imperat Automedonti aurigae daret
lora equis per quam maxime poterat; pervolat, et undi-
que traxit cadaver hectoreum. PRIAMUM CONSPEXIT. Inter-
fecto Hectore Priamus lugubri veste miserabiliter tectus
vultuque supplici ad Achillem venit, secum habens
Astyanacta filium Hectoris, quem Scamandrum appella-
bant et Laomedonta filium. Sequebantur vehicula auri
et argenti et Andromacha quae parvulos ad pedes Achil-
lis prostravit. Priamus ut venit ad Achillem, dolore in
terram cecidit, quem Phoenix cum Nestore sustulerunt:
sed posteaquam aliquandiu spiritum refovit, utraque
manu caput dilanians, Achillem oravit ut traderet ca-
daver filii, pro quo offert multa pondera auri et argen-
ti, item Polyxenam filiam, cuius amore Achilles arde-
488. bat, qui motus lacrimis Priami et supplicibus precibus
intactam Polyxenam et cadaver Hectoris tradidit Pria-
mo, nullo quidem munere accepto. PERMIXTUM AGNOVIT
SE. Erat et pictura Aeneae in medios hostes irrumpentis

quasi magnanimi viri et fortissimi herois, qui et cum
Diomede certavit, et Protesilaum interfecit. Alii refe-
runt permixtum Achivis ad proditionem; quod non pla-
cet. EOAS ACIES. Id est copiae ex oriente quae venerant v. 489.
cum Memnone filio Titoni et Aurorae qui venerat ma-
gna manu Indorum et Aethiopum ad inferendum auxi-
lium Troianis, quem Achilles iugulavit. A Memnone
Antilochus Nestoris filius interfectus est. Alii volunt
ab Hectore, quod nusquam memini legisse. EOUS mons
est in oriente unde putant solem oriri. AMAZONIDUM. Pen-
thesilea ex Amazonibus auxiliares copias intulerat Tro-
ianis, quam tractam pedibus in Scamandrum fluvium
proiecit Diomedes. Amazonides sunt in Themiscyraeo
campo supra Cappadociam ad Thermodontem fluvium.
Sine viris magnae parti Asiae regnarunt et Europae.
PELTIS LUNATIS. Pelta scutum est rotundum instar lu- 490.
nae. Silius noster: "thermodontiaca lunata per agmi-
na pelta,,. EXERTAE. Nudatae, unde legimus exertos Ce- 492.
thegos. OBTUTU. Id est visu. EUROTA. Fluvius est sub 496.
Taigeto monte Laconiae. PER IUGA CYNTHI. Cynthus 498.
mons est Deli, ubi ferunt natam Dianam Latonae et
Iovis filiam. Dicitur quidem a Cynthio socio Aeneae.
OREADES dicuntur nymphae montium. Ὄρος enim mon- 500.
tem significat, unde Orestes. Dryades sunt silvarum;
Amadryades sunt quae cum silvis nascuntur; Napaeae
et Naiades sunt fontium; Nereides vero maris. TALIS 503.
ERAT DIDO. Non stricta est comparatio quod Dido esset
venatrix, sed de venustate formae quae certare poterat
cum Diana. IURA LEGES. Ius nomen est generale, lex iu- 507.
ris species, ut inquit Servius. ILIONEUS. Filius Phorbantis 521.
filii Priami, quem rex genuit natus ·XV· annum, et
interfectus fuit a Menelao in bello Troiano. Quia Mer-

curium semper habebat fautorem, Vergilius dedit ei
orationem. Ilioneus in hoc exordio cupiens impetrare
quod desiderabat, benivolentiam captavit a persona au-
ditoris,appellatione reginae iustissimae: demum a persona
sua, commemorando incommoda et damna quae fecerant
Troiani. Troës enim miseri ventis maria omnia vecti.
Quattuor enim modis captamus benevolentiam, a per-
sona nostra, ab auditoris persona, ab adversariorum, et
v. 529. a rebus ipsis. NON EA VIS ANIMO. Argumentum ab impos-
sibili hoc est. Etsi vellemus libycos populare Penates,
profecto non possemus, ut alibi " quid Troës potuere?
530. HESPERIAM. Id est Italiam, de qua supra nos diximus
quater appellata sit Hesperia, Oenotria, Latium, et Ita-
531. lia. UBERE GLEBA. Hoc est agrorum fertilitate. Nam Italia
est fertilissima, unde maiores nostri Saturniam appel-
larunt, quoniam Saturnus putatur largitor omnium
bonorum, et huic Deo pingnia et fertilia arva dicata
sunt. Saturnus et alio vocabulo dicitur Stercutius a
535. stercorandis agris. ORION. Oenopionis filius putatur na-
tus ex urina trium Deorum, qui cum in Messeniam ve-
nisset, et in Boeotiam descendisset, sagittis Dianae, ut
alii volunt immisso scorpione, interfectus est, qui inter
astra relatus fuit. Eius ortus nimbos et pluvias inducit.
Varro ait huius signum caput habere ex ·IIII· stellis.
536. PROCACIBUS AUSTRIS. Hoc est petentibus ventis. Procare
enim est petere. Unde meretrices procaces dicuntur, et
543. amatores proci. SPERATE. Hoc in loco timere. Alibi: hunc
ego si potui tantum sperare dolorem. FANDI ATQUE NE-
FANDI. Hoc est iusti et iniusti. Iustitia, unicuique red-
dere quod suum est; iustitium vero est vacatio iuris,
544. quod non fit nisi adversis temporibus. REX ERAT AE-
NEAS. Rex erat Aeneas nobis, o regina, qui et ar-

morum peritia et rei militaris scientia cum quovis cer-
tare potuisset, qui sibi vel parem vel secundum in-
venisset neminem. Si adhuc vivit et est inter homi-
nes, facile potes tibi persuadere, non collocaveris
beneficium apud viros ingratos; nec tibi parum vi-
deatur officio certasse priorem. Oramus igitur Troës
te miseri ne hospitio littoris Troianos naufragos prohi-
beas, et liceat naves nostras a ventis fractas trabibus
coniungere et stringere remos, ut petamus Latium a fa-
tis nobis concessum. Et si forte fortuna Aeneas qui est
salus Troianorum, in mari ceciderit, redibimus in
Siciliam unde huc sumus advecti, regemque petemus
Acestem. His dictis cuncti Troiani qui aderant con-
sensere verbis Ilionei. Rex est ille qui potest omnia im-
pune facere et regia maiestas apud veteres maior erat
quam imperatoria. OFFICIO. Id est beneficio. Officium v. 545.
enim est actus virtutis, et dicitur ab officio quod no-
cere significat. PAENITEAT. Hoc est parum videatur, ut 549.
inquit Servius. ARMAQUE. Legendum est arva et non ar- 550.
ma. TROIANO SANGUINE CLARUS ACESTES. Neptunus iratus
Troianis propter promissam murorum mercedem a Lao-
medonte denegatam, immisit monstrum marinum, quod
humanum sanguinem sibi poscebat. Hippotes quidam
nobilis troianus cum unica filia Egista quam alii Se-
gestam dicunt, aufugit et in Siciliam navigavit. Haec
nupta est Criniso, qui demutatus est in fluvium sui
nominis; peperit Acestem, qui in Sicilia regnavit, un-
de populi Acestani. SUBDUCERE. Id est in terram tra- 551.
here; deducere autem est in mare mittere, ut: dedu-
cunt naves socii. APTARE. Aptare apud antiquos signi- 552.
ficabat coniungere, unde aptus, a, um, coniunctus. ET
STRINGERE REMOS. Stringere id est defrondare, ut in-

quit Servius, ut agricolae stringunt frondes; vel strin-
v. 554. gere, hoc est ligare. LATIUM a Tiberi usque ad Cir-
555. ceios fuit. ABSUMTA SALUS. Id est si periit Aeneas om-
nis salus Troianorum. SIN pro si, et utrumque poni-
557. tur in principio orationis. FRETA. Fretum est fer-
558. vor maris. CUNCTI. Quasi coniuncti. ORE FREMEBANT.
Bene adiunxit ore, ut inquit Servius, quoniam et ar-
561. mis possumus fremere. TUM BREVITER DIDO. Dido in hac
responsione captavit benivolentiam ab auditoribus, quae
partim obiecta purgavit, partim petita promisit. BRE-
VITER. Dicimus iste breviter locutus est, et non bre-
vibus verbis: nam verba non possunt esse brevia. Ve-
565. rum latine dicitur habuit brevem orationem. QUIS GE-
NUS. Quis et quid numquam ponuntur relative, sed
566. interrogative. VIRTUTES ET VIRES, hoc est virtutem vi-
rorum troianorum. Virtuosus ,a,um, non invenitur.
568. AVERSUS EQUOS. Alii sic exponunt: nos non sumus sce-
lerati, ut sol avertat cursum de urbe nostra, quem-
admodum avertit a Myceuis propter inhumanitatem
Thyestis et Atrei, qui suos filios epulandos patri ap-
posuit. Thyestes enim cum uxore fratris Atrei concu-
buerat. Ego sic sentio, quod Virgilius dicat reginam
non esse in tam remotissima parte orbis terrarum, ut
non audiverit bellum troianum. EQUOS. Quatuor sunt
solis equi, quorum haec sunt nomina, Eous, Pyroëis,
569. Aethon, quartus est Phlegon. HESPERIAM MAGNAM. Dio-
nysius sic ait: ante Herculis adventum Graii Hespe-
riam dicebant, incolae Saturniam. Eratosthenes scri-
bit Hesperiam ab eo appellatam quod sit in occiden-
tis parte. Hesperiam appellant a stella, quae in sero
solem sequitur. Diodorus sic ait: Hesperium ascendis-
se montem Atlantis, et nusquam amplius visum, a quo

nonnulli dicunt Hesperiam esse cognominatam, quod
non placet. SATURNIA. Id est pinguia. Nam ridiculum
est quod Saturnus venerit in Italiam. ERYCIS FINES. v. 570.
Eryx filius fuit Veneris et Butae: urbem condidit in
monte cui nomen erat suum. In arce condidit tem-
plum Veneri genitrici, ad quod venerunt omnes he-
roës et nationes orbis, aut tulerunt aut miserunt dona.
DISCRIMEN. Tria significat, periculum, differentiam, et 574.
capitis lineam in media fronte deglabratam. Deglabra-
re enim est depilare. Martialis: ne tibi glabrarit. IAM- 580.
DUDUM. Id est cito. COMPELLAT, vocat. Compello, as, idem 581.
est quod voco. Compello, is, idem est quod urgeo. UNUS 584.
ABEST. Hoc est navis Orontis. CAESARIEM. Caesaries est 590.
virorum dicta a cadendo; coma vero mulierum. IUVENTAE.
Iuventa est aetas ipsa, iuventus est iuvenum multitudo.
Iuventas, ut inquit Servius, est Dea. Sed Inventas non
invenitur. PARIUS LAPIS candidissimus erat, nomine lyg- 593.
dius, apud Paron effodiebatur. Lapis a laedendo dictus.
CORAM. Adverbium est, et dicimus scribo apud princi- 595.
pem, et salto coram principe. ADSUM. Id est prope sum,
et non praesens. Cicero in officiis: ad id quod adest
quodque praesens est. MISERATA. Misereor reris, vult 997.
post se casum gignendi, ut miseret laborum tantorum,
et casum dandi: miseror raris, quod flere et lamenta-
re significat, post se casum accusandi; ut, nec mi-
seratus amantem. URBE DOMO. Publico et privato hospi- 600.
tio. GRATES DIGNAS. Hoc est dignam gratiam referre. Di-
cimus enim refero gratiam in numero unius, et hoc
est rebus ipsis. Ago gratias dicimus in numero mul-
titudinis, et hoc fit verbis, ut Cicero: cui a me senatus
agendas gratias putavit, cur a me referendam gratiam
non putem? Habeo gratias et gratiam dicimus. MAGNUM- 602.

QUE SPARSI PER ORBEM. Multi Troiani post captum Ilium diversa loca petiverunt. Helenus vates Epirum, Antenor Henetiam, alii Sardiniam, ut Crispus testatur; nonnulli loca vicina Syrtibus, ut inquit Lucanus, "portusque quietos - Libyae phrygio placuisse magi-
v. 613. stro. OBSTUPUIT. Legendum est obstipuit, et non obstupuit. SIDONIA DIDO. Hoc est tyria. Sidon urbs est
* Ita cod. in Tyro * appellata a pisci. Eadem dicta est Sarra. Nam Syri sar appellant piscem ex cuius sanguine purpu-
616. ra tingebatur, unde sarranae vestes. IMMANIBUS. Immanis significat aliquando magnum, ut immania saxa, et crudelem Melton. Antiqui meliorem dicebant, et propter bonitatem appellarunt mane. Inferi Di manes dicuntur, quod bono essent, ut inquit Pompeius. Marcellus vero inquit manes esse appellatos a sensu
619. contrario. TEUCRUM MEMINI. Capto Ilio certamen fuit inter Aiacem et Ulixem de Palladio Minervae, et non de armis Achillis. Graeci Ulixi Palladium tradiderunt. Aiax aegre ferens ac furiis agitatus ferro se interfecit. Teucer propter fratris Aiacis caedem pulsus patria a parente Telamone, primum navigavit in Cyprum, ubi Salaminam urbem condidit. Illinc eiectus est ab incolis Cypriis, et venit in Hispaniam, ubi condidit Carthaginem novam. Tres enim fuerunt Carthagines. GE-
621. NITOR BELUS. Iuppiter genuit Epaphum, Epaphus Belum, Belus Abantem, Abas Agenorem et Phoenicem qui nomen dedit genti. E Phoenice ad Belum quattuor aetates connumerantur. Ex hoc Belo, cui fuit cognomentum Methres, nati sunt Dido et Pigmalion. Diodorus ait: Carchedon fuit Didus. Belus hoc in loco non intelligo pro Belo nomine proprio, sed nomen dignitatis. Nam reges Assyriorum fuerunt appellati Beli,

a prisco Belo, et Caesares a Iulio Caesare, et reges Aegypti Ptolemaei a Ptolemaeo, Cecropidae Atheniensium a Cecrope, Persarum reges Arsacidae ab Arsace. PELASGI. Dicuntur Graeci a Pelasgo filio Neptuni. v. 624.
ORTUM. Ortus et oriundus sic differunt: ortus sum Ro- 626.
mae, oriundus a Roma. Livius "nati Carthagine, sed Syracusis oriundi,,. DISCO, edisco, dedisco sic differunt: 630.
disco est intellego, edisco est memoriae mando. Quintilianus ait: quae scripserunt ediscunt. Dedisco est mandare oblivioni. MUNERA. Munus et donum sic differunt: 636.
Ulpianus inquit donum esse genus, munus speciem. Marcellus a contrario exposuit. LAETITIAMQUE DEI. Legendum est Dii non Dei. Rufus Apronianus ait scribendum Dei, et intelligit Bacchum ea ratione, quoniam Vergilius dixit: adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno. Asper dicit esse legendum die pro diei, quoniam vinum est laetitia diei. Gellius noctium Atticarum deridet omnes et ostendit esse dicendum Dii, quoniam talia nomina apud antiquos habebant genitivum per duplex ii ut pernicies pernicii, facies facii. M. Tullius pro Q. Roscio sic ait "pernicii caussa,, et non pernicici. Haec nomina faciebant genitivum in e, ut genitivo huius die, dativo huic die. Apud Sallustium et Sisennam invenitur die in dativo. Faciebant et genitivum in ies, huius dies. Vergilius "libra dies somnique pares,,. Faciebat et haec, dies huius dii, ut in hoc loco. SERIES LONGISSIMA. Hoc est continuata pro- 641.
gressio rerum. Series enim est quaedam rerum progressio, ut series orationis. Quintilianus "in contextu serieque orationis contigit,,. Ordo est in suo loco cuiusque rei collocatio. PALLAM. Hoc est vestem, unde 648.
pallium: et nomen est graecum a πάλλειν quod est

v. 649. concutio. CIRCUMTEXTUM, inquit Varro, genus est vestis.
CROCEO ACHANTO. Servius sic exposuit: achantus est genus virgulti flexuosi, in cuius similitudinem arte vestes ornantur. Cuius sententiam non probò. Nam Plinius lib. ·XXIIII· sic loquitur "albae spinae similis est quam Graeci vocant ἀκάνθιον, minoribus multo foliis et aculeatis, tenuissima lanugine, qua lanugine collecta fiebant vestes bombycini similes in oriente „.
651. Placet intellegas velamen factum non ad similitudinem
achanti, ut inquit ille, sed ex lanugine. HYMENAEOS. Hymen apud Graecos Deus est nuptiarum. Talassus Ta-
653. lasio, sive Tallasius apud Romanos. ILIONE. Filia fuit
654. Priami nupta Polymnestori. MONILE, colli ornamen-
655. tum quod segmentum dicunt. BACCATUM. Hoc est gemmatum. Baccae enim sunt fructus arborum, qui dispersius nascuntur et rarius. Acini sunt fructus arborum, qui densius nascuntur, ut corymbi hederae. CORONAM. Corona cum videatur a choro dici, caret h, ut inquit Pompeius. Sive choronae dictum quod cohonorent
657. cos quibus imponuntur. CYTHEREA. Cytherea dicta est Venus ab urbe Cythera, in quam concha vecta est quum mari esset concepta ex spuma virilium Saturni. CUPIDO. Ut inquit Cicero Martis fuit filius et Veneris. Hunc poëtae amoris Deum esse volunt. Apuleius describit Cupidinem nudum, arcum et pharetram gestantem, alatum aureis pennis, et vitta oculos ligatum, comatum, ac pulcherrima forma. Ausonius casu Cupidinem evolasse inter myrteta Erebi, circumventumque ab illustribus mulieribus quae aliquando ab eo vexatae fuerant, cum diu se defendisset, tamen captus est et in excelsam myrtum circumfixus. Tres fuerunt cupidines, ut inquit Silius, et Papinius confirmat in epithala-

mio Stellae poëtae patavini, ubi inquit agmen amorum. MUTATUS FACIEM. Facies et vultus differunt; facies magis ad corpus, vultus ad animum refertur, atque voluntatem immo ostendit. Nam volo habet supinum vultum, unde dicimus irato et moestu vultu potius quam facie, et contra longa aut lata facie et non vultu. v. 658.
TYRIOS BILINGUES. Hoc est fallaces et periuros. Martialis: qui periuria barbari furoris Arpis cedere non sinis disertis (1). TYPHOEIA. Non intellegit poëta fulmina quibus usus est Iuppiter in Typhoeum gigantem, sed typhoea hoc est acthnea. Nam Typhoeus sepultus est sub Acthna monte Siciliae, et in cavernis Acthnae fiebant fulmina Iovis. Sappho ad Phaonem: arma Phaon celebrat. MECUM. Hoc est venereo officio, ut inquit Servius. QUO. Legendum est qua et non quo, et sensus est: audi mentem meam, qua id facere possis. SIDONIAM URBEM. Hoc est Carthaginem, quam condidit Dido Sidonia profecta. CYTHERA. Est mons numero plurali declinatum. IDALIUM. Oppidum antiquissimum Cypri, in quo Venus est, et lucus sacratus Veneri. NEQUA SCIRE DOLOS. Servius ait: qua vacat; quod non est verum. Nam inquit Venus: ego recondam Ascanium super Idalium in luco meo, nequa scilicet via possit scire dolos meos, et medius possit occurrere nobis. MEDIUS exposuit Servius importunus. NOTOS vultus alii referunt ad imaginem et faciem Ascanii, quod non vitupero, immo placet. Sed nos servantes vim et elegantiam vocabuli, accipe vultum et voluntatem pueri, et sensus erit poëtae ut non modo Cupido faciem et ora

(Margin: 661. 665. 675. 677. 680. 681. 682. 684.)

(1) Confer Mart. VI. 19. 6. cum IV. 55. 3.

Ascanii induat, verum accipiat *idoneos* ad voluntatem.
v. 686. INTER REGALES MENSAS. Seneca sic ait: vis magna mentis
atque animi calor et amor gignitur luxu, et otio nutri-
693. tur inter laeta fortunae bona. AMARACUS. Filius fuit Ci-
nyrae mutatus in florem sui nominis. Plinius hunc flo-
rem etiam sansucum appellat. MOLLIS. Non refertur ad
id quod fuerit unguentarius sive ad mollitiem, verum
697. ad praestantiam floris. AULAEA. Aulaea sunt ornamen-
ta aularum, dicta aulaea quod primum inventa sint
701. in aula Attali regis Asiae. CEREREM, panes. Ceres a crean-
702. do dicta est. MANTILIA. Mantelia legendum est, quasi
manutelum, ut inquit Varro, ubi manus terguntur.
704. PENUM. Dicitur hoc penus penoris, hic et haec penus
penoris, hoc penum peni, hoc penu penu, et sunt
omnia cibaria quae reponuntur ad annuos usus. Locus
in quo reponuntur dicitur cella penaria, ut inquit
Festus. Custos vero, cellarius. Aliquando accipitur pro
loco. STRUERE. Ordinare, unde structores, ferculorum com-
positores. Iuvenalis: structore macello. ADOLERE PENATES.
Id est augere et crescere. Sensus est, crescunt in pe-
701. natibus. POCULA PONANT. Hoc est vina propinent. Propinare
enim est vina administrare. Martialis: nulli calicem
tuum propinas. Et aemulatio est Valerii sic inquientis:

Stant gemmis auroque tori mensaeque paratu
Regifico.
Pars manibus lymphas pars aurea pocula gestant.

712. PESTI FUTURAE. Hoc est morti: nam ferro incubuit. Lu-
es et pestis differunt: lues est quum in agro sive
in urbe febres aliudve genus morbi est inter homi-
nes sive sola pecora, aut inter utrumque; pestis ve-
ro est quae cito cecidit aut cito abit ab eo quem in-
713. vasit. ARDETQUE TUENDO. Hoc est dum intuetur. Gerun-

dia sociata cum substantivis passionem significant, ut cantando rumpitur anguis. Et apud ·M· Fabium, memoria excolendo, id est dum excolitur. Disiuncta vero active ponuntur, nonnumquam passive: et gerundia non solum habent casum gignendi, dandi, et auferendi, sed secundum peritiores alios habent casus: nec carent recto, ut est apud Vergilium nostrum: volvenda dies attulit ultro. ACIDALIAE. Acidalius fons est v. 720.
Boeotiae apud oppidum Orchomenon, unde Miniae populi fuerunt oriundi. Is fons dicatus est Veneri, a quo dicitur Acidalia. Alii derivant a verbo graeco quia icit curas, quas ipsi ἀκίδας dicunt. VINA CORONANT. Hoc 724.
est implent pocula vino. ATRIA. Genus est aedificii an- 726.
te aedem, mediam continens aream; vel a terra dicta quasi a terminis, vel ut Varro ait ab Atriatibus populis Etruriae; illinc enim sumptum est exemplum: et tria sunt genera atriorum, ut inquit Vitruvius lib. ·VI· LYCHNI. Lychnus funalia significat, et scribitur per y et c aspiratum. Papinius: accensis tendunt auratis vincula lychnis. NOCTEM VINCUNT. Silius noster sic locutus est: erumpunt flammae noctem strepitumque moventum. Murmurat alta domus. Papinius: ast alii tenebras et optatam vincere noctem. MERO. Merum vi- 729.
num est purum, unde merula dicta est, quae mera hoc est sola volat. BELUS. Hoc in loco nomen est proprium illius qui fuit rex Assyriorum; superius est nomen dignitatis. IUPPITER. Iovem invocat regina ad haec hospi- 731.
tia quae prospera sint et felicia. Nam supplicio affecit Lycaonem et in lupum convertit propter violata iura hospitii. Haec est fabula apud Ovidium. IMMENSUM. In mensa legendum est, et non immensum. Nam antiqui mensas habebant in quibus sacrificabant. TENUS

praepositio, si iungitur numero singulari, admittit casum auferendi, ut hoc in loco; si vero plurali, admittit genitivum, ut crurum tenus. BITIAE. Bitias sacerdos fuit Veneris, qui se comitem dedit reginae, et cum illa venit in Africam, ut Livius testatur. De hoc quod regina dederit pateram Bitiae sacerdoti, noster Martialis:

Hac propinavit Bitiae pulcherrima Dido
In patera, phrygio cum data caena viro.

v. 740. PROCERES. Dicuntur principes civitatis, ut inquit Varro. HIOPAS. Timagenes sic ait: Hiopas ille Vergilii nonne canit errantem lunam et solis labores? CITHARA AURATA. Moris erat apud antiquos inter regalia convivia admittere citharoedos, qui ad citharam canebant laudes heroum atque Deorum. Teuthras apud Silium nostrum decantavit convivia Hannibalis ad Capuam. Dicimus pulso citharam, et sono cithara casu auferendi. ATLAS. physicus fuit qui habebat cognitionem astrorum. Herculem docuit astrologiam, unde dicitur ab Atlante susceptum caelum sustinuisse. Ennius appellat Atlantem Tela-
741. 742. monem. LABORES SOLIS. Hoc est eclipsim. UNDE GENUS HOMINUM ET PECUDES. Quinque sunt principia generationis; spiritus, ignis, siccum, humidum, et aether. Spiritus verbi interpretatione appellatur communis omnium parens. Ignis est Vulcanus. Siccum terra interpretatur, et est tamquam domicilium in quo omnia fiant. Humidum interpretatur oceanus, qui terram fovet. Eum Homerus appellat genitorem omnium. Aërem aliqui putaverunt Palladem; et semper virginem, quia quae in aëre sunt, numquam corrumpuntur: ideo Pallas et virgo: et cum aër sit summus, ideo finxerunt Palladem natam ex vertice Iovis, et propter tria tempora anni,

aestatem, ver, et hiemem, appellant tergeminam. IMBER generatur ex siccâ nube; iguis generatur ex motu. ARCTURUM. Stella est quae alio vocabulo dicitur Bootes: v. 743.
Filius fuit Iovis: custos est plaustri. Plaustrum enim figuratum est in caelo ex septem stellis. PLUVIASQUE HYADAS. Hyades sunt ·VII· stellae collocatae in effigie tauri, dictae vel ab Hysa matre, vel ab Hya fratre, vel a verbo graeco ὑετός quod significat pluviam. Hae ex oriente pluvias inducunt et afferunt. Appellantur et a patre Atlantides, et a matre Pleione oceani filia Pleiades. Latini appellant eas suculas, a suibus, quia sues luto delectantur, quod fit ex aqua. Mox appellaverunt Vergilias, quia cum vere exoriuntur. GEMINOS TRIONES. 744.
Hoc est ursam maiorem et minorem, quasi teriones. Boves enim plaustris terunt terram. SOLES. Dicuntur 745.
dies qui fiunt ex luce solis. OCEANO. Nam alibi, ruit oceano nox. TARDIS NOCTIBUS. Hoc est longis et hiemali- 746.
bus. INGEMINANT PLAUSU. Et non plausum: geminabant 747.
enim Carthaginienses vocem plausu. SUPER, id est de 750.
Priamo. AURORAE FILIUS. Hoc est Memnon filius Auro- 751.
rae, qui maxima manu Indorum et Aethiopum intulerat auxiliares copias Troianis. In bello Antilochum Nestoris filium interfecit. Ab Achille nudatus scuto, iugulum Memnonis transfigitur, ut ait Dictys cretensis. QUIBUS ARMIS. Id est quo genere armorum. Nam Aethiopes aliis armis utebantur et variis, quam ipsi Troiani. Nam quaeque nationes suis moribus militant. Alii referunt ad id, quia Vulcani armis usus fuisse narratur. NUNC QUALES DIOMEDIS EQUI. Intellegit de equis 752.
Rhesi qui originem ducebant ab equis Diomedis regis Thraciae, quibus humanas carnes praebebant. QUANTUS ACHILLES. Achilles interfectus fuit in templo Apol-

linis thymbraei a Paride: ut Lycophron voluit, a Phi-
v. 753. loctete filio Paeantis. IMMO AGE. Vidit Dido specialia ci-
to posse finiri; ideo se contulit ad generalitatem, ut
inquit Servius. A PRIMA ORIGINE. Id est a primo ovo et
755. raptu Helenae. SEPTIMA AESTAS. Septimus annus. Sic Ovi-
dius: septima iactat hiems. Antiqui numerabant an-
nos per tempora annorum: Graeci per olympiadas:
Romani per consules. Quot vero annis erraverit Ae-
neas antequam veniret in Laurentum, satis superque
diximus ex auctoritate Varronis et Dionysii.

Finis libri primi.

LIBRI SECUNDI INITIUM PER EUNDEM.

v. 2. ORSUS. Metaphora est a textoribus qui priusquam
telam componant, ordiuntur. Silius Italicus: ordior
arma quibus caelo se gloria tollit Aeneadum. INFAN-
3. DUM, hoc est lacrimabile. OPES TROIANAS. Horatius: pin-
4. gues Phrygiae et Myrmidonum opes. Nam Asiani
5. erant ditissimi. MISERRIMA VIDI. Paulo post: quid in ever-
6. sa vidi crudelius urbe. PARS MAGNA. Propter Creu-
7. sam filiam Priami coniugem amissam. MYRMIDONUM. Ae-
gina insula est contra Atticam, in qua regnavit Aea-
cus Iovis filius. Omnes ab eo posteri Aeginenses alio
vocabulo Myrmidones appellati militarunt sub Aia-
ce Telamonio. Myrmidones appellantur, quia Aea-
cus quom peste nimia laborasset, rogavit Iovem pa-
trem ut novos colonos daret. Forte quom rogabat
erat ante concavam arborem. Iuppiter motus preci-

cibus filii formicas in homines mutavit. Graeci formicas μυρμῆκας appellant, unde Myrmidones, de qua re Ovidius in magno volumine meminit. Strabo putat esse appellatos Myrmidones, quia propter loci sterilitatem incolae fodiunt terram more formicarum. Nam terra nisi sit effossa, non potest praebere alimenta mortalibus. Fratosthenes dictos putat a rege Myrmidone. MILES. Asinius Pollio intelligit Achemenidem, de quo inferius, qui erat socius Ulixi, quemadmodum Achates Aeneae. Sensus est: talia sine lacrimis a quovis hostium narrari non possent. CADENTIA SIDERA. Servius inquit, quia oriuntur et occidunt: sed cadentia propter
exorientem diem caelum destituentia. LUCTU. Luctus est v. 9.
dolor qui proditur vultu atque aspectu. Saepe luctus est vultus atque habitus. Nam secundo bello punico post Cannensem cladem patres censuerunt ut feminae ultra triginta dies in luctu essent hoc est in habitu lu-
gubri et non dolore. FRACTI BELLO. Graeci quom non po- 13.
tuissent virtute et rei militaris scientia superare Troianos, dolo ac proditione vicerunt. Equus ligneus, ut voluit Dares phrygius, apud Pyrrhum detinebatur. Vaticinante Heleno filio Priami fabricatus est. Dux fuit ad deducendam materiam Aiax Oileus, architectus Epeus. Decem legati missi Troiam simulantes petere pacem: Diomedes, Ulixes, Idomeneus, Aiax Telamonius, Nestor, Meriones, Thoas, Philoctetes, Pyrrhus, atque Eumelus, consciis quidem Antenore et Aenea. INSTAR MONTIS. Non ad similitudinem montis; nullam enim similitudinem cum monte habet equus; sed instar montis ad aequiperationem et mensuram montis. Probus inquit declinari hoc instar, inis. Nullam admittit praepositionem.
Cicero "hexametrorum instar versuum ,,. TENEDOS. Te- 21.

nedos insula est prope Sigeum. Huc Tenus quidam se contulit filius Cycni fugiens iram novercalem. Cicero "Tenum quemdam a quo Tenedos nominatur,,. Ante bellum troiauum insula erat ditissima : facta est praeda Achilli; tunc desertissima facta est ubi piratae et latrones habitabant: ideo dixit poëta "statio male fida carinis,,. Tenedii templum instauraverunt, et instituerunt ne nomen Achillis nunciaretur, ad quod
v. 27. tibicen non intrabat. DORICA CASTRA. Castra Graecorum :
30. Dores enim sunt appellati a Dore filio Neptuni. HIC
32. ACIES. Legendum est acie et non acies. PRIMUS THYMOETES.
Thymoetes laesus erat a Priamo. Priamus enim cogebatur a vulgo interficere filium nasciturum, qui erat Paris excidium urbis. Eadem nocte peperit uxor Thymoetae qua Hecuba uxor Priami. Priamus infantem Thymoetae adductum in medium iugulari facit, ut alii
33. volunt et uxorem. ARCE LOCARI. Hoc est in templo Pal-
35. ladis quod erat in arce troiana. CAPYS. Non fuit pater
41. Anchisae, sed alter. LAOCOON filius fuit Priami, sacer-
44. dos Neptuni, Apollinis, et Palladis. SIC NOTUS ULIXES ?
Nam referente Homero ingressus est Troiam sub ha-
54. bitu mendici. LAEVA. Hoc est contraria. ECCE MANUS IUVE-
55. NEM. Antolycus filius Mercurii omnium latronum solertissimus habitus est, de quo Martialis: non fuit Autolyci tam piperata manus. Duos filios habuit Sino-
* *Anticliam.* nem et Autoliam *, quae nupta Laërti peperit Ulixem. Sinonis filius fuit Sissimus: alii pronunciant Sissyphus. Sissimi filius fuit Sinon, de quo nunc loquitur Vergilius: is duci voluit ad Troiam, cui mandatum erat
60. a Pelasgis ut dolo Troianos everteret. STRUERET HOC IPSUM.
62. Id est periuria confirmaret, et dolos fallaces. VERSARE DOLO. Hoc est fraude urbem Troiam evertere. CERTE

MORTI. Alii dicunt certe esse nomen. Apronianus negat et vult esse adverbium, quod magis placet. NEU v. 69.
QUAE ME TELLUS INQUIT. Quintilianus dicit quod hic affectus movet memoriam, et allegat hunc locum. POENAS 72.
CUM SANGUINE, hoc est tormenta cum morte, ut inquit Servius. VANUM MENDACEMQUE. Vanus qui sine utilitate 80.
mentitur, mendax ad decipiendum. Hoc Servius. FAN- 81.
DO ALIQUID. Sinon cui mandatum erat a Graecis ut Troianos dolo everteret, bona utitur arte mendacii, et vera praemittit, postea falsa adiungit. Quod de Palamede narrat insidiis Ulixi interfecto, verum est; quod de se subiungit, falsum. BELIDAE PALAMEDIS. Palamedes, 82.
ut Apollonius scribit, septimo gradu a Belo distabat: cuius genalogia talis est. Inachus filius oceani et terrae fuit rex Argivorum. Inachi Io filia, Ius Epaphus, Epaphi et Nilotidis nymphae Belus, Beli Danaus qui quinquaginta filias suscepit, inter quas Amymonem, Amymones et Neptuni Nauplius, Nauplii et Clymenes Palamedes, qui iure affinitatis Agamemnonem adiuvit in bello Troiano. Legatus cum Ulixe et Menelao profectus est ad Priamum: erat enim in sermone facilis et iucundus: Graecis omnibus adeo gratus, ut saepe cogitassent non Agamemnonem sed Palamedem praeficere. Ea res integerrimo viro odium peperit. Diomedes et Ulixes consilium ineunt interficendi Palamedis, conscio et participe Agamemnone. Finxit Ulixes thesaurum in puteo invenisse, et velle eum amico partiri: Palamedes nihil metuens in puteum descendit, ubi interiit. Iusta celebrata sunt illi tamen summa pompa. Cadaver combustum et in vasculo aureo positum duces ad patrem miserunt. Dares phrygius inquit, Palamedem interfectum a Paride sagitta venenata in ul-

tionem Deiphobi fratris, qui ab eo fuerat interfectus. Servius ariolatur fuisse obrutum lapidibus a Graecis sub falsa proditione. Placet prima sententia. Cornelius ait Palamedem invenisse ·XVI· figuras litterarum. Servius nominat CH cum H fuisse inventas a Palamede. Varro ait fabulam inventam ad comprimendas exercitus seditiones. Forma fuit pulcherrimus, ut inquit Dares, longus et gracilis, animosus ad proelia,
v. 83. urbanus, liberalis atque munificus. SUB FALSA PRODITIONE.
84. Quia falso prodiderunt Palamedem. INFANDO INDICIO. Quia
85. non debuissent eum indicare ad mortem. NECI. Morti, et declinatur haec nex necis, ut est apud Ausonium.
88. REGNO INCOLUMIS. Nam et ipse unus ex regibus fuit, ut inquit Dares, et Servius commemorat. REGNUMQUE VIGEBAT CONSILIIS. Legendum est regum et non regnum, et sic est sensus : dum Palamedes stabat incolumis regno, et dum vigebat consiliis regum : nam multi ex regulis ad eius consilium accedebant, teste Dicte cre-
90. tensi. PELLACIS ULIXI. Hoc est fallacis ; nam pellax est ille qui blanditiis decipit : inde pellices. Ulixes filius Laërtis et Autoliae astutus fuit et dolosus mendaciorum inventor, urbanus in sermone, sed tanta leporis facundia praeditus fuit, ut neminem sibi parem ha-
97. beret in compositione sermonis. LABES. Ruina a laben-
100. do. CALCHANTE MINISTRO. Semiplena oratio est ut cogat saepe interrogare Troianos, et cum maiori desiderio audire : et sensus est, donec Calchas me destinet arae. Calchas fuit filius Thestoris et sacerdos natione acarnan, vaticinatorque fuit in exercitu Graecorum cum Mopso tempore belli troiani. Capto Ilio Colophonem perrexit, ubi cum Mopso de numero porcorum certavit. Sophocles ait in Sicilia periisse. Sunt nonnulli qui volunt

Calchantem fuisse filium Nestoris. INGRATA. Non vobis v. 101.
placitura, nec gratiam mihi conciliatura. UNO ORDINE. 102.
Hoc est uno reatu et odio. AUDIRE. Pro audivisse. MER- 103.
CENTUR. Artificiose loquitur: vult enim impetrare vitam, 104.
aiens mortem suam hostibus esse placituram, et ideo dixit, mercentur, hoc est ement. Quia lex sacrorum erat quotiescumque victima fugisset, ubicumque inventa occideretur, ne piaculum commissum esset. Ergo Sinon qui victima fuerat, et iure et votis et praemio Graecorum interimitur. ARDEMUS SCITARI. Festina- 105.
mus scire et causas inquirere, cur a Graecis tantopere eius mors optaretur. EQUUS CONTEXTUS TRABIBUS ACERNIS. 112.
Factus ex acere arbore. Superius dixit ex abiete. Dares phrygius asseruit ex aere fabricatum. EURYPILUM. Tres 114.
fuerunt Eurypili in exercitu Graecorum. Eurypilus filius Evomeuis, Eurypilus filius Menesthei, Eurypilus filius Telephi. Hic intelligit de filio Evomenis: quamvis alii intelligant de filio Telephi. ADYTIS. Adytum locus est in templo, ad quem nemini licet accedere, nisi aedituo id est custodi aedis. VIRGINE CAESA. Dum classis 116.
graeca in Aulide conveniebat, Agamemnon improvidus capream interemit dicatam Dianae. Numen ideo iratum sanguine filiae placari poposcit. Ulixes simulans sponsatam Achilli a matre Clytemnestra, accepit et ducit ante aras. Achilles et alii qui sacrificio praeerant virginem commendant regi Scytharum qui forte tunc aderat, et Dianae Tauricae hoc est Scythicae sacerdos profertur. Longo post tempore Orestes filius cum Pylade illuc profectus est, et simulacrum Dianae arripuit, quod una cum sorore in Italiam tulit ad Rheginos populos, templum illi erexit cum titulo Dianae Phascelitis sive Phascelinae, quia simulachrum eius avectum

fuerat in fasce: ut alii volunt a facibus. Lucilius lib. satyrarum ·III· "rhegina videbis - moenia, tum Liparas Phaselinae templa Dianae". De ritu sacrificiorum alias dicam, quae humano sanguine fiebant. Herodotus putat Iphigeniam alio vocabulo dictum Iphia-
v. 119. nassam, quod Lucretius probat. QUAE VOX. Idest quod
123. oraculum. QUAE NUMINA DIVUM. Id est quod imperium.

Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianasseo turparunt sanguine foede
Ductores Danaum

Agamemnon tris habuit filias, Homero referente, Chrysotomin, Laodicem et Iphianassam, quae eadem dicta est Iphigenia, licet nonnulli aliam putaverint. Ovidius in Heroidibus: ex agamemnoniis una puella tribus. Plerique addunt Electram. Mortuo Oreste, eius ossa delata sunt Romam ex Aricia, condita ante aedem Saturni, quod est ante clivum Capitolinum iuxta templum Concordiae, ut inquit Servius, quod non placet. Nam cadaver Orestis inventum est ad Taigetum montem Laconiae, magnitudinis ·VII· cubitorum. Inde dictus est Orestes. Ὄρος enim montem significat, et debet sine aspiratione *scribi*.
129. COMPOSITO RUPIT VOCEM. Hoc est erumpit in vocem: et dictum est per contrarium, ut inquit Servius. Nam silentium rumpere est eloqui, ut: quid me alta silentia cogis rumpere? ·Vocem rumpere est tacere. SALSAE FRUGES. Apud Varronem hoc legitur: far a farciendo dicitur, et in pistrinum fit. Inde farina fit. Ex farre enim fiebat puls, antiquissimus mortalium cibus. Fructus dicti quod his fruimur. Hinc fruges declinatae, hinc frumentum, hinc mola salsa quae fit ex farre et sale molito. Apud antiquissimos post glandes et arbuta usus

farris in tanto honore fuit, ut servatum sit ne fie-
ret sacrificium sine farre et sale. Nam sal adeo mor-
talibus necessarium est, quod quintum elementum pu-
tarunt. Sacrificium appellabatur mola a farre molito.
Admixto sale dicitur mola salsa. Primus apud Roma-
nos instituit Numa Pompilius fruge et farre colere Deos,
et mola salsa supplicare. Servius inquit, id genus sa-
crificii fieri de orna fruge et orno sale. Horatius et or-
na fruge. Sed quid sit orna fruges non exposuit, quod
ego non praetermittendum putavi. Far enim et sal ex
quibus mola salsa fiebat erat novum, quod ornum ap-
pellant. Ideo orna fruge, id est mola salsa facta ex no-
vo farre et novo sale. LETHO. Lethum scribitur cum v. 134.
aspiratione: nam a Lethe fluvio inferni dictum est.
LIMOSO LACU. Hoc est stagno limoso, quod Scamander 135.
fluvius Troadis facit. Nam quod non habeat libera
ostia propter limum, quod in mare trahit, facit oram
maritimam stagnantem, hoc est paludosam. ULVA, pa-
ludis; alga vero, maris. FORS. Pro forte. MISERESCIMUS. 139. 145.
Miserescit reperitur etiam verbum impersonale eius
ordinis cuius est miseret. Terentius: inopis te mise-
rescat mei. QUO. Ob quam causam, ad quem finem. 150.
VOS AETERNI IGNES. Alii intelligunt ignes ararum, quas fu- 154.
gerat Sinon: nonnulli intelligunt solem et lunam. Sed
ego intelligo focos vestales, qui erant aeterni et inex-
tinguibiles, qui per Aeneam in Italiam advecti sunt,
et servabantur a pudicissimis virginibus. Ideo dixit poë-
ta non violabile vestrum numen. IMPIUS EX QUO. Cunicu- 163.
lis effossis Diomedes et Ulixes Palladium rapuere. Ea
tempestate, qua Ilus templum in arce condebat, lapsum
ferunt divinitus a caelo breve scutum, Palladium vo-
cant. Sustulit Antenor, allecta per illecebras Theano

custode, ut Dictys cretensis asserit, et Dares probat; quod postea dedit Ulixi, et Diomedi, qui tunc legati venerant ad Troiam. Callistratus sic ait: quom Chrysas Pallantis filia nuberet Dardano, attulisse Palladis munera, quod Palladium fuit. Post diluvium Dardanus profectus ex Arcadia in Samothraciam tulit, mox in Phrygiam, et templum Palladio erexit, institutis caerimoniis. Admonitus enim erat oraculo urbem fore aeternam si non alio transferretur. Post Ilienses in Ilium transtulere et in arce locarunt. Capto Ilio Aeneas ex adytis accepit, et in Latium tulit. Dionysius sic ait: Palladium datum a Iove Dardano, et ab eo locatum in loco inaccessibili, ad cuius similitudinem et alia fabricata sunt. Et haec Graeci rapuerunt. Verum autem Palladium rapuit Aeneas. Alii sunt qui dicunt, bello mithridatico, undecimo die expugnatum Ilium fuisse, et sacerdotes dedisse Palladium ·C· Fimbriae, ut refert Servius, qui sub Valerio Flacco quaestor fuit, et ab eo Romam delatum. Silius Italicus noster sic locutus est: Diomedem socerum Dauni regis dedisse Palladium Aeneae qui in urbem transtulit. Quomodocumque raptum
v. 171. sit Palladium, delatum est Romam, et in templo Vestae
locatum iuxta Palatium et Capitolium. TRITONIA. Pallas a
lacu Phrygiae in quo conspecta est. Lucanus: et se di-
173. lecta Tritonida dixit ab unda. SALSUS. Non propter la-
borem futurum, sed a colore naturali dixit. Nam omnis
188. sudor salsus est. SUB ANTIQUA RELIGIONE. Sub pristino favo-
re Palladis. AD MOENIA PELOPEA. Argiva. Nam Pelops Tan-
196. tali filius imperavit Argis. LACRIMISQUE COACTIS. Et non
coacti. Nam lacrimae Sinonis erant coactae et non
197. sponte veniebant. LARISSAEUS non dictus est a vicinitate,
quod Phthius fuisset Achilles, sed quod Larissa, de

qua nunc loquitur, subiecta est imperio Achillis. Fuit
et alia Larissa in Asia; est et Larissa in Lesbo prope
Methymnem, unde petrae larissaeae. Item Larissa est
vicus in Trallibus. Apud Euphorionem legimus: dum
Laocoon vellet Neptuno sacrificare, in eius templo
quamdam puellam stupravit. Numen indignatum ser-
pentes immisit ad eum interficiendum cum duobus fi-
liis. Et haec historia inducitur a poëta ad Troianorum
excusationem, qui equum in urbem induxere, quippe
qui putaverant iratam Minervam, quoniam Laocoon
equum hasta violaverat. ANGUES sunt aquarum, serpen- v. 204.
tes terrae, dracones templorum. LINGUIS VIBRANTIBUS. Hoc 211.
est mobilibus. Nam serpentes tanta celeritate linguam
movent, ut triplicem habere videantur. INCERTAM SECURIM. 224.
Quae non mortis effectum habuit. DELUBRA AD SUMMA. De- 225.
lubrum dicebant veteres fustum delibratum, hoc est
cortice spoliatum, et pro Deo in summa veneratione
habebant. At Varro lib. ·VIII· rerum divinarum, ut
auctor est Macrobius, sic ait: in quo ara, Deum cau-
sa, posita esset, ut erat in Circo flaminio Iovis Sta-
toris, delubri appellatores locum nuncupabant, et si-
mulacrum dedicatum erat. Adiicitque: sicut locum in
quo figerent candelam candelabrum appellant, ita lo-
cum in quo Deum ponerent nominarunt delubrum.
Nunc pro loco simulacri Vergilius posuit; alibi pro
ara, quom inquit: principio delubra adeunt pacemque
per aras exquirunt. Nam dicendo aras, expressit quid
essent delubra. Alii volunt delubrum dici quod uno
tecto plura numina amplectitur, quia uno tecto dilui-
tur, ut est Capitolium, in quo Iuppiter Iuno et Mi-
nerva. Plerique dicunt locum esse ante templum, ubi
aqua currit, a dilucndo; et haec Servius. NOVUS PAVOR. 228.

Hoc est magnus. EXPENDISSE. Tractum est a pecunia, ut
refert Servius; nam apud antiquos poenae erant pecu-
v. 232. 234. niariae. ORANDA. Placanda. DIVIDIMUS MUROS. Dictys creten-
sis sic ait: destructa parte murorum tum incolae cives-
235. que equum induxerunt. PEDIBUSQUE ROTARUM SUBJICIUNT LA-
PSUS. Cretensis sic ait: orbes sub pedibus rotarum su-
spenderat Epeus, scilicet quod adtractu motus facilior
236. foret. STUPPEA. Geminato .pp. scribitur, et est deterior
pars lini lucernarum luminibus aptior, ut inquit Pli-
238. nius. PUERI CIRCUM INNUPTAEQUE PUELLAE. Cretensis mox
sic loquitur: feminis atque viris certatim trahere festi-
240. nantibus. MINANS. Eminens, ut murorum minae, vel mi-
241. nitans. DOMUS DIVUM. Deorum domicilium propter sacros
Penates Vestamque potentem. INCLYTA BELLO. Quia sub-
242. egerant Troiani Mysianos. PORTAE, scacae. Ubi erat se-
246. pulcrum Laomedontis. CASSANDRA. Dares phrygius as-
serit, Cassandram adveniente Helena praedixisse exci-
dium troianum. Ovidius in Heroidibus:

Graia iuvenca venit quae te patriamque domumque
Perdat; io prohibe, graia iuvenca venit.

NUMQUAM CREDITA TEUCRIS. Sic nunc de equo. Ama-
ta fuit ab Apolline cui promisit concubitum, si va-
ticinationem praestaret: postquam cognovit se va-
tem, negavit. Iratus Apollo Cassandrae verbis fidem
248. sustulit. DELUBRA. Delubrum unde sit dictum, satis su-
perque diximus in lectione superiore. Hoc addatur,
quod delubrum dictum est, ut inquit Pedianus, a
249. diluendo, hoc est purgando. FESTA. Qua dies festi or-
250. nantur. VERTITUR. In aliam faciem. OCEANO. A verbo grae-
co ὠκὺς dicitur, quod velocem significat. NOX a no-
251. cendo dicta. UMBRA MAGNA. Nam nox nihil aliud est
254. nisi umbra terrae. PHALANX vocabulum macedonicum

est, ut inquit Livius, et Q. Curtius, et multitudinem significat, quae sola concordia constabat. Iuvenalis: iunctaeque umbone phalanges. LUNAE TACITAE. Nam tempore noctis, qua lucet luna, omnia creata tacent. Septima enim luna captum est Ilium ·XVII· diebus ante aequinoctium autummi, circa conversionem aestivam, ut supra diximus. THESANDRUS filius Polynicis et v. 261.
Argiae. STHENELUS filius Capanei et Evadnes. Ulixes filius Laërtis et Autoliae. ACAMAS ultimus ex pronepoti- 262.
bus Pelopis. THOAS filius Andromenis. PELIDES. Peleus ge- 263.
nuit Achillem, Achilles Pyrrhum, patronomicum est ab avo. Neoptolemus dictus est quasi novus miles, quia ad bellum ductus est puer. Pyrrhus appellatus a capillorum qualitate. MACHAON filius Aesculapii primus in arte medendi. Machaon et Podalyrius peritissimi fuerunt medici in exercitu Graecorum. MENELAUS filius 264.
Plisthenis et Europes. EPEUS. Nomen patris et matris non legi. Duplex huic officium in Graecorum exercitu: architectus fuit ut est apud Plautum et Varronem, et Cretensis probat et Dares phrygius. Fabricavit equum fatalem ligneum; ut inquit Dictys, Heleno praecipiente; ut Dares testatur, aeneum, consilio Chrysae sacerdotis Apollinis. Item fuit princeps omnium coquorum, composuit delicatissimos cibos ad irritamenta gulae. DEMISSUM LABSI PER FUNEM. Modus est loquendi, ut inquit Quintilianus: et plus intelligit quam dicat; intendit enim magnitudinem equi. SOMNO VINO- 265.
QUE SEPULTI. Cretensis sic loquitur: fessis vino et somno barbaris. CAEDUNTUR VIGILES. Dares inquit quod an- 266.
tequam dies illucesceret plusquam ·XXX· milia gladio perierunt, civitatis etiam templis spoliatis. TEMPUS 268.
ERAT. Introducitur figmento poëtico Hector adesse in

somnis Aeneae prima noctis parte, cuius noctis Varro ait tris esse partes, conticinium, intempestum, et gallicinium. Diei vero quattuor partes: mane, or-
v. 272. tum, meridiem, et occasum. RAPTATUS BIGIS. Quod fuerit iactatus ab Automedonte curru equorum iussu
275. Achillis, superius diximus. EXUVIIS INDUTUS. Patroclus filius Moenetii telo Euphorbii ictus ruit: statim advolans Hector eum opprimit, et multis vulneribus confodit. Interim Euphorbius a Menelao et Aiace inte-
276. remptus poenas luit. PHRYGIOS IGNES. Flammas troianas. Dictys cretensis sic ait: Hector progressus ad naves ignem in proras iacere et incendiis saevire coepit, nullo nostrorum auso resistere. Aiax Telamonius cognito Hectore ad naves, hostem multo sudore a
278. navibus detrudit. PLURIMA VULNERA. Nam refert Homerus Graecos in Hectorem extinctum tela iniecisse.
281. DARDANIAE. Dardania oppidum conditum a Dardano filio Iovis et Electrae, vel a Myda rege qui Dardaniis imperavit, et repetita antiquitate Dardani Dardanios appellavit, vel a Dardanis populis qui sunt confines Macedoniae, qui commutarunt sedem in Phrygiam. SPES FIDISSIMA. Spes enim semper est incer-
289. ta, in Hectore autem erat fidissima. FUGE NATA DEA.
291. Propositio est suasionis. ERIPE FLAMMIS. Utile. SAT PATRIAE. honestum. Debent esse tres partes, propositio, utile
293. et honestum. SACRA, quae Dardanus ex Samothracia tulit in Phrygiam. PENATES. De Penatibus multa superius. COMITES, qui te duce comites erunt. Et confessione Aeneae et ipsorum Deorum comites fuerunt Aeneae tamquam inferiores. Aeneas sic loquitur: victosque ex hoste Penates veho mecum. Nos te Dardania incensa
296. tuaque arma secuti. VESTAMQUE POTENTEM. De Vesta supe-

rius, quae ignis est. Numero Vestalium quae quattuor erant, duae fuerunt adnumeratae, quae sex postea manserunt. AETERNUM IGNEM. Inextinguibilem flammam v. 297.
Superius: vos aeterni ignes et non violabile vestrum testor numen ait. EFFERT. Non quod extulerit, ut alii volunt, Vestam potentem Hector in somnis, sed visus est efferre. DIVERSO INTEREA. Vergilius hoc in loco con- 298.
tendit Aeneam non fuisse proditorem: sed propter longinquitatem domus, ut inquit Servius, tardius bella cognovisse, et facilius mortem evitasse. Dictys cretensis sic ait: postquam Graeci intrarunt moenia, coeperunt obtruncare omnes obvios, nec secius incendiis saevire, dispositis prius defensoribus domui Aeneae atque Antenoris. INGRUIT. Invasit. Alibi: ingruit 301.
Aeneas Italis et proelia miscet. TORRENS fluvius est ex 305.
imbribus factus, qui cito exsiccatur. DEIPHOBI, qui post 310.
Alexandri interitum Helenam duxit uxorem. A Menelao interfectus est sectis auribus, sublatis brachiis, et naribus foedatis. VULCANO, hoc est igni. UCALEGON. Rem do- 311. 312.
mus ad personam retulit, ut inquit Servius. Hic referente Homero propter senium a bello discessit. SIGEA. Rhoeteum et Sigeum Troiae sunt promontoria. Sigeum appellatum est a silentio. Nam cum Hercules Troianos invasisset, silentium tenuit in littore troiano (silentium Graeci συγὴ dicunt) in quo et oppidum fuit eiusdem nominis. FRETA. Fretum dicitur aqua inter duo spatia 313.
terrae. CLANGOR nomen est graecum, sonitusque tuba- 318.
rum, et dicitur taratantara. PANTHUS sacerdos Phoebi. CUR- 321.
su et cursum legimus. AD LIMINA *. Aeneae. SUMMA, hoc est respublica. VICTOR. Votorum compos, ut rapidusque rotis insistere victor. CAECO MARTE, nocturno vel improviso. 329.
ERINNYS impetus est et furia infernorum; per y et gemi- 335.

* Vulgata lectio *litora*.

v. 341. nato .nn. scribitur. COROEBUS MYGDONIDES. Mygdonii Thra-
ces fuerunt, qui in Asiam venerunt, et regionem appel-
larunt Mygdoniam a Mygdono rege, unde patronymi-
343. cum est a rege. INSANO, vel ardenti amore, vel ipse insa-
344. nus. Nam Euphorion Coroebum stultum appellavit. GE-
345. NER, qui esse volebat gener. SPONSAE FURENTIS, hoc est Cas-
sandrae vaticinantis, quae praedixerat interitum Coroe-
347. bi. QUOS UBI CONSERTOS. Postea quam illos conspexi au-
dere in proelia qui socios mihi sese adiecerant, suavi
oratione hortatus sum ut opem ferrent patriae pericli-
354. tanti; sic ait: furore invecti. UNA SALUS, unum remedium.
357. CATULI RELICTI. Catuli sunt ferarum sive inmitium sive
mitium, pulli sunt pecudum; foetus sunt avium et pi-
360. scium; hinnuli sunt cervorum. CAVA, hoc est obscura;
nam omne obscurum est concavum, ut inquit Servius.
361. CLADEM. Nam plusquam ·XX· milia hominum trucidata
363. sunt. ANTIQUA. Vel nobilis, vel quia duobus millibus
364. octingentis *annis* regnasse ferunt. INERTIA. Non repu-
gnantia, ut inquit Dictys cretensis, vice pecudum inter
365. ficiebantur Troiani. LIMINA RELIGIOSA. Nam, inquit Dictys,
qui Deorum auxilium imploraverant, decretum est quod
367. avulsi ab omnibus *templis* necarentur. REDIT IN PRAECORDIA
VIRTUS. Martialis: o quantum est subitis casibus inge-
371. nium! Miserisque venit solertia rebus. ANDROGEOS miles
fuit Menesthei ducis Athenarum. Lucanus: violandum
est ius regnandi causa. Nulla fides pietasque viris qui
castra sequuntur. Sensus est: nil refert an dolo an vir-
374. tute hostes superentur. SEGNITIES, pigritia quia sine igue,
396. id est calore. HAUT NUMINE NOSTRO. Aut Dis contrariis, aut
quia in scutis Graecorum pictus erat Neptunus, in Tro-
400. ianorum Minerva. FORMIDINE TURPI. Sic Sallustius: Carbo
turpi formidine Italiam atque exercitum deseruit. HEU

NIHIL INVITIS. Dis contrariis et nolentibus fatis nulla, in- v. 402.
quit, spes habenda est mortalibus. Hoc probatur exem-
plo Cassandrae, quae confisa sacerdotio a Graecis de-
prehenditur in templo Minervae. TRAHEBATUR. Cretensis 403.
sic ait: Cassandram e templo Minervae Aiax Oilei cap-
tivam trahit. FURIATA MENTE. Furiatus et furiosus diffe- 407.
runt; furiatus ille est, qui ex tempore furit; furiosus,
qui semper furore agitur. ZEPHYRUS graece, latine Favo- 417.
nius, flat ab occidente. NOTUS graece, latine Auster flat
a meridie. EURUS graece, latine Vulturnus flat ab orien-
te. MENTITA TELA, quae nos Graecos esse mentiebantur. 422.
INFULA. Infulae sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes, 430.
hostiae, et templa velabantur: alii volunt esse tegmen
capitis, et ex utraque parte tegminis pendere filamenta.
VICES. Pugnas, quia per vicissitudinem pugnabatur, ut 433.
inquit Servius. MERUISSE MANU, hoc est fortiter dimicas-
se: nam merere est militare: aere meret parvo. Sensus
est, o iliaci cineres, testor vos me meruisse manu, hoc
est fortiter dimicasse. SI FATA FUISSENT, hoc est voluissent,
sed non voluerunt. Defendit igitur vi fatorum et po-
tentia se, Iphitum, et Peliam a morte liberatos. Nam
illi perire debuerunt, alter per senium, alter per vul-
nus illatum ab Ulixe. UT CADEREM, id est interficerer 434.
cum aliis. PROTINUS AD PRIAMI. Quoniam in regia domo 437.
maior spes erat praedae, Graeci illuc globato agmine
venerant, et ingentem pugnam conserebant. TESTUDO. 441.
Instrumentum bellicum ligneum et tectum corio, instar
testudinis, quo milites suffodiunt moenia urbium. Cam-
pani testudinem appellant lamam. SCALAE numero mul- 442.
titudinis declinantur, sicut scopae scoparum. INSTAURATI 451.
ANIMI. Concedit superius defecisse, quod nusquam dixit,
ut inquit Servius. Instauro dicitur et non restauro. In-

nit. NON SIC AGGERIBUS. Contendit gravius urbem va- v. 496.
statam a Graecis quam aggeres eruptione fluviorum
vastentur. CUMULO, incremento aquarum. VIDI IPSE. Ali- 498.
hi, quacque ipse miserrima vidi. HECUBAM. Hecuba fuit 499. 501.
filia Cissei, ut alii volunt Dymantis. CENTUM NURUS, hoc
est multas nurus. Constat enim Priamum plures liberos
ex variis feminis suscepisse; quorum nomina haec sunt.
Hector, Paris Alexander, Helenus, Chaon, Troilus,
Deiphobus, Polydorus, Aesacus, Antiphus, Irns, Teu-
cer, Demochoon, Gorgition, Mixtor, Hisiphilus, Ia-
piton, Cnemon, Ceretfion, Phorbus, Dorion, Panion,
Antiphon, Hippoton, Agmon, Laocoon, Iphates, Re-
stor, Thymoetes, Polydamas [1]. Nomina filiarum: Creu-
sa, Cassandra, Ilione, Laodice, Lycaste, Medisicaste,
et Polyxena. BARBARICO POSTES. Primi qui ornarunt aedi- 504.
ficia auro et argento fuerunt reges Assyriorum in Baby-
lonia. FORSITAN ET PRIAMI. Bono utitur ordine Vergilius, 506.
qui postea quam reip. excidium retulit, nunc regis inte-
ritum commemorat, ubi Pomponius [2] noster romanae lin-
guae peritissimus dixit esse legendum uti captae et non
ubi. MEDIUM HOSTEM, et non mediis. Hypallage est pro 508.
mediis penetralibus. VETERRIMA LAURUS. Hoc figurate di- 513.
cit poëta, et locus acceptus est a lauro, quae erat in ara
Apollinis in media area, et cum summa religione cole-
batur. Post divum Augustum lauro coronabantur trium-
phantes. Ideo confugere ad aram putabant antiqui esse
tutos caedibus quae lauro purgantur. COMPLEXA PENATES, 514.
quae tantae erat magnitudinis quod totam aram com-

(1) Haec nomina partim certe corrupta sunt.

(2) Pomponius videlicet Sabinus (Cynthio nostro aetate suppar) cuius iamdiu extant in Virgilium commentaria.

plectebatur. ARA graecum est, a precibus dicitur quas
ipsi ἀρὰς appellant. Altare dictum est ab olescendo
v. 526 id est crescendo, quod eo ignis crescat. POLITES, filius
fuit Priami ex Hecuba qui in bello troiano multa gessit;
tandem capto Ilio in praesentia patris et matris He-
539. cubae a Pyrrho interfectus est. FUNERE, hoc est cadave-
re, et dicitur funus a funalibus quando effertur ad se-
pulturam; exequiae ab exequendo; bustum quando est
545. combustum. RAUCO AERE, hoc est sonoro. Nam apud Ho-
549. merum raucus semper accipitur pro sonoro. DEGENEREM.
554. Non respondentem titulis paternis. HIC EXITUS. Talis est.
558. Alibi: hunc ego Euryale aspicio? SINE NOMINE. Nam trun-
562. cato capite non agnoscitur corpus. CREUSA filia fuit Pria-
591. mi uxor Aeneae. ALMA ab alendo. DEXTRAQUE PREHENSUM.
592. Hoc in loco, ut inquit Servius, constat multos versus
esse sublatos. Turpe enim fuisset forti viro in feminam
saevire. Venus prendit Aeneam ea corporis parte qua
Helenae vitae minabatur, quae stabat in templo Deae
601. Vestae. ROSEO, divino. TYNDARIDIS LACAENAE. Puellam La-
coniam intelligit, quae est Helena, cuius origo talis est.
Agenoris filia fuit Taigeta. Taigetae et Iovis Lacedae-
monius; ab illa mons Laconiae Taigetorum est appel-
latus; ab hoc populus Spartanus Lacedaemonius est
dictus. Lacedaemonii filius fuit Amyclus, a quo Amy-
clae. Clarius. Amycli filius fuit Oebalius, a quo La-
cedaemonii Oebalii dicti sunt. Oebalii filius fuit Tyn-
darus. Tyndari ex Laeda, filia Dymiae sororis Hecubae
uxoris Priami, Helena, Clytemnestra, Castor, Pollux.
610. NEPTUNUS MUROS. Neptunus praeest fundamentis, quia
fundamenta quando iaciuntur debent fieri supra aquam.
612. HIC IUNO. Iuno praeest introitibus urbium, quia prin-
cipia mensium, id est kalendae, sint in tutella Iunonis.

Pallas tuetur arces. Vergilius alibi: Pallas quas condidit arces ipsa colat; quia ferunt natam ex summo cerebro Iovis. SCAEAS PORTAS. De Scaeis portis alibi dicam. TRITONIA, quae in palude Tritonia Phrygiae visa v. 615.
est. GORGONE SAEVA. Hoc est aegide, in qua erat ca- 616.
put Medusae Gorgonis, quam Perseus Iovis et Danaës filius auxilio Palladis interemit. Dicitur Gorgon, quia Gorgonas insulas habitavit, quae sunt in mari oceano, ut inquit Plinius. Tres ferunt sorores fuisse Phorci filias, Medusam, Sthemonem, et Euryalem: alii addunt quartam Scyllam. De Medusa quae vertebat homines in saxa, notissima est fabula apud Ovidium. IPSE PATER. Ipse Iuppiter. Alibi: ferus omnia 617. 618.
Iuppiter Argos transtulit. SUFFICIT. Subministrat. NEPTU- 625.
NIA TROIA. Neptunus et Apollo pacti mercedem cum Laomedonte fabricarunt moenia troiana. Laomedon postea mercedem denegavit. Dii irati semper cogitarunt de evertenda Troia. DUCENTE DEO. Hoc est duce Dea Ve- 632.
nere. Nam antiqui in genere masculino utrumque sexum intellegebant. Licinius: pollentemque Deum Venerem. Et Silius in ·II· Alibi Vergilius: nec dextrae erranti Deus affuit: intellegens aut de Iunone aut de Alecto. IN AL- 635. 642.
TOS MONTES, in Idam. UNA EXCIDIA, sub Laomedonte. SIT 643.
O. Legendum est sic o; et sensus est: sic cupio et nolo amplius vitam ducere capto Ilio. AFFATI, id est postquam dixeritis mihi ultima verba vale vale vale, (quibus verbis utebantur sacerdotes in mortuos factis funebribus exequiis) discedite, o Troiani. INVENIAM 645.
MORTEM MANU, hostis scilicet. MISEREBITUR HOSTIS, id est hostis me interficiet, et miserebitur meae senectutis, et sic erit pietas. AFFLAVIT VENTIS. Cum Anchises iactaret 649.
se concubuisse cum Venere, afflatus est igne Iovis. SE-

v. 660. DET ANIMO, hoc est sic constituisti. Esse in animo, et esse cordi, differunt: esse in animo, est sic velle sic constituere. Cicero ad Terentiam: inerat in animo mittere ad Dolabellam. Esse cordi, est delectare et placere. Terentius: si nuptiae tibi sunt cordi; hoc est
665. te iuvant, et tibi placent teque delectant. ERIPIS. Eripit legendum est, et non eripis. Nam Apronianus ait non esse vertendum ad secundam personam, sed legen-
669. dum ad tertiam. DANAIS, a quibus Venus me eripuit. IN-
672. SERTABAM. Insertebam legendum esse vult Apronianus, et non insertabam. Nam Vergilius antiquitatem secutus est.
683. Invenitur enim inserto, as; et inserto, tis. APEX est in summo flaminis pileo virga lanea. Hic pro tenui flam-
686. ma accipitur. INNOXIA, non nocens. SANCTOS IGNES. Nam
687. ignes, qui subito apparent, sunt sancti. ANCHISES PATER. Anchises vates fuit auctor divinandi. Ennius doctusque Anchises venis. Et Naevius belli punici lib. III templo Anchisa sacra inmensa Penatium ordine po-
691. nuntur [1]. AUXILIUM. Probus grammaticus vult esse legendum augurium, et non auxilium: nam ex sententia Servii, non sufficiebat augurium, nisi ex simili confir-
693. maretur. INTONUIT LAEVUM. Antiqui quum captabant auguria, orientem respiciebant: quae apparebant ex septentrione felicia erant. Et quidem ratio est, quia septentrio est pars altior, et respicienti orientem a sinistris iacet. Varro ait: sinistra auguria, felicia exi-
694. stimantur. STELLA FACEM DUCENS. Stellae sunt quae lampades dicuntur: quando decidunt, clarae sunt, vestigia habent posteriori parte ardente: sunt et aliae

(1) Confer in hoc volumine p. 279-280. interpretes veteres Virgilii.

quae bolides appellantur, quae ubique ardent et longum trahunt limitem. Stella igitur facem ducens, hoc est bolides. NEPOTEM. Nepotem dixit non filium, quia v. 702.
augurium venerat propter Ascanium. ANTIQUA CUPRESSUS. 714.
Antiqui quando locum religiosum dicebant, eo in loco scribebant esse cupressum, taxum, et piceam: nam hae tres arbores locum religiosum reddebant. PELLE 722.
LEONIS. Nam antiqui heroës pelle leonis tegebantur.
HIC, id est tunc. STAT CASUS, hoc est placet. Ut: stat 735. 750.
quidquid acerbum est, morte pati. LUMINE LUSTRO, hoc 754.
est oculos circumfero. ILICET, verbum est quo ute- 758.
bantur sacerdotes solutis sacrificiis. PRIAMI, hoc est pa- 760.
tris Creusae. ARCEM, templum Neptuni Palladis et Apollinis. ASYLO. Ferunt Herculis posteros primos condi- 761.
disse asylum Athenis. Romulus condidit Romae asylum inter Aventinum et Palatium. In Ilio erat et asylum sacrum Iunoni ab Ilo conditum. Asylum est templum, quod ipsa religione sanctum habebatur. Quicumque in asylum confugerat, tutus erat; unde dictum est ab a, quod est sine, et σύρω traho, quod a nullo inde trahi poterat. PHOENIX, Amyntoris filius fuit ma- 762.
gister morum Achillis. PRAEDAM OBSERVABANT. Dictys cretensis sic ait: postquam satietas troiani sanguinis Graecos tenuit, ad conservandam auri atque argenti materiam opportuna loca destinavere. TROIA GAZA. Persi- 763.
cum nomen, et censum significat. NEC QUICQUAM. Pom- 770.
ponius vult scribi quiquam sine c. SINE NUMINE DIVUM, 777.
sine fati necessitate. OLYMPUS quasi ὀλόλαμπος, hoc 779.
est splendidus; nam λαμπάζω idem est quod splendeo. LYDIUS TYBRIS. Tybris lydius est dictus hac ra- 781.
tione. In Moeonia regnasse ferunt quemdam Atym, sub quo maxima fuit penuria frugum, ex quo statutum

est ut eiicerentur coloni, et dux daretur colonis eic-
ctis. Sorte contigit Lydo eius filio, qui ex Asia mino-
re in Italiam navigavit, et Etruriam a suo nomine
v. 783. appellavit. REGIA CONIUNX. Lavinia filia regis Latini. SER-
786. VITUM, hoc est non sum praeda Graecorum quemadmo-
dum Cassandra, quae est data Agamemnoni, et Electra
Demophonti, Clymene Athamanti, Andromache Neop-
788. tolemo, Hecuba Ulixi. MAGNA DEUM GENITRIX. Cybele
quae in Phrygia colebatur, ut est apud Ovidium in
fastis, cuius nomina haec sunt: Berecynthia, Rhea,
792. Ops, Cybele. TER, hoc est maxime, ut diximus in pri-
mo libro ex auctoritate Strabonis et Martialis. Ter Her-
801. mes, hoc est maximus. LUCIFER, lucem ferens; in se-
802. ro appellatur Hesperus. DUCEBAT DIEM, quia lucis est
803. 804. praevius. OPIS, ferendi auxilii. MONTEM. Idam scilicet.

Finis secundi libri.

INCIPIT TERTIUS.

v. 1. POSTQUAM RES ASIAE. Dido regina petierat ab Aenea ut explicaret excidium troianum, deinde errores. Aeneas postquam retulit ruinam troianam, nunc proprios errores exequitur. Everso Ilio multi ex Troianis ad montes confugerunt, ut post Graecorum discessum in patriam reverterentur, quod non permiserunt Graeci. Itaque ut agro troiano cederent, salvis hominibus et fortunis Aeneas in Dascylitico agro Ascanium reliquit, qui postea se comitem praebuit Scamandro Hectoris filio. Ipse cum aliis filiis patre et uxore alias sedes quaesivit, et in Thraciam navigavit.

Sophocles ait, Aeneam ex iussu patris ad Idam montem confugisse. Menecrates xanthius ait, Aeneam patriam prodidisse, quod et Sisenna, Dictys cretensis, et Dares phrygius affirmant. Alii dicunt, quando Troia incendebatur Aeneas aberat, et missum fuisse a Priamo pro copiis auxiliaribus. Cephalion gergithius, et Hegesippus dicunt in Thracia Aeneam periisse; alii dicunt in Antandro. Multi dicunt in Italiam Aeneam navigasse: testes sunt Varro, Dionysius, Livius, et Crispus Sallustius. Carmina sibyllina et oraculum pythium de adventu Aeneae in Italiam cecinerunt. Tandem post multos errores in Laurentum pervenit, ubi oppidum condidit Lavinium de quo primo libro. DIVERSA EXILIA. Exilia Aeneae haec fuerunt. Nam v. 4
Aeneas venit Chersonesum, Thraciam, Macedoniam, Arcadiam, Cytheram, Cretam, Epirum, Siciliam, et Africam. DESERTAS, a Dardano. ANTANDRO. Antandrus 6.
urbs est Phrygiae ad meridiem, cui imminet illa pars Idae quae appellatur Alexandria, ubi Paris, qui et Alexander dictus est, fecit iudicium trium Dearum. Antandrum coluere Leleges usque ad excidium. Antandros dicta est, vel quod fuit colonia Andriorum, vel a Polydoro filio Priami qui captus est a Graecis et interfectus. Priamus enim pro salute filii concesserat Antandrum Graecis in principio belli; prius dicebatur Cauros ut scribit Myrsilus auctore Plinio. PENATIBUS. 12.
De Penatibus diximus in superiori volumine. Hoc additur, quod dicuntur a Graecis Patrii, Gentilii, Etesii, Mii, et Ertii. ET MAGNIS DIIS. Di magni, ut inquit Varro, appellantur Penates: ut alii volunt, appellantur Di magni Iuppiter Minerva et Mercurius. Deus dicitur, ut inquit Pompeius, quod nihil desit, vel

quod omnia commoda hominibus det. Graeci dicunt
Deum esse suum vocabulum. Nam δέος metum signi-
v. 13. ficat, eo quod Deus omnibus sit metus. TERRA MAVORTIA.
Thracia provincia post Macedoniam et Thessaliam,
longa adeo ut, Pandoniis exterminatis, et utramque My-
siam amplectatur: sacra est Marti: dicta Thracia a
Thrace filio Martis: insula est bellicosissima: illuc
Aeneas navigavit, et condito templo Veneri genitrici in
ostio Actii fluvii qui labitur ex Andropoli Aenum condi-
dit urbem, quam a suo nomine appellavit. Alii dicunt
conditam fuisse in cacumine montis. Eversa fuit a Cas-
14. sandro successore Alexandri magni. THRACES ARANT. Le-
15. gendum est erant, et non arant. HOSPITIUM ANTIQUUM.
Phryges, Thraces fuerunt, qui transiverunt in Asiam
minorem, et appellati sunt Thraces et Phryges. Ex
hac igitur affinitate vicissim fuerunt hospitales Thraces
et Phryges. Potes etiam intelligere de affinitate in qua
observabant iura affinitatis: Ilione enim una ex nata-
bus Priami iuncta erat matrimonio Polymnestori re-
19. gi. DIONEAE, hoc est Veneri: nam Dione mater fuit Ve-
neris. DIVIS AUSPICIBUS, id est Iovi qui Deus est ar-
cis; Apollini, qui praeest augurio; et Libero patri
20. caussa libertatis. NITENTEM TAURUM, hoc est candidum.
Contra rationem, ut inquit Servius, Iovi de tauro sa-
crificat: nam iuvencus mactatur Iovi; ut: statuam an-
te aras aurata fronte iuvencum, quod falsum est, nam
taurus mactatur Iovi, ut est apud Silium nostrum Itali-
23. 24. cum. MYRTUS, est arbor dicata Veneri. VIRIDEM SILVAM,
26. hoc est viridia hastilia. DICTU, quom dicitur. GRADI-
35. VUM PATREM, hoc est Martem, a gradiendo in bella
dictum, vel a vibratione hastae quod κραδαίνειν appel-
lant, vel a gramine unde ortus est. GETICIS ARVIS. Thra-

ces appellantur Getae, locorum vicinitate; interdum
Daci, Sauromatae, et Scythae. POLYDORUS. Polydorus fuit v. 45.
filius Priami, quem pater cum magno pondere auri
threicio regi nutriendum miserat. Impius Polymnestor
everso Ilio secutus impium Agamemnonem, miserum
Polydorum obtruncavit, pellectus maledicta auri cupidi-
tate. Dictys cretensis ait, Polymnestorem pro mercedis
pretio tradidisse Graecis Polydorum, qui postea illum
miseranda morte interemerunt ante conspectum om-
nium Troianorum et ante muros troianos. CYMBIA SPU- 66.
MANTIA. Cymbia sunt pocula facta instar navigiorum,
unde sunt appellata; ut alii volunt, a Cysimbo di-
cuntur. De hoc poculo meminit Homerus: quod ipse
ait traditum ab Ulixe cyclopi Polyphemo, fuit hede-
raceum. TEPIDO LACTE. Nam manes lacte aspergeban-
tur apud antiquos quando evocabantur. ANIMAMQUE SE- 67.
PULCHRO. Legendum est animamque vagantem, et non
sepulcro, quia sine honore erat sepulta, vel quia erat
insepulta. SUPREMUM, vale. INDE UBI PRIMA FIDES. Ut pri- 68.
mum tempus fuit aptum navigationi ex Thracia, Ae- 69.
neas delatus est in Delon insulam. RECEDUNT. Nam na- 72.
vigantibus videntur recedere terrae. SACRA MARI COLI- 73.
TUR. Quom Iuppiter Asteriem sororem Latonae stu-
prare vellet, illa miseratione divina, quoniam virgi-
nitatem servare cupiebat, in coturnicem fuit commu-
tata, quae quom transfretaret, ut moris est illarum
avium, a Iove in saxum fuit commutata. Latonam po-
stea sororem a Iove gravidam, quae iram Iunonis fu-
giebat, inmisso Pythone serpente ut ex omni littore
expelleretur, aiunt exceptam fuisse a saxo sororio, quod
erat volubile, ubi peperit Dianam et Apollinem, quo-
rum natalibus saxum stabilitum est. Aristoteles ait,

hanc insulam emersisse, ideo appellatam esse Delon a
* per antiphrasin. latendo * quae antea Ortygia dicebatur; nam graece ὄρτυξ dicitur coturnix. Urbem habebat cui imminebat mons Cynthus, qui ut inquit Diodorus a socio Aeneae est Cynthus appellatus, ex quo labitur parvulus rivus nomine Inopus. In ea nefas erat alere canes. Asteria dicta est Ortygia, Delos, Lagia, Cynthia, Cyramidia: Pirrapade ab igni est appellata, quia
v. 74. illic primus inventus est ignis. MATRI NEREIDUM, hoc est Doridi, quae mater est omnium nympharum. AEGEO. Mare Aegeum ab Ionia incipit et extenditur usque in septentrionem. Appellatur Aegeum eo quod habeat formam caprae quae αἴξ appellatur: vel ab Aegeo patre Thesei et rege Athenarum illic submerso. GYARO. Gyarus parva est insula, piscatorum habitatio, qui Augusto Caesari in Actiaco triumpho ·CC· et ·L·
76. drachmas promiserunt. His duabus insulis proxima Delos est revincta. MYCONE. Insula est, in qua Hercules gigantes mactavit. Incolae eius omnes sunt calvi.
77. CONTEMNERE VENTOS. Servius ait propter terrae motum. Pindarus graecus ait, Delon ante partum Latonae ventis agitatam; nunc stabilita non amplius agita-
80. tur: ideo contemnit ventos. REX ANIUS. Anius rex sacerdos: maiorum enim erat consuetudo ut rex esset
85. sacerdos et pontifex. THYMBRAEE. Thymbraea est regio Troadis, ubi labitur fluvius Thymbraeus, et habet templum Apollinis, unde est appellatus Thymbraeus.
91. LIMINAQUE. Hoc in loco que coniunctio brevis pro lon-
92. ga posita est, ut exposuit Servius. MONS, id est Cynthius. CORTINA. Significat tripodes Phoebi, dicta a coriis, quoniam apud antiquos tabulae pellibus brutorum cooperiebantur, et cortina pro mensa cibaria po-

nitur, nt inquit Plinius. Cava cortina apud Ennium
intelligitur spatium illud quod est inter caelum et ter-
ram, dictumque volunt a corde; unde continare, id
est cogitare, et continationem appellamus cogitationem.
SUBMISSI, id est inclinati in terram. DURI, propter la- v.93.
bores. PRIMA TELLUS. Hoc est Italia unde venerat Dar- 94. 95.
danus origo Troianorum. HIC DOMUS AENEAE propter Au- 97.
gustum. ET NATI NATORUM. Vergilius accepit hoc ex Ilia- 98.
de Homeri, qui sic ait de Aenea:

Iam Priami genus est miseratus Iuppiter, unde
Imperium Troiae Aeneas violentus habebat,
Et nati natorum et qui nascentur ab illis.

Et rursus sic ait: hic genus Aeneae cunctis domina-
bitur oris. Homerus accepit ab Orpheo, Orpheus ab
oraculo delphico. TUMULTU, quia dixerat antiquam ex- 99.
quirite matrem. LAETITIA, propter futurum imperium 100.
aeternum. MONUMENTA, hoc est historias. CRETA IO- 102.
VIS MAGNI. Creta insula est maris Aegci: ut alii vo- 104.
lunt media inter mare Aegeum, Icarium, et Libycum.
Eam tenuere Etheoditae sub rege Creta, unde nomen
datum est insulae, et habitavere circa Idam, qui mons
est altus in silva: ad eadem loca profectos ferunt Da-
ctylos Idaeos a digitis nomen sortitos, ut scribit Epho-
rus, duce Mygdono, qui divinandi et cantandi fue-
runt peritissimi. Postea venerunt Curetes a terra ge-
niti, dicti a κοῦρα, id est tonsura, vel a veste lon-
ga quae puellarum est: quia puellae κοῦραι dicun-
tur. Hi appellati sunt Corybantes a saltatione. Ovidius
in fastis: hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Primi arma invenerunt, ut inquit Plinius, ideo ar-
mati pinguntnr. Ut dicunt alii a Corybanteo filio Ia-
sii, secundum alios Minervae et Solis, ut alii volunt

Saturni: ut nonnulli dixerunt Iovis et Alopes: plerique affirmant ex Cabiria natos filia Promethei, inde dicuntur Cabirii: eos multi appellant Telchiuos; et in principio fuisse centum, secundum alios novem, et vitam pastoralem exercuisse. Insula ipsa est appellata Creta a rege, ut Anaximander scriptum reliquit. Alii volunt a Creta filia Hesperidis. Philostocles ait Cretam fuisse appellatam Curetam. Alii dixerunt Macaron. In ea insula natus est Iuppiter filius Saturni et Opis, et educatus a Dicte nympha. Martialis:

Caesaris alma dies et luce sacratior illa,
Conscia dictaeum qua tulit Ida Iovem.

v. 108. TEUCRUS PRIMUS ADVECTUS AD ORAS. Inquit hoc in loco Servius: fallitur Anchises: nam Dardanus est antiquior, quod ipse mentitur. Cretenses moniti oraculo fuere ut peterent quietem.

Hactenus olim exscribebam ex codice mediolanensi bibliothecae ambrosianae. Utinam reliqua non omisissem!

INDEX AUCTORUM

A CYNTHIO CENETENSI LAUDATORUM.

Aelius Q.
Aemilius
Alcmaeon
Anacreon
Anaximander
Apollonius
Appianus
Apronianus Rufus
Apuleius
Aristoteles
Asper
Ausonius
Balista ludimagister
Caecilus Q. epirota
Callimachus
Callistratus
Caper
Catullus
Cephalion gergithius
Cicero
Columella
Cornelius
Cornelius Nepos
Curtius
Dares phrygius
Dictys
Diodorus
Dionysius halic.
Ennius
Epidius
Ephorus
Eratosthenes
Euphorion
Eusebius
Fabius M.
Festus Pompeius
Gellius
Gryllus grammaticus
Hegesippus
Hellanicus lesbius
Herodotus
Hesiodus
Homerus
Hyginus
Iuvenalis
Licinius
Livius
Lucanus Anneius
Lucilius
Lucius historicus

Lucretius
Lycophron
Macrobius
Marsus poëta
Martianus
Menander
Menecrates xanthius
Messala
Myrsilus
Naevius
Nigidius
Nonius Marcellus
Orpheus
Ovidius
Pedianus
Philostocles
Physici
Pindarus
Piso historicus
Plautus
Plato
Plinius
Plinius iunior
Pollio Asinius
Polybius
Pomponius Sabinus
Probus grammaticus
Pythâgoras
Quintilianus M. Fab.
Sallustius
Seneca
Servius
Sibyllina carmina
Silius italicus
Sisenna
Sophocles
Strabo
Statius Papinius
Svetonius
Terentius
Tibullus
Timagenes
Ulpianus
Valerius Flaccus
Varro Terentius
Vitruvius
Xenecoras (Xenagoras)

DYNAMIDIORUM

LIBRI DUO.

INCIPIUNT CAPITA
LIBRI PRIMI
DYNAMIDIORUM[1].

I. De regionibus. II. De ventis. III. Prologus dynamidiorum. IV. De hordeo; humectat, refrigerat. V. De polenta; nutrit, calefacit, siccatur. VI. De pane crithino; refrigerat, humectat. VII. De tritico; nutrit, egeritur, fortior * siglinus. VIII. De faba; nutrit, stringit. IX. De hormino. X. De piso. XI. De fasiolo. XII. De cicere. XIII. De lenticula. XIV. De milio et panicio. XV. De ervo. XVI. De uridia. XVII. De lini semine. XVIII. De lupino; lumbricos, tineas, alopecias. XIX. De herysimo; humectat. XX. De sesamo, egeritur, replet XXI. De apio; urinam, stomachum, tumores, venena, renes, lippidos, variolam, febrem. XXII. De menta; refrigerat, ignem sacrum, vulnera capitis, caliginem,

* Ita cod.

(1) Atto vercellensis in polyptici editione priore Coll. vat. T. VI. part. II. p. 58. ait: *Deligat unguenta a summis dynamidiis.* Ibi vero antiquus scholiastes sic explicat: *libris medicinalibus. Dynamis dicitur potestas et vis herbarum; unde etiam dynamidia dicuntur, ubi earum medicinae vel curationes scribuntur.* Hoc autem vocabulum in lexicis collocandum est.

reicientes_sanguinem, semen minuit. XXIII. De sisymbrio; calidum est, urinam, singultum, ventris torsiones, capitis dolorem, vesparum, apum, vomitum, oculorum tumores, aurium tumores, XXIV. De beta; ventrem stringit, ventrem movet, caput purgat, furfuras. XXV. De caulibus; ventrem movent, aurium dolores, lumbricos, fella. XXVI. De malva; purgat, apes, scorpiones, ignem sacrum, adustos, partum, vulnera. XXVII. De cucurbita; ventrem movet, oculorum tumores, podagram, aurium tumores. XXVIII. De atriplice; humida, frigida, ventrem movet, furunculos, ictericos, podagricos. XXIX. De bleta; frigida est, choleram movet, scorpiones. XXX. De lapacio; ventrem reprimit, urinam movet, ructum, stomachum, strumas. XXXI. De coriandro; calidum est, somnum facit, tumores, morsum canis, lumbricos, venerem, canos tingit. XXXII. De lactuca; frigida est, fastidium tollit, sanguinem, lac mulieribus, combustis, venerem. XXXIII. De intybo; stomacho, veneri, cardiacis, oculis. XXXIV. De anetho; calidum est, constringit, sternutamenta, stomachum, caput, vertigines, ructus acres, somnium, torsiones. XXXV. De pastinaca; calida, austera, iocineris, renium, lumborum, venerem, menstrua, matricem. XXXVI. De rapanapis; calidi, conturbant, urinam, dysenteriam, venena. XXXVII. De ocymo; stringit stomachi ructus, ventrem stringit, urinam movet, vomentes sanguinem, capitis dolorem, sternutamenta, epiphoras oculorum. XXXVIII. De olusatro; calidum est, stomachum, urinam, nimium sudorem. XXXIX. De portulaca; oculorum tumores, podagricos. XL. De escaria; internos dolores, ictulentos. XLI. De abrotono; calidum est, oculorum tumores,

furunculos, suspiriosis, urinam, scorpiones, menstrua. XLII. De ruta; venena, caligines, inflationes stomachi, torsiones, sanguinem narium, inguinis dolores, oculorum capitis, plagae, cardiacos, letargicos, ignem sacrum, nimium semen fluens, urinam, menstrua, venena, intestina, latus, pectus, suspiriosis, tussientibus, peripleumonis, coli, matricis, lumbricis, arthriticis, hydropicis, testiculis, maculis, auribus antidotum est. XLIII. De foeniculo; calidum est, elevando, desiccando, oculorum cicatrices, caligines, aurium vulnera, hydropicos, veretrum, canis morsum, urinam movet, lac mulieribus. XLIV. De petroselino; urinam, menstrua, colum, stomachum, intestina, latus, renes, vesicam. XLV. De panagorace; calida est, tussientibus, ventrem movet. XLVI. De cucumere; frigidus est; sitim arcet, alopecias, urinam. XLVII. De pepone; frigidus est, oculorum fervores, caninum morsum, mingitur. XLVIII. De carduo; frigidus, alopecias, matricem. XLIX. De papavere; restringit, desiccat, somnium facit, articulis, phreneticis, capitis dolori. L. De nasturtio; calidum est, flegma constringit, urinam obdurat, somnium, carbunculos, paniculas. LI. De nymphaea. LII. De eruca; calida est, venerem movet, urinam, digeritur. LIII. De satureia; calida est, venerem movet, urinam, ventrem, letargum. LIV. De ebulo. LV. De asparago. LVI. De gladiolo. LVII. De senecione. LVIII. De brateo; ignem sacrum, carbunculos, morbum regium, intrinsecus dolores, quartanas, tabescentibus. LIX. De salvia; ventri, ano. LX. De cerefolio; stomachum. LXI. De rosa germanica; oculos, stomachi defectum, fauces. LXII. De crino; serpentium, canis morsum, luxaturas, conbustos, ma-

tricem. LXIII. De libestico ; calidum est, urinam movet, nephriticis. LXIV. De damasonio ; epilempticis.

I. INCIPIT DE REGIONIBUS.

Regiones, atque unicuiusque positionem et naturam, qualiter se habeant indagabo, ut agnosci possunt. Meridiana pars calidior sicciorque est magis, quam septentrionalis ; quia proximior est sol. In his autem regionibus necesse est ut gentes, et quaecumque de eadem nascuntur, sicciora et fortiora sint ; ut puta Africae, Libyae ; contra Pontus et sibi adiacentia ex utraque parte. Ipsae etiam regiones inter se habent differentiam: nam quaecumque fuerint altiora loca, frigidiora sunt his campestribus quoque, quae inter septentrionalia habentur ; sicciora sunt his quae adversa fuerint in iisdem locis, ob hoc quia magis habundant humore : in illis imbres non tenentur, in his autem tenentur, in iisdemque stagnorum palustria calefaciunt et humectant, ideo quia cavis conclusus locis detinetur humor, nullumque potest habere spiramentum : humectant autem ideo quia terra quae parit humida sunt, quibuscum homines nutriuntur. Sed et spiritus ipse, quem accipimus, gravior propter humorem qui inmobilis habetur. Sed et illa loca quae cava sunt, et carent humore, et sicca sunt; et calida quidem, quia cum sint in valle, conclusa sunt. Sic et ipse modicus humor per fructus succedit ; quoniam spiritus, quem accipimus, cum sit siccus, humorem qui in nobis est ad suum trahit nutrimentum ; non inveniens forum cibus colatur ; et sic efficitur ut nostra corpora siccentur. Nec non et illa regio, quae in meridiano posita montibus obscuratur ab eadem parte aus-

trali, perniciosum turbulentumque patitur aquilonem. Similiter et illa quae in septentrionali posita montibus subiacet, perniciosum patitur aquilonem. Sed et in aquilone regio quae fuerit in planitie posita, habuerit autem vicinas civitates; vel ex mari insulas, quae subiacent ventis calidis aestivis, perniciosa est, ideo quia neque aquilone plurimam suscipiat auram, neque gravantibus plurihus ventis calidis potest ullum refrigerium habere. Insulae quoque quae Ibero subiacent, frigidiores sunt, hiememque habentes propriorem, ob hoc quia nives et glacies in Ibero diu manent: atque hinc frigidior ventus *afflatur* adiacentibus insulis. Nives autem quae vicinae sunt pelago, minus possunt soliditatem habere. In hieme vero ventorum singulorum vis et natura agnoscenda est.

2. DE VENTIS.

Natura quidem omnium ventorum humectare et refrigerare novit non solum corpora animantium, verum etiam ea quae terra parit, ob hoc quod venti omnes transitum per nives habent, glacies, et flumina, et insulas: et quidem validiores venti maiora et fortiora transeunt loca. Nam et animantibus quibusdam validior, aliis vero inbecillior est spiritus. Inmutantur etiam venti iuxta naturam, ut frigidiores, calidiores fiant; sic e contra humidiores, siccicores et salubriores. Causa autem huius rei ita dinoscenda. Aquilo frigidus flat, qui talia pertransit loca quae minus inlustrantur a sole. Auster vero et ipse pertransit nives et glacies nimios. Et sicut aquilo exoritur frigidus, et cum radiis solis fuerit exhaustus et amiserit humorem, transit per loca calidiora,

inmutatur in siccum et calidum, quemadmodum in Africa. Illic enim huius flatu non solum fructus sed et germen omne arescit. At vero cum pelagus transierit, humidus iam et calidus et rarus repletur maris humore. Simili ratione et alii venti repperiuntur. Qualitates autem locorum et ventorum sic se habent. Venti qui ex mare surgunt sive de nivibus vel aquis, universi humectant et refrigerant et salutem praestant. Illi autem perniciosi sunt qui maximas inmutationes corporibus faciunt, hoc est calidi et frigidi. Haec autem patiuntur illi qui in regionibus palustribus habitant iuxta maxima flumina. Illi autem venti qui hominibus prosunt, quique et serenitatem faciunt et aërem purissimum. Hi vero venti qui per terram veniunt, carent humore, quia a terra siccantur, et perniciem inferunt et arboribus et animantibus. Sed et illi qui de montibus inruunt, non solum siccant sed etiam conturbant spiritum, quem inspiramus, et valitudines creant.

3. PROLOGUS

DYNAMIDIORUM.

Igitur virtutem et naturam singulorum ita debemus agnoscere, qualiter ad singula parati esse debeamus: itaque cibi et potus virtutem et naturam, sive illam quae naturalis est, sive eam quae per artem fit, ita debemus agnoscere: quoniam multi de his rebus temptaverunt dicere, id est de suavitate, de pinguedine, de salsitudine, et ceteris, nihil tamen integre de eorum virtute agnoverunt. Neque enim eiusdem virtutis sunt omnes species quae videntur: est enim dulce quod faci-

le egeritur, aliud restringit, aliud vero siccat. Sunt aliae species quae cum videantur viscidae, facile egeruntur: sunt vero aliae quae neutrum faciunt: nec non et calidae species, et aliae quam plurimae varias habent virtutes. Quoniam ergo simul de omnibus dicere non oportet, singularum specierum virtutes ut se habent explanabo.

LIBER I.

4. De hordei virtute. Hordei natura humida est et frigida. Purgatorium palearum ut agnoscas, hordeum non frixum coque in aqua, et videbis defluentem sucum copiosissimum. Si vero frixeris hordeum, refrigerabit et restringet. Item si adusseris, id quod est humidum aut purgatorium perit, et erit frigidum et siccum. Ergo cum volueris refrigerare, ut libet, facies de polenta sed et maza cibos.

5. De polenta id est fariña hordei. Quidquid assidue utimur, huiusmodi habet virtutem. Farina consparsa virtutem quidem non habet magnam; facilius tamen egeritur: magis tamen nutrit, si fuerit candida, et egeritur consparsa. Ergo adroratum minusque madefactum levissimum est, quia maxima pars cibi cum vento egeritur; praecludit enim aditus per quos cibus alium cibum supervenientem minus praevalet suscipere. Id ergo quod spiritui sociatum et adtenuatum fuerit, ventos creat, sursum ructatur; pars vero per inferiores meatus egeritur. Maxima ergo pars supra memorata cibi ita consumitur: quia polenta natura cum sit calida, minusque acceperit aquae, omnes humores consumit qui in ventre sunt; et necesse est illum siccare simulque refrige-

rare partem aquae quae cum polentis fuerit ingesta. Omne igitur quod volueris siccare, sive fluxum ventris sive aliud quodlibet calore laesum, hoc genere passioni medeberis. Polenta vero sicca, trita minus siccat; ideo quia quae densa sunt, nutriunt corpus, paulatim chymum conficiunt, et facile penetrant aditus corporis: unde fit ut tardius egerantur. Ventos itaque non creant neque ructus. Illa vero quae prius consparsa, postea trita fuerint, minus quidem nutriunt; sed facile egeruntur, et ventos creant, et ciccon de quo . . . . fecisse panem cum polentis: solutum * in aqua refrigerat et nutrit; in vino autem calefacit, nutrit, et restringit; in melle etiam calefacit, minus nutrit, sed magis egeritur, nisi mellis fuerit habundantia; quae si fuerit, restringit.

* Cod. *solum*.

6. De pane crithino, hoc est hordeaceo. Tritus levior furfuribus, et quod exinde factum fuerit, male egeritur, eaque qui saginantur fructibus refrigerant et humectant. Sicciora veteribus qui nutribili habundant calore, et manibus vel opere diu tractata vigent. Cum autem veterascunt, amittunt calorem. Triticum trimixtum levius furfuribus; magis tamen egeritur atque saginat et humectat. In cibo et sorbitione polenta sive farina, si recens sit, siccior est vetere; ideo quia et natura habundat calore, et manibus vel opere diu tractata fatescit; quia cum veterescit, amittit calorem. Panis calidus siccat, frigidus minus, multo minus siccus, sed ex parte extenuat.

7. De tritico. Tritici virtus fortior est hordeo, et melius nutrit, sed non sic egeritur. Panis quidem eius nutrit et egeritur. Fermentacius quidem levis est, quia austeritas fermenti consumit humorem, qui nutriri solet; egeritur autem, quia cito conficitur. Azymus au-

tem tardius egeritur, sed magis nutrit. Is etiam qui suco conspergitur, levissimus est, nutrit, et egeritur, et levis est propter spumam qua conspersus est: quo suco non solum fermentatur triticum, sed et adnectitur ei quae digestio appellatur. Item ex ipsis panibus qui maximi fuerint, melius nutriunt, quia humor qui inest, non facile exuritur. Panes in furno cocti magis nutriunt, quia minus exuruntur. Focativus vero valde siccus est, quia in cineribus amittit humorem; clibanitivus vero in testo. Fortior his omnibus est siliginus: sed et ii qui de grossa farina fuerint facti, fortius nutriunt, sed non valde egeruntur. Similiter et cacabatius panis calidus siccat, frigidus vero multo minus; siccus ex parte extenuat. Simila etiam in lacte cocta egeritur, magis tamen si in aqua coquatur, egeritur et refrigerat. Simila in melle et oleo cocta, aut frixa, exurit propter pinguedinem et dulcedinem; quia cum dissimilia sint, et non debeant similiter coqui, in unum mixta rem contrariam faciunt. Siligo vero cocta vel farina fortissima stercora nutriunt, sed non egeruntur.

8. De faba. Nutrit, et stringit, et ventrem curat, et replet, quia supervenientem non omittit suscipere meatum. Servatur autem, quia modicas reliquias habet cibus.

9. De hormino, hoc est de faba. Nutrit et stringit, et ex parte refrigerat. Faba fracta nutrit et ventrem producit. Tumoribus oculorum magnum remedium est.

10. Pisum minus inflat, sed magis egeritur.

11. Fasiolum magis egeritur, et minus inflat, nutritque optime.

12. Cicer album et nigrum molliunt, et urinam pro-

vocant. Et nutrit quidem id quod in illo carnosum est ; quod vero dulce fuerit , provocat urinam etiam, et egeritur.

13. De lenticula. Lenticula deducit ventrem magis et urinam.

14. De milio et panicio. Milicina farina cum sicca est restringit : cum caricis mixta fortiter medetur : volentes vero ipsum milium comedere , saginat quidem, sed non egeritur.

15. Ervum fortissimum est , et restringit, saginat, decorum facit hominem.

16. De uridia. Uridia constringit ventrem , et tarde egeritur.

17. De lini semine. Lini semen nutrit , restringit , et ex parte refrigerat.

18. De lupinis. Lupini naturae calidae et fortissimae sunt : sed cocti leviores sunt et frigidiores , et egeruntur : lumbricos et tineas ventris excludunt , triti cum caricis in umbilico positi. Elixatura eius alopecias infantium curat.

19. De herysimo. Herysimum humectat et egeritur.

20. Sesamum egeritur et replet et saginat ; egeritur quidem cortex ; sucus eius replet et humectat ; etiam exurit propter insitam sibi pinguedinem. Saginat igitur et caro ipsius ; sed solum minus egeritur.

21. De oleribus hortensibus. Apium virtutem habet calidam et acriorem ; mingitur , urinae difficultatem resolvit ; radices vero eius magis egeruntur , quia ipsum apium magis mingitur quam egeritur. Coctum in aqua stomachi ardores compescit , tumores et inflationes tollit. Folia eius trita cum pane in aquam fusa cum rosacio . . . . Aqua ubi radix eius coxerit , contra venena

prodest, et dolorem renium sublevat. Trita eius folia cum pane superposita lippitudini medetur, et omnem tumorem conpescit. Ipsum apium viride tritum corpore infricito, ubi vis quod variola non transeat; iuvat. Semen apii tritum, et aliud tantum semen anethi, similiter semen hyoscyami, opii comae medium tantum, trita et cribrata, conspersa aqua, pillulae figurentur. Si febres adfuerint, una aut duae in aqua solutae cubitum euntibus dentur. Mirum est.

22. Menta virtutem habet calidam *. Sucus eius cum aceto et sulphure ignes sacros tollit, tumores et vulnera capitis curat. Sucus eius cum melle attico et fello perdicis, caligines extergit, vomicam stringit. Sucus eius cum aceto potatus sanguinem reiicientibus prodest. Sucus eius cum mastice, catapotia facta, si glutiatur, vomicam sedat. Item menta calefacit et mingitur; quam qui frequenter comederit, privabitur semine, minusque valebit.

* Cod. al. *refrigeratoriam.*

23. Sisymbrium virtutem habet calidam. Semen eius cum vino potui data difficultatem urinae et calculum sedat et frangit, singultumque et torsiones intestinorum sedat. Folia eius trita, et fronti vel temporibus inposita, dolorem capitis extinguunt, contra ictus vesparum vel apium prosunt. In potu datum vomitum reprimunt. Folia eius trita cum calida; si non febrit, cum vino; miraberis. Ad tumores oculorum folia eius trita cum melle, modicum cataplasma, ad aurium tumores cum rosaceo adhibe.

24. Betae genera sunt duo, nigra et alba: nigra ventrem stringit, maxime cum lenticula et aceto cocta: alba commoda ventri. Sucus radicis eius cum melle mixtus naribus iniectus, caput purgat: elixatura eius furfures capitis tollit: sucus eius deducit ventrem; ole-

ra ipsius restringunt; sucus aut elixatura eius ex radicibus fortius deducit.

25. Caulium genera sunt quinque, cumanus *, pompeianus, aricinus, sabellicus, brutius; una virtus calida. Cumanus fissilis * in capite, fusis et latioribus foliis. Pompeianus ex una parte tenuissimus totum corpus in caput contrahit tenerum; alius contra figura informi. Aricinus frequentibus foliis; sed qui tamen alio modo pensat quae reciduntur; plurimum caulium renascitur. Sabellicus vero est crispus, sapore dulcissimus, crassus in foliis, colore maculentus. Brutius altissimus, fruticis tenuissimi, caulis duri, in cibo utilissimi, et ventrem movet et urinam. Sucum eorum cum vino mixtum in aurium dolores stillato. Semen eorum cum vino tritum potatum lumbricos et tineas ventris calefacit, et fel deducit.

* Cod. *cocumanus.* et mox *cucumanus.*
* Cod. al. *sessibilis.*

26. Malva virtutem habet purgatoriam, ventrem et vesicam movet in cibo sumpta; trita cum rosacio apium ictus conpescit etiam ante quam percutiant: folia eius trita cum axungia vulnera recentia curant: semen eius cum vino tritum, contra scorpionum ictus potatur: folia eius cum vino trita ignem sacrum et quae adusta sunt sanant. Tradunt etiam partum feminae liberari, si malvarum folia subter iacta sint; quae partu edito, mox oportet auferri, ne matrix sequatur. Recentia vulnera malvarum et salicis folia trita sine mora ad sanitatem perducunt.

27. De cucurbita. Cucurbita calida est et humida: in cibo sumpta ventrem mollit: rasura eius oculorum tumores tollit: trita cum polenta podagrae tumores tollit: sucus earum rosacio mixtus aurium dolores et tumores tollit.

28. De atriplice. Atriplex humidam et frigidam virtutem habet : in cibo ventrem solvit : folia trita furunculos curant : semen eius tritum cum vino ictericos curat : folia eius trita cum melle et nitro podagrae tollit fervorem.

29. Bletus * virtutem habet frigidam et glutinosam : in cibo frequenter sumptus stomachum evertit, choleram movet : folia eius trita scorpionum ictui inpone, et cum vino potui da.

* Index *bleta.*

30. De lapacio. Lapacium hortense, sive rumex, calidius et austerius est : in cibo ventrem reprimit, urinam provocat, ructum excitat, stomachum confortat : in vino coctum tritum strumas et parotidas curat, et omnes tumores spargit.

31. Coriandrum calefacit et stringit ; somnum etiam facit, cum melle et uva passa tritum inpositum omnes humorum collectiones conpescit : tritum cum aceto morsui canino succurrit : sucum eius cum oleo mixtum pota contra lumbricos et tineas. Semen eius in dulci vino datum proniores reddit in venerem : si supra modum dederis, amentiam nutrit : canos ex coriandro inficí traditum est.

32. De lactuca. Lactucae natura frigida est, non tamen noxii rigoris : in cibo sumpta fastidium *et* languidos iuvat, prius quam habeat sucum : inbecillum tamen corpus facit ex parte : sanguinem adquirit, lactem plurimum nutrit feminis : trita cum sale conbustis medetur. Haec et in viris veneris usum coërcet.

33. De intybis. Intyborum genera sunt duo, subamarum et dulcius ; stomacho adcommoda, ventrem stringunt : tritum cum aceto cardiacis inpone in sinistra mamilla : tritum cum polenta oculorum doloribus

inpone. Nascitur circa fontes et paludes mollis et quodammodo fungus. Dicta vero intybus, quia ab aqua inflat.

34. De anetho. Anethum calefacit et constringit: naribus adpositum sternutamenta prohibet: defectum stomachi curat: capitis dolores et vertigines sedat: in aqua coctum potatum indigestiones et acres ructus tollit: in oleo coctum, capite uncto, somnum facit: semen eius cum vino tritum torsiones ventris et intestinorum tollit.

35. De pastinaca. Pastinaca calida et austera in radice et semine: radix eius in mulso cocta datur ieiunis *ob* renium et lumborum dolores: in cibo sumpta venerem stimulat: semen eius cum vino tritum menstrua provocat, et matricis suffocationes *tollit*.

36. De rapanapo. Rapanapi calidissimi sunt et conturbant corpus: non deducuntur, sed minguntur: tritos cum melle dysentericis da, cataplasma *ad* umbilicum et renes: semen eius cum vino contra venena datur, et urinam movet.

37. De ocymo. Ocymum stringit, et stomachi inflationes et ructus discutit: coctum cum aceto supprimit alvum fluentem: urinam movet: sanguinem reicientibus morsu frigido * capitis dolorem cum rosacio: semen tritum haustum naribus sternutamenta conpescit: tritum epiphoras oculorum tollit.

* In al. cod. laouna loco τοῦ *frigido.*

38. De olusatro. Olusatrum calidum et austerae virtutis: coctum in oleribus commodum stomacho: crudum commixtum multum calefacit, urinam movet: radix eius in mulso cocta difficultates urinae expellit: sucum radicis eius pota contra nimium sudorem: semen eius tritum cum vino calculum frangit.

39. De portulaca: Portulaca recens refrigerat, calefacta vero calefacit et refrigerat: ad oculorum tumores trita cum pane inponitur, similiter podagricis.

40. De escaria. Escaria habet virtutem medendi omnibus doloribus internis hepatis et stomachi: sucus eius cum pulvere piperis potui detur, similiter et ictulentis.

41. De abrotono. Abrotonum virtutem habet calidam: folia eius trita cum malis cydoniis cocta oculorum tumores tollunt: trita et cocta cum polenta hordeacea furunculos spargit: semen eius suspiriosis *datur*, et urinarum difficultates solvit: contra scorpionum ictus cum vino potatur: cum vino potatum menstrua solvit: et ad fistulam multum prodest potum cum vino et corona superposita.

42. De ruta. Ruta hortensis nimium * virtutis calidae, cum vino potata omnia venena expellit. Sucus foliorum eius cum melle attico caligines discutit. Cum melle sumpta inflationes stomachi tollit. Semen eius tritum cum vino torsiones ventris tollit: freqnentius odorata sanguinem de naribus restringit: semen eius cum sulphure vino et aceto ieiunus gusta. Si coquatur in oleo, et post commisceatur cera, et ut cerotum in panno inducatur, inguinum doloribus prodest. Cum polenta trita epiphoras * oculornm lenit: suco eius cum rore matutino collecto oculorum caligines inunge: trita cum melle et sale et pipere plagae inponatur. Ad cardiacos rutae fasciculns in rosacio decoquątur adiecto aloe . . . perungatur. Ad letargicos excitandos ruta et acetum infunditur fronti. Cum aceto et oleo ignem sacrum inlinito. Ad aciem oculorum, folia eius frequenter ieiunus manducet: urinam et menstrua commovet: folia ipsius cum fico et nuce siquis ieiunus accipiat, veneri * aditum claudit: si sac-

* Cod. al. *non nimium.*

* Cod. al. *hypoph.*

* Cod. al. *veneni.*

pius hauriatur, seminandi substantiam negat: cum anetho in aqua decocta si bibatur, torsionibus intestinorum, lateris et pectoris doloribus, suspiriosis, tussientibus, peripleumonicis prodest: *ad* inflationes coli, matricis, et longaonis per clysterem inice: si bibatur, lumbricos necat: cum melle trita et subposita suffocationibus mulierum post partum subvenit: in cataplasmate arthriticos * dolores mulcet: hydropicis qui humorem intercutem habent cum fico tritam et cum vino ad medias decocto ipsam rutam potui da: sola autem si teratur, naribus inculcata sanguinem sedat: cum lauro trita testiculis apposita dolorem sedat: trita cum nitro et pipere si fricetur, maculas albas purgat; sucum eius calefactum in cortice mali granati auribus dolentibus instilla: suco eius cum suco foeniculi et melle caligines oculorum inunge: sucus eius cum aceto et cera et rosacio inlinitus ignem sacrum, et acoras, quae puerorum capita nudant, purgat. Sucus eius cum aceto et rosacio capiti dolenti instillatur, et cum vino eis potui datur. Ruta cum vino trita antidotum est.

* Cod. al. *artericos.*

43. De foeniculo. Foeniculum calidam virtutem habet et infinitam, non tamen simplicem, sed cui etiam austeritas mixta sit, ut gustus ostendit, et multa praeterea per quae elevandi et extenuandi vel desiccandi habet potestatem. Oculorum vulnera et cicatrices curat. Sucum foliorum eius, partes duas mellis, acapni partem unam, tepidum oculis infunde. Radix eius in aqua cocta caligines fovet: sucum eius infunde in aurium vulnera: radicem eius in vino coctam hydropicus potet: veretrorum causae radice eius in vino cocta foveantur: folia eius trita cum melle canino morsui subveniunt: semen

tritum cum vino, urinarum difficultates iuvat et lactem provocat.

44. De petroselino. Petroselini semen tunsum et cribratum scripulos tres ex aqua calida acceptum, urinam et menstrua movet: colo, stomacho, intestinis, lateri, renibus, vesicae, prodest: diureticis quoque antidotis admiscetur.

* 45. De panagorace. Panagorace causticam virtutem habet et calidam: folia eius in mulsa cocta tussientibus prosunt. Semen eius tritum cum pipere et mulsa ventrem et urinam movet, et calculos frangit.

46. De cucumere. Cucumeris natura frigida est, stomacho incommoda: radix eius in aqua cocta sitim arcet: sucus eius alopecias tollit: semen eius urinam movet.

47. De pepone. Pepo est nimium frigidus: difficile digeritur propter naturalem rigorem, nisi cum pulegio aut aliqua re calida conmisceatur. Carnes eius oculorum fervores tollunt: semen eius tritum cum vino potatum canino morsui subvenit: mingitur, egeritur, et inflat.

48. De carduo. Cardui natura mordax et subaustera est, mollis et indigesta: ideo sucus eius alopecias expellit, matrici utilissimus est.

49. De papavere. Papaver restringit quidem et replet, et est fortissimum, sed illud quod est nigrum, et eius sucus magis egeritur. Sed cum volueris aliquid desiccare, suco ipsius recens carnibus * utaris. Nam genera papaverum multa sunt, quae in hortis inseruntur: aliud papaver minus efficax soporiferum est, quia minoris est rigoris, quod paulatim cubitura decoxit: folia eius cum rosacio trita tumorem articulorum tollunt: calda-, in qua coxerint capita eius, caput phre-

* Ita codd.

netici foveto : somnum facit : semen eius tritum cum aqua capitis dolorem tollit, et somnum facit.

50. Nasturcium calidum est, et conficit carnes, ita ut constringat phlegma, et obduret meatum urinarum : semen eius tritum cum fermento duricias omnes tollit, et carbunculos curat : semen eius tritum cum aqua panniculas curat *.

* Cod. al. *spargit*.

51. Nymphaea, cum semen suum in vino tritum potatur, dysenteriam sanat : rades, et dabis manducare cotidie.

52. Eruca calidam virtutem habet et causticam, non tamen nimium : sumpta in cibo venerem stimulat : in ovo sumpta digestionem facit, et urinam movet : semen eius tritum cum pipere et vino venerem movet.

53. Satureia calida est et prope ignita : venerem movet : ventrem movet ; ideo in utero habentibus dari prohibetur : semen eius tritum cum vino urinam movet: folia eius trita cum aceto fronte inlinita letargicos suscitat. Ad stomachum cum vino et aqua calda bibitur.

54. Ebulum a Graecis dictum χαμαιάκτη. Ebulum tenerum cum foliis tritum in vino potui datum calculos expellit : radicem eius decoctam in aqua usque ad tertias dabis bibere : ad splen valet mire, ad colubri morsum. Ante quam succidas, tene ebulum, et ter novies dices ad omnem malam bestiam cantum, atque ferro quam acutissimo illud secundum terram trifariam praecidito. Id facias eo cogitato cui mederis : reversus ita ne respicias, et ipsam herbam contritam oppone ; continuo sanabitur. Ebuli radicis sucum cochlearia tria ex vino heminam potui dato hydropico ; mire proficit ; per anum enim omnis humor pessimus detrahitur. Ad splenis dolorem ebuli radicem siccam, et in pulverem redactam,

ex vino cyathos tres, et ex pulvere cochlearium, in limine stans da ut bibat, et ebulum semper secum habeat, sane ebulum sine ferro collectum.

55. Asparagi agrestis radicem in aqua, sextarium unum, da bibere ad dolorem vesicae: liberabitur. Ad dentium dolorem asparagi sucum in ore tenere oportet. Ad elephantiosos eius radix contrita imponitur. Ad renium dolorem asparagi radix cum vino potata proficiet. Siquis malivolus devotaverit hominem, asparagi radice cum aqua fontana lustrabis eum, et resolvetur.

56. Gladiolum alii linguam cervinam, alii senecionem *vocant*. Ad vesicae dolorem, et ad eos qui urinam non faciunt, et ad splenem *adhibent*. Gladiolum effodies, et siccato cortice radios conteres, et addes vini cyathos duos, et aquae cyathos quatuor, et inmiscebis et potui dabis: statim urinam provocat, et dolorem tollit. Ad coli dolorem, gladiolum maturissime lectum et siccatum, in pulveris morem redactum in vino lenissimo mixto potui datur: mire dicimus splenem siccare. Gladioli bacas tritas cum lacte caprino, melius si asinae fuerit, tepefacto dabis bibere et desinit dolor.

57. Senecion a Graecis dicitur erigeron. Ad vulnera recentissima, tunsa et subacta cum axungia vetere imposita sanat. Siquis medullam sumpserit, manus * V. in ter vino vetere, cum oleo, staupos XII, quo quis usque ad tres perveniat; per triduum bibat staupos singulos. Ad clavos, cum adipe porcino tritam superpone. Siquis ferro percussus fuerit, senecion tunsa cum axungia vetere sine sale, et factum quasi cerotum in plaga impositum, facillime vulnus sanat. Tunsa ut supra et imposita omnes cathismas curat. Si post meridiem colligas eam, et cum axungia pisces et misceas, imposita

* Ita cod.

aperit vulnus et persanat. Ad pedum tumorem, et dolorem nervorum, tunsa cum axungia dolorem tollit. Senecionis flosculus cum caryota, ut sit malagmae genus, impositus stomachi dolorem tollit. Ad lumborum et coxarum dolorem, trita cum vino potui data multum prodest : tunsa et imposita podagram in pedibus sanat.

58. Bratcus, hoc est herba sabina, simulans foeniculum agreste. Huius genera sunt duo, unum simile tamaricae foliis ; aliud vero similitudinem habet cupressi. Ignem sacrum, carbunculum, morbum regium, et omnes internos et antiquos dolores, et quartanas veteres, et corpora quae tabescunt *sanat.* Radices eius tritas cum pipere in vino vetere ante pridie infusas potui dato : ante solis ortum carbunculorum vulneribus imponito. Radices eius cum vino ictericus potet. Contra varietates corporis radix eius cum pipere bibatur.

59. Salvia a Graecis dicitur clelisphacos, ab aliis cission, ab aliis bechion. Ad veretri pruriginem in aqua decoquatur; et de eadem aqua infricetur similiter ad pruriginem circa anum : ad tertias tamen coquatur in aqua.

60. Cerefolii virides comas et pulegium in ligno tere, *cum* mellis cochleario malaxam bulli papaveris viridis, et induc stomacho dolenti.

61. Rosae germanicae folia viridia trita cum lacte mulieris oculorum vulnera et cicatrices curant : foliis eius siccis in calda fovento oculorum epiphoras : folia eius sicca in aqua cocta pota ad stomachum dolentem vel defectum : et faucium usturas tollit : gargarizatur elixatura.

62. Crinus leucus, hoc est lilium album : radices eius tritae imponantur contra morsus serpentium et canum : folia eius tunsa luxaturas mire curant : radices

eius in oleo coctas matrici inice; praefocationes tollit.

63. Libesticum calidam virtutem habet, maxime in semine: urinam provocat: calculosis et nephriticis iuvat.

64. Damasonium, hoc est costum hortense, epilempticis prodest.

CAPITULA LIBRI SECUNDI

DYNAMIDIORUM.

I. De allio; calidum est, deducit, mingitur, secundas, ictericos, quartanas, canis morsum, lumbricos. II. De caepa; oculis prodest, siccat corpus, caninum morsum, surdiciam aurium, alopecias. III. De ulpicio; indigestum, calculosis. IV. De raphano; calidum est, humectat, flegma spargit, venena serpentium, aures, ictericos, calculosos, livores, vermes. V. De porris; urinam, egeruntur, carbunculos, vulnera sordida, vocem, aurium vulnera, percussuras, fungos malos, stomachum. VI. De senspe; calidum est, egeritur, urinam stringit, caput purgat, stomachum, serpentium *morsum*. VII. De stringo; frigida est, ignem sacrum, tumores, parotidas, conbustos, oculorum cocturas, aurium tumores, febres, seminis lapsum. VIII. De iusquiamo *; tumores, podagram, carbunculos, foetus, aurium vermes, tussem, oculos, fistulas, sanguisugas eicit, dentium dolores, ischiaticos. IX. De pulegio; calefacit, deducit menstrua, foetus, secundas, capitis tumores, ventris torsiones, tussem, maleficia, tumores, spleneticos. X. De origano; mingitur, deducit phlegma, sanguinem, choleram, hepaticos, tussientes, herniarum fracturas, luxaturas. XI. De pe-

* Infra *hyusquiamo*.

gano ; calidum est , mingitur , phlegma , urinam , menstrua , venena , intestina , lumbricos , hydropicos , caligines , dolores omnes , stomachum , matricem , calculos. XII. De asparago ; calidus est , stomachum , vesicam , quartanas , dentium, renium, urinam, venerem movet. XIII. De absynthio ; lumbricos , fungos malos , livores , stomachum, nauseam , vertigines , somnum , caligines , nervorum *dolores*. XIV. De lapacio ; melanchaeridas collectiones , dysentericos , fastidium , lichenas , dentium , parotidas , splenis duritiam , morbum regium , calculos , collectiones. XV. De bato ; vulnera , aures , profluvium , plagas , gingivas , cardiacos. XVI. De foeniculo ; tussem , vesicam , oculorum cicatrices. XVII. De mercuriali ; ventrem solvit , aurium. XVIII. De pastinaca ; menstrua , eunuchos facit. XIX. De gramine ; splenem , urinam. XX. De irio ; calefacit , tussem siccam , tussem iterum , somnum , torsiones , seminum lapsus , ischiaticos , paniculas , oculorum albores , fistulas , lentigines , urinam. XXI. De betonica ; calculos , haemoptoicos , hydropicos , oculorum , aurium , stomachum , ventrem movet , tussem , vulnera , veretrum , capitis caligines , lacrimosos , sanguinem narium , vomicam , suspiriosos , phthisicos , purulentos , splenis , renium , lumborum , ventris dolores, frigora, vesicam, nauseam provocat , matricem, urinam , venena , splenem , ictericos , menstrua. XXII. De thymo ; calidus est , caliginem , lumbricos , urinam , menstrua , foetus mortuos , secundas , tussim. XXIII. De cymino ; calidus est , siccat , torsiones , stomachum. De hysopo ; calefacit , phlegma deducit. XXIV. De sampsuco ; hydropicos , urinam , intestina , menstrua , scorpiones , luxos , furunculos , partus , secundas. XXV. De

saxifriea ; calculos , menstrua , renes , matricem , colum. XXVI. De chamaepetye ; ictericos , hepaticos , urinam, intestina, vulnera, ventrem movet. XXVII. De dictamno ; foetum mortuum , sagittas, vulnera , venena. XXVIII. De anagallide ; suspirium, oculorum vulnera , caligines , dentium. XXIX. De arnoglossa ; dysentericos, sanguinem spuentes, vulnus, fistulas. XXX. De hierobotane ; vulnera , morsus omnes , eolicos , strumas , hepaticos. XXXI. De centaurea maiore ; hepaticos , partum et secundas , spleneticos. XXXII. De centaurea minore; caligines, stomachum, hepar, morbum regium , quartanas , oculorum , lumbricos et tineas. XXXIII. De polygono sanguinem reicientes, mamillarum , aurium , dysentericos , dentium [dolores. XXXIV. De polygonorum generibus; genera eius quatuor ; gingivarum , ulcera oris. XXXV. De calydonia; caligines , albugines oculorum , ictericos. XXXVI. De phlomo; tumores, eunuchorum vulnera. XXXVII. De calamte; cotidianas, tertianas, venena, vulnera, percussuras , testium tumores , urinam , menstrua , sanguinem excreantes, aurium vulnera. XXXVIII. De teli; furfuras capitis, partus, tussem, febres acutas. XXXIX. Iterum de calamte ; serpentium morsus , lumbricos et tineas , elephantiam, serpentes fugat, cicatrices, collectiones , ischiaticos. XL. De pentaphyllo ; strungulii suffocationes , serpentium morsus, articulorum vitia, luxaturas. XLI. De plantophyo *; contra maleficia. XLII. De botracio ; collectiones omnes , vulnera veretri , dentium dolorem , ischiaticos. XLIII. De pulegio ; calidum est , contra stomachum , contra frigus intestinorum , stomachum , nauseam capitis , ne in navi fastidias, menstrua , foetus , fella nigra , serpentium morsus , defi-

* Infra pentaphyo.

cientes , podagram , papulas , pruriginem , vesicam , calculos , cor , pectus , articulorum et splenis dolores , spasmum , ischiadem , coxarum dolorem. XLIV. De hyusquiamo ; oculorum fervorem , dentium dolorem. XLV. De artemisia ; podagram , intestina , vesicam , nervorum et coxarum dolores , matricem , menstrua. XLVI. De satyrio ; venerem, cicatrices nigras. XLVII. De aristolochia ; venena omnia , vulnera sinuosa , pavores infantium, cancromata, polypum. XLVIII. De cardamo ; strumas, paniculas, sanguisugas eicit. XLIX. De tridagra ; caligines , oculorum suffusiones. L. De buglossa ; tertianas , quartanas , tumores , hilaritatem bibentium. LI. De heliotropia ; venenum, luxaturas , stomachi dolores , varietates , tertianas et quartanas, collectiones omnes , verrucas. LII. Dé polytricho ; collectiones , alopecias , venerem. LIII. De codio ; oculorum epiphoras , hemicranium , capitis dolorem , somnum. LIV. De bryonia ; spleneticos , podagram , tumores. LV. De myriophyllo ; vulnera omnia , oris dentiumque , oculorum albores. LVI. De cisso ; frigida est , capitis dolorem , calculos , splenem , phalangii morsum, foetorea , surditiam aurium , cervices , caput ne a sole doleat. LVII. De hinola ; vesicam , dentes confirmat , lumbricos. LVIII. De serpyllo ; capitis dolorem, conbustos. LIX. De absynthio; fungos malos, livores, lumbricos, contusiones. LX. De tithymalo ; ventrem deducit, vomitum provocat , capilloa exuit , dentes cavat, verrucas , lepram , fistulas. LXI. De saxifrica , calculos frangit. LXII. De cynoglossa ; serpentium *morsus* , quartanas , aurium. LXIII. De brassica ; tumores, podagram , laterum dolorem. LXIV. De hylorhodo ; praecordia , thoracem , spleneticos , vulnera omnia , canis mor-

sum. LXV. De ampelo; ventrem, urinam movet, lentigines, maculas, comitialem morbum, morsus omnes, ossa fracta. LXVI. De britannica; oris vulnera, dentium, paralysim, oris foetorem, ventrem movet, urinam, splenem. LXVII. De camila; sudorem nimium, corporis dolorem, nervorum, caput. LXVIII. De chamaedrye; convulsos, venena, ignem sacrum, podagram. LXIX. De olusatro; urinam, colum, intestina. LXX. De symphyto; profluvium omne, dysentericos, haemorrhoidas. LXXI. De ampelo; canis morsum, urinam. LXXII. De cromeo; morbum regium, canis morsum, venerem movet. LXXIII. De euzomo; podagram, venerem movet. LXXIV. De leucia; matricem, vulnera, menstrua, anum, dentes, podagram. LXXV. De cyclamino; caput purgat, hepar, splenem. LXXVI. De personacia; splenem, calculos, canis morsum. LXXVII. De eutychia; vulnera, testium tumores. LXXVIII. De scolopendria; potuum periculum vitat. LXXIX. De libanote; dentium causas, languentes, pruritus, impetigines, hepar, tussim, pulmones, oculorum albores. LXXX. De polypodio; ventrem purgat, phlegma, urinam. LXXXI. De lathyride; ventrem deducit, cerebri humorem. LXXXII. De sycoagrio; aurium, podagram, ischiaticos, impetigines omnes, ventrem deducit, phlegma, hydropicos, lumbricos, foetum mortuum, rabidos morsus, ictericos, venena, tumores. LXXXIII. De herpyllo; urinam, splenem. LXXXIV. De tridaco; conbustos. LXXXV. De molocha agria; oculorum collectiones, apium percussum, capitis, acoras, conbustos, matricem, venenum, lao mulieribus, vesicam, nervorum tumores. LXXXVI. De prasio; phthysicis, tussientibus, suspiriosis, phlegma, partus, venena, veretrum, laterum dolorem, caligi-

nes, morbum regium, aurium, scabias, tumores, lumbricos, nervorum. LXXXVII. De solago; scorpiones, lumbricos. LXXXVIII. De cindio; canis morsum, ulcera, furunculos, parotidas, splenis duritiam, tussientes, vesicam, ventrem, furfures capitis. LXXXIX. De staphysagria; caput purgat, humores malos, pediculos, scabias, dentium causas, oris vulnera. XC. De thermosurino; lumbricos et tineas, alopecias, pulices necat. XCI. De calamo; tumores, ex frigore vulnera. XCII. De scyllitico; hydropicos, perniones, paronychias, venena, narium foetores, oculorum. XCIII. De bulbo; articulorum, impetigines, fracturas, morsus omnes, geniculorum. XCIV. De narcysso; capitis, impetigines, livores, conbustos, sagittas, sutes. XCV. De asphodylo; menstrua, laterum dolores, tussim, hictulos interiores, serpentium, vulnera sordida, aurium vulnera, dentium, alopecias, conbusturas, perniones, varietates. XCVI. De colocyntho; ventrem purgat, choleram, phlegma, ischiaticos, fella, foetus discutit, hydropicos. XCVII. De hynia; tumores, calculos, urinam, parotidas. XCVIII. De draconea; aurium dolores, polypum narium, naris foetorem, cancros, partus, suspiriosos, iumenta sumentia, catarrhum, phlegma, urinam, ventrem, vulnera cancrosa, collyria oculorum, serpentes, varietates, vulnera recentia, perniciones, caligines, venena omnia, ossa fracta extrahit. CXIX. De camilia; ventrem solvit, phlegma, fella, vulnera sordida, cicatricem, tussim antiquam, catarrhum, dentium. C. De amilia; hepaticos, hydropicos, quartanas. CI. De sapa; podagram, serpentium *morsus*. CII. De rhododaphne; vermes vulnerum, caligines, scabies. CIII. De scoliismo; ossa fracta extrahit, perniciones. CIV. De chamaereo; stomachi dolo-

rem. CV. De personacia ; articulorum , calculos , caninum morsum , conbustos. CVI. De cappario ; canis morsum , vermes , stomachum , spleneticos , calculos , paralyticos , ischiaticos , hydropicos , aurium dolorem. CVII. De althaea ; collectiones , anum, matricem, urinam , calculum , ischiaticos , colicos , dentium , maculas corporis , dysentericos , apium , venena , usturas , podagram , collectiones antiquas , matricem , veretrum , testes. CVIII. De narthece; ventrem movet, venena , caligines , morbum regium , dolores ex frigore. CIX. De silio ; collectiones , parotidas , umbilicum , capitis dolorem, hemicranium. CX. De helenio ; tussientes , dentium dolorem , lumbricos , epilemticos. CXI. De polio ; epilemticos. CXII. De paeonia ; lunaticos , ischiaticos. CXIII. De mandragora ; oculorum fervores, collectiones, ulcera , ignem sacrum , serpentium morsus , articulorum , ad soporandum , phreneticos , vulnera omnia , nauseantes. CXIV. De paeonia ; secundas , ventris dolores , nephriticos , vesicam , matricem , calculos , stomachum , inguina. CXV. De squilla; ventrem deducit, urinam , hydropicos , stomaticos, intestina , suspiria , phlegma. CXVI. De ordivelio ; serpentium morsus , arquaticos , tumores , oris vitia , tertianas , quartanas. CXVII. De psyllio ; frigida est , parotidas , collectiones , umbilicum. CXVIII. De origano.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

DYNAMIDIORUM

DE AGRIIS OLERIBUS VEL AGRESTIBUS.

Agreste vero olus quod os calefacit, et odorem reddit suavem, egeritur: quod vero viscidum et austerum fuerit, restringit: quod vero calefacit os, calidum est et siccum: quod etiam acidum fuerit, et frigidum, sucus eius movet urinam.

1. Allium calidum est et deducit et mingitur: corporibus quidem bonum est, oculis vero perniciosum: movet etiam venerem et deducit, et quod invenerit simul deducitur, coctum tamen invalidum est: inflat autem calore suo et ventos movet: feminarum secundas provocat: potatum cum vino et pipere ictericos curat: stomachum laedit. Spicas tres cum lasere morsui canino inponito: tritum cum vino tineas ventris et lumbricos excludit.

2. Caepa quidem oculis prodest: infusa dolores et caligines tollit: sumpta nutrit phlegma: corpori inutilis propter calorem et acrimoniam, quia nec egeritur nec nutrit; nam et calefactione siccat corpus. Caepam tritam cum aceto et sale morsui canino inponito: cocta cum melle trita omni plagae, veterrimis vulneribus, morsui canino convenit. Sucus eius cum rosacio surditiam aurium solvit: sucus eius cum lacte mulieris aurium dolorem tollit. Alopeciae, si caepa fricentur, capillos nutriunt.

3. Ulpicium indigestibile est : cum vino calculosis prodest.

4. Raphanum calidissimum est, humectam habet virtutem, et dispargit phlegma : folia autem eius minus austera sunt, sed articulis dolentibus contraria sunt. supernatat, et vix digeritur ; stomachum inflat ; contra venena subsidium habet, omnium medicorum opinione: semen eius fortius ipsa radice : sucus eius cum modico rosacio instillatus aurium dolorem tollit : radix eius commixta lavacris ictericos curat : in vino cocta calculos expellit : trita radix inposita livores tollit: sucus eius vermes necat : conmixta nauseam provocat.

5. Gentianae [1] radicem siccam et in pulverem redactam, pondere drachmam I, vini cyathos III, ad serpentium morsus potui da.

6. Porri minus quidem calefaciunt, urinam movent et egeruntur: habent et partem purgatoriam, humectant, carbunculum curant et stomachum : post cibum accipiendus est : tritus cum melle vulnera sordida purgat.

7. De porris qui non sunt plantati. Sectiles porri in cibo sumpti vocem purgant : sucus foliorum cum rosacio vulnera aurium et tumores sive percussuras curat : sucus eorum cum gallae pulvere sanguinem reicientes curat: semen tritum cum vino potatur contra fungorum praefocationes. Cocti stomacho utiles, crudi utentibus * malum. * Cod. al. *dentibus.*

8. Sinape * calidum est et egeritur, sed restringit * Ind. *senape.*

(1) Deinceps numeri articulorum cum indice iam non congruunt, quia index ex antiquo codice sumptus fuit; deficientia autem folia ex alio item prisco codice, sed diversae lectionis, petenda nobis fuerunt.

urinam : semen eius tritum cum melle et aceto mixtum gargarizatum caput purgat : crudum stomacho contrarium : coctum in olere iuvat stomachum : semen eius tritum cum aceto serpentium vulnera curat.

9. De herbis agrestibus. Galeni. Stringus, hoc est uva lupina, quae et salutaris vocatur, frigida est et retinens : sucus eius ignem sacrum curat : trita in emplastro tumores omnes tollit : folia eius trita cum sale parotidas discutit : cum cerussa et spuma argenti sucus eius conbusturas sanat : sucus eius cocturas in angulis oculorum refrigerat : cum rosaeio aurium tumores tollit : contra stomachum positus febres tollit cum ardore : trita cum vino potata seminis lapsum constringit.

10. Iusquiamum, hoc est gingaralis sive symphonica * : folia eius trita cum farina tritici et axungia omnes tumorum duritias solvit. Folia eius trita cum butyro, podagrae tumorem conpescunt : sucus foliorum eius cum farina sigilae et albo ovi, emplastrum factum, ossa fracta et carnem sanat : folia eius trita cum caricis, carbunculos sanant : sucus foliorum eius cum vino potui datus foetum extrahit : sucus eius aurium dolorem tollit, et vermes necat : semen eius in vino cum papaveris semine tussientibus succurrit : ex suco eius in umbra siccato, collyria facta oculis dolentibus prosunt et fistulis : semen eius carbonibus fumigatum sanguisugam proicit ; simili modo et dentium vermes : semen eius ischiaticos curat, si custodiatur usque in crastinum : radicibus eius in vino coctis contra dentium dolorem os abluatur.

* Cod. al. *insana.*

11. Glyconii, hoc est pulegii, masculi rubeus, feminae flos albus, virtute thermantica calefacit et deducit et extenuat et purgat et digeritur : decoctio eius po-

tata menstruum deducit, foetum et secundas extrahit: coctum in melle et aceto gargarizatum humorem capitis deducit: in vino coctum potstum torsiones intestinorum et tussim cum phlegmate et catarrho male patientibus *succurrit*: flore trito cum aceto nares perungue: tritum cum polenta tumores conpescit: folia eius trita cum sale spleneticos curant.

12. Origanum, hoc est colena, calidum est, et mingitur, et deducit etiam phlegma: choleram et sanguinem conpescit: elixatura eius in aqua potata hepaticos et tussientes iuvat: cum vino albo coctum pota contra scorpionum et aranearum ictus: in oleo et aceto coctum cum lana sucida fracturis et luxaturis inpone.

13. Peganon, hoc est ruta acris hortensis, nec minimae virtutis, calidum est, et mingitur et deducitur phlegma: cum vino potui datum, urinam et menstrua movet. Ruta trita cum melle potata inflationes stomachi aufert: semen eius cum vino potatum torsiones ventris tollit: semen ipsius cum vino omnia veuena excludit: in oleo coctum et per clysterem iniectum, intestinorum dolores tollit et lumbricos: folia eius viridia trita cum suco sicco hydropicos curant: sucus eius cum melle attico et felle perdicis, oculorum caligines tollit: trita cum vino stomachorum et matricum et calculorum dolores tollit.

14. Asparagus in cibo sumpta * stomacho prodest: calida est: radices eius in vino coctae vesicam curant; quartaque denarii pars dentium dolores tollit: renium dolores et urinarum suffocationes purgat. * Ind. masc.

15. Absynthium elixatum cum marrubio et lupino tritum, in umbilico positum lumbricos excludit: sucus eius potatur contra fungorum suffocationes: folia eius

trita cum melle percussuras tumentes et livores conpescit: ramusculus eius viridis cum melle decoctus et radix, stomachi inflationes aufert: pulvis radicis eius in mulsa potatus somnum praestat et torsiones tollit: stomachi extensionem et inflationem . . . . turiones eius virides et cydoniorum poma in cibo cocta cum lana stomacho inponito: semen eius in pulverem redactum dato potui cochlearium I, cum calda, contra stomachum nauseantem, et tremorem, malefactionem, vertigines capitis, et somnum, vel oculorum caligines: in oleo coctum et colatum, ex eo ungitur corpus vel nervorum dolores.

16. Lapacii agrestis genera quatuor. Agreste efficacissimum: sucus eius melanchaeridas curat: folia eius trita collectiones spargunt: semen tritum cum aqua dysentericos et coeliacos stringit, et fastidium tollit. Radices eius coctas iacito tritas; lichenas radunt: in vino coctis conlue dentium dolorem: in vino coctae tritae parotidas curant: in aceto coctae tritae splenis duritiam solvunt: sucus eius cum vino potus morbum regium curat et calculos frangit: folia eius trita cum axungia et vino gallinaceo et sapone in folio caulis, opere calido, obruto, lentiolo inducto, collectiones maturas sine ferro rumpunt: folia eius trita cum axungia et pane trito, tumores et duritias spargunt.

17. De sentice, hoc est rumice. Batus vulnera periculosa ex se nata, foliis coctis in vino tritis cum melle curat; sucus eius aurium dolorem tollit: turiones in aqua coctos pota, profluvium mulieris *sistunt*: folia eius plagas recentes iungunt: in vino coctis gingivarum tumores linito: cymas eius tritas in calda pota contra pro-

fluvium sanguinum : folia eius trita in mamilla sinistra inposita cardiacos curant.

18. Foeniculi agrestis radices tritae cum vino tussientibus prosunt : in vino tritas cum radio apii, sucum colatum, pota contra vesicae dolores : sucus eius cum lacte mulieris oculorum cicatrices curat.

19. Mercurialis similis est ocymo : cocta cum pullorum carnibus ventrem solvit : sucus eius cum rosacio aurium dolorem tollit : et siquid in aurem introierit, expellit.

20. Pastinaca silvatica. Radix eius in aqua mulsa cocta menstrua purgat, radices eius tritae testiculis appositae eunuchos faciunt.

21. Pimpinella a morte ao clavo liberat.

22. Irius, hoc est gladiolum, vel erysimon, quod est lilium agri, vel lilium ceretnum*, calefacit, non tamen egeritur : ad tussim siccam radix eius in mulsa cocta potatur : ad tussim cum dolore pulvere ex radice eius cum melle dato, cochlearium I : pulvis radicis eius in mulsa potui data somnum facit et torsiones tollit : pulvis eius cum pusca seminum lapsus spontaneos curat, hoc est gonorrhoeas : elixatura radicis eius per clysterem ischiaticos curat : radix eius trita et cocta parotidas et panniculas curat : cataplasma pulveris radicum eius cum melle albores oculorum tollit et fistulas curat ; lenticulas et maculas de facie praegnantium tollit : pulvis ipse in mulsa potata urinam solvit.

* Ita cod.

23. Betonicam, quam quidam cestron, alii vero lactariam vocant, tunsam cribratam in mulsa contra urinae difficultatem vel calculum pota : pulvis eius cum pusca haemoptoicos curat : cum vino et melle hydropicos desiccat : folis eius trita oculorum percussuras

curant: sucus eius cum rosacio aurium et stomachi dolores tollit: pulverem eius, si febricitet, cum calida dato ad stomachi dolores; si non febricitet, cum vino: cum mulsa ventrem movet: ad tussim cum melle: folia eius cum sale trita vulneribus recentibus medentur: foliis eius in vino tritis fove tumores sive vulnera veretrorum, et pulverem eorum inponito. Capitis fracturae betonicam contusam superponito: radicibus in aqua decoctis ad tertias, vitia et dolores oculorum foveto, et ipsa folia super oculos pone: ius eius cum aceto in aures dolentes inmitte: ad caligines, betonicae drachmas IIII, aquae calidae cyathos III. ieiunus bibe; deducit in inferiorem partem cum sanguine qui caliginem facit: ad lacrimosos oculos betonica manducetur: ad sanguinem de naribus betonica ad tertias in vino cocta gargarizetur: ad vomicam et thoracis dolorem betonicae drachmae II, et aquae tepidae cyathi II. bibantur; similiter ad suspiriosos: ad phthysicos qui purulenta excreant, betonicae drachmas III. cum melle ieiunus glutiat: ad stomachum drachmas IIII. manducet per triduum, et aquae cyathos IIII: ad iocinerum dolorem similiter ut supra cocta potui datur, splencticum iuvat: ad renium dolores, betonicae drachmas III, vini veteris cyathos III, piperis grana XXVII, calefacta ieiunus bibat: ad lumborum dolorem betonicae drachmas III, ex vino amineo cyathos III, piperis grana XXVIII, calefacta ieiunus bibat: ad ventris dolorem betonicae drachmam I. in aquae calidae cyathis III. bibat Hi tamen, quorum nexus cruditate intestinorum torquetur, ad alvum concitandum betonicae drachmas IIII, mellis cyathos III; ad tussim, betonicae drachmas duas, et mel accipiat per dies VIIII. Ad cotidianas betonicae drachmas II, arnoglossae drach-

mam I, aquae calidae cyathos III. bibat sub accessione. Ad tertianas betonicae drachmas duas, et pulegii drachmam singulam, aquae calidae cyathos XX, sub ipsa accessione da bibere; sanat. Ad vesicae dolorem betonicae drachmas IIII, apii radicem libras III. decoque in sextario aquae ad medias et cum decoctum fuerit . . . supermisceatur ; da bibere. Ad oculos lacrimosos betonicae drachmas III, et aceti excedentis et mellis ÷ I, et aquae calidae cyathos VIIII. bibe. Ad hydropicum betonicae drachmam I, et aquae calidae cyathum I. triduo bibe. Radices eius tunsae cribratae cum aqua mulsa nauseam cum phlegmate provocant. Pulveris cribrati ex foliis eius scripulos III. cum mulsa da potui eis qui aliquo casu omenta laeserunt, nec non et matrici mulierum. Betonicae drachma I. cum vino potata ventrem et urinam movet : veneno betonica fortiter resistit : cum aqua calida potata spleneticis medetur: ex eius pulvere et melle ad fabae magnitudinem post caenam accepto digestionem facies : haemoptoicos drachma I, cum vino ictericos sanat, menstrua deicit: drachmae IIII. cum mulsa accipiantur, ventrem purgant. Pulverem vero eius si necesse fuerit servare, in vas fictile reponatur.

24. Thymum virtutem habet calidam ut hyssopus, caliginem discutit, lumbricos eicit, urinam conpellit, menstrua provocat : foetum mortuum extrahit ac secundas pulvis eius cum vino potatus ; cum melle mixtus pulvis tussim tollit.

25. Cyminum virtutem habet calidam et desiccativam : in oleo coctum per clysterem iniectum torsiones intestinorum tollit : in vino potatum dolores stomachi tollit, urinam provocat.

26. Hyssopus calefacit et phlegma deducit.

27. Sampsuci, hoc est casiae, decoctio potata, principia hydropicorum, urinarum difficultates, intestinorum tormenta, menstrua provocat: tritus cum sale, ut emplastrum impositus, contra ictus scorpionum: cum cerota mixtus luxis prodest: cum polenta tritus fervores oculorum: cataplasma difficultates partuum accelerat.

28. Saxifrica, hoc est tiraria, tunsa cum pipere et vino calculos frangit, urinam solvit, menstrua provocat, renium dolorem et matricis et coli tollit.

29. Chamepetys, hoc est cucurbitatis, quod ex parte odorem cucurbitae referat. Folia eius cum radice trita, in vino potata, ictericos, hepaticos, urinarum difficultates, torsiones ventris et intestinorum *iuvat*: trita cum mulsa ventrem movet: tunsa cum radice sua vulnera antiqua et sinuosa curat, et vulnera in tibiis sive in pedibus.

30. Dictamnum, hoc est pulegium Martis. Sucus eius in lana matrici superpositum mortuos foetus excludit; siquid corpore inhaeserit, folia trita inponito: potatum ex vino partum et secundas eicit: folia eius trita vulneribus recentibus . . . . sucus eius omninm morsus et venena: et sagittas expellunt cum vino potata. Siqua mulier in utero foetum mortuum habuerit, sucum eius cum vino bibat; si febricitat, cum aqua calida: ad plagam sucum infunde, et eundem sucum bibe: contra venenum cum vino potui dato. Tanta vis est dictamni, ut non solum interficiat, sed ubicumque fuerit serpens, praesentia sui eos edeat *: si odor eius a vento extollitur, ubicumque eos tetigerit, mox occidet. Fertur exemplum. Caprea vel cervus in venatione si telo percussus fuerit, venit ad dictamnum; mox ut pascitur, sagitta excutitur et plaga sanatur. Dictamnorum

* *Exciat* ?

acrimoniam, millefolium, ambrosiam, sucum eorum, cum adipe pones in plaga.

31. Anagallidis, hoc est auriculae muris, sucus cum melle acapno vulnera oculorum et caligines curat: naribus infusus, dentium dolores tollit.

32. Serpyllum flores *habet* candidos ut canos hominum; ideo polion dicitur. Ad epilemticos et lunaticos cum aceto scillitico ante accessionem potui da: item pilulam eius vel radicem in linteolo mundo circa collum liga.

33. Centaurea maior, hoc est semper viva, cocta in aqua hepaticis et spleneticis prodest: cocta in vino partum et secundas excutit potui data: folia eius trita cum axungia vulneri inpone.

34. Centaureae minoris sucus cum mello acapno oculorum caligines tergit: in aqua ad tertias potui data stomachum, hepar, morbum regium, quartanas, et suffusiones oculorum curat: in vino cocta lumbricos et tineas ventris occidit.

35. Polygonus, hoc est sanguinaria sive spinatia, hoc est centonodia, sive sensur *. Sucus eius cum pusca potatus sanguinem reicientes sanat: tunsa cum butyro tumores mamillarum sanat et lactem provocat: sucus eius cum rosacio aurium dolores et vulnera sanat: cum calda potatus dysentericos stringit: radices eius commasticatao dentium dolores tollunt. Polygonorum genera sunt IIII: primum genus sunsur, quae et sanguinaria fructicosa, serpens terra, stiptica quia stringit. Secundum genus, minor, ut gramen folii, sapore nigrior, et geniculis densior: semen eius urinam movet, et dolorem vesicae tollit. Tertium genus orion vocatur; nascitur in montibus, arundini similis tenerae unicauli, mul-

* Infra *sunsur*.

tis geniculis, ischiaticis commodum. Quartum genus hylicum appellatur, hoc est silvestre; paene *simili* arboribus frutice, fructicosa et lignosa stirpe cedri, rubicundosum partibus binorum palmorum. Cocta in vino gingivarum vitio, si os conluas et ulcera oris curat.

36. Chelidonia, Italis hirundinina. Sucus ex radice eius et foliis cum melle attico et vino vetere, et pilula piperis albi, caligines et albores oculorum antiquos curat, maxime flores eius. Sucus eius ad umbram siccatus, admixto melle, ut collyrium oculorum impetus sanat. Ad caliginem oculorum, chelidonia cum axungia inponitur, ante quam fovetur. Ad parotidas, chelidoniam cum sebo caprino contere et inpone. Ad conbustum, in aceto contritam inlinito fronte et capite. Radix eius cum anetho in vino cocta hepaticos sanat. Caliginem, et qui ulcera habet in oculis, et scabitudines, et albuginem, extenuat facillime. Suco radicis eius cum vino veteri et melle attico et pipere albo in se bene contrito inunges intus; perfecte medetur; nos ipsi experti sumus. Aliqui de suco eius oculos inungunt. Sucus eius vel flores expressi, mixto melle attico, sanant. Ad capitis dolorem vel dentium chelidoniae radicem, et cypressi folia trita, et taedam masculam, aceto decoque et tepefacta gargariza. Ad parotidas et phimata herba chelidonia cum axungia inponitur. Ad conbustum chelidoniam cum sebo caprino contere et inpone. Ad auriginem herbam chelidoniam tritam cum aqua bibe; miraberis. Caliginem oculorum chelidoniae sucus vel flores expressi, mixto melle attico, mire curant. Qui secum habuerit, siquis venenum dare voluerit, prius ei de manu poculum cadet quam venenum accipiat.

37. Calamtis genera sunt tria; unum montanum,

foliis ocymi simile, sed subalbidum, ramis angulosis, foliis dentatis, flore purpureo. Aliud genus pulegii foliis simile, sed maius; odore quoque simili, unde pulegium agreste dicitur. Tertium genus foliis mentae agresti similibus; et hoc maius est omnium trium, sapore amaro, virtute thermantica. Radices eius inutiles. Sed montanum vehementius. Contra morsus serpentium, si contusa vulneri adponatur, et cocta potetur. Cum sale et melle lumbricos et tineas necat: contra elephantiam vero prodest, si vel cruda vel elixa comedatur et bibatur ad seram. Folia eius tunsa cum axungia, pedum dolorem et podagram mitigant: in mulsa potatur propter intestinorum tormenta: folia eius incensa serpentes fugant, vel etiam humi sparsa: cum vino cocta trita cicatricibus nigris adposita, exalbat eas; collectiones maturas rumpit, saniemque deducit: ischiaticis ad locum dolentem adposita remedium praestat.

38. Calamtis, hoc est nepetae, folia trita cum calda cotidianis dantur ante horam accessionum, sive tertianis. Folia eius ex vino pota contra omnes morsus venenorum: trita vero vulneribus adponuntur: cum sale trita percussuras et livores *sanat*: cum uva passa trita tumores testium tollit. Primalia* in vino cocta foveto. Nepeta calidissima est; unde ex ea fit antidotum quod diacalamtis dicitur. Urinam concitat, menstrua movet. Sucum eius cum mulsa potent qui sanguinem excreant.

* Ita cod.

39. Quinquefolium circumscriptis ter digito medio et pollice sublatum, capiti inlinitum sanat: radix eius capiti alligata, mire sanat. Ad oris vitia, quinquefolio in pulverem redacto, admixto melle, os perfrica; linguam, arterias, et fauces purgat: sucus eius potatus vel fronti

inlinitus sanguinis *fluxum* restringit : tunsus potatus dolorem ventris tollit.

40. Telis, hoc est foeni graeci, semen in pulverem redactum furfuras capitis radit : cum vino et nitro idem semen decoctum in aqua et potatum difficultates partus excludit : in aqua ad tertias decoctum, adiuncto melle, potui da ad omnem raucedinem in balneo mox ut coeperit sudare : similiter contra tussim vetustissimam. Semen eius pari pondere cum lini semine tritum in mulsa coctum, stomacho inpositum, febres acutas conpescit.

* Ita cod. 41. Ancesta, id est croxentella, hoc est sclataollas *. Radix eius trita pota prodest dysenteriae.

42. Pentaphyllum, hoc est quinquefolium vel quinque digitorum. Suci eius cyathi III. strungulii suffocationes curant. Sucus eius cum vino serpentium morsus tollit : folia eius trita cum vino et adipe sine sale cancri vulneribus inposita, excreant : folia eius trita cum axungia, articulorum vitia et luxaturas sanant.

43. Pentaphyon, id est gudubal, qui et pedes leonis dicitur, simulat millefolium. Frutice eius sine radice cocto in aqua nymphali, luna crescente, lavato eos qui maleficiis adpetuntur; et fumigabis in domo silenter de radicibus aristolochiae.

*Ind. *botr.* 44. Butracion *, hoc est apium agreste, sive apium risum, collectiones omnes, vel siquid volueris sine ferro incidere, *solvit*. Radices eius tritas in corio nucis inpone : folia eius trita cum axungia sine sale vulnera veterrima curant : radix eius commasticata dentium dolores tollit ; radices eius tunsas in corio nucis ischiaticis et arthriticis inpone : tumorem deducunt. Ideo antiqui sideriten vocant, quod sic carnem incidit ut ferrum.

45. Pulegium quam vim medicaminum habeat, mul-

ti ignorant. Duo genera sunt ; masculum , florem ha bet album ; femina , rubeum sive purpureum , estque calidissimum. Habet aliquid mirabile in se , quod maximis caloribus floreat , cum fere aliae herbae arescant. Caput ne ab aestu concalescat *facit.* Ferunt quod si hieme sub aure portetur , nec gravitudo sentiatur nec perfrictio. Ad dolorem infantium intestinorum , pulegium et cyminum tritum in aqua bibatnr , et super umbilicum ipsas herbas tritas inpone : tritum in aqua calida dato ; sanat stomachum : maceratum cum aceto potatum , nauseam stomachi sedat. Si autem infans in utero mortuus fuerit , pulegii ramos tres recentes , qui odorem habeant , tritos in vino veteri , quartam partem quartarii da bibere ; sanabitur. Ad tertianas , pulegii ramulos tres involvis in lana ante accessionem. Si coronam in capite habuerit , dolorem tollit. Si mulier minime purgatur , pulegii pondus semunciae in oxo , cyathos duos , da bibere. Ad ventris dolorem , pulegium in aqua fervente maceratum tamdiu donec bibi possit , optimum est : item masticatum et umbilico colligatum , dolorem tollit : corona ex ipso dolorem capitis tollit : ne in nave nausees , pulegio et absynthio et oleo et aceto nares frequenter frica : decoctio eius hausta menstrua movet , foetus discutit , secundas provocat : contra nauseam vel intestinorum torsiones siccum tunsum cum pusca bibe, ut per alvum nigra fella deducat : cum vino acceptum serpentium morsibus subvenit : deficientes cum pusca trita apposita naribus recreat : cum polenta trita cataplasma , omnes fervores tollit : podagricos sola trita et inposita iuvat : cum ceroto mixta papulas in facie siccat : decoctio eius in corpore infricta pruriginem sedat: ad vesicam vel calculum , pulegium bene tritum cum

vino cyathos II. ieiunus bibe, et continuo in solium descendat; frequenter factum proderit. Siquid circa cor vel in pectore dolet, pulegium glutiat ieiunus cum aceto, cyathos duos. Si spasmus fuerit, tum in aceto cyathos duos ieiunus bibat. Si mulier opticuerit *, pulegium in pulverem redactum lana convolutnm subiciatur. Ad morbum articulorum pulegium in oxymelle, quartarium cyathos II, ieiunus bibat, et eiciet bilem et saniem albam, et facit ut facile respiret. Ad splenis dolorem, pulegium et acetum coctum calida permixtum pota. Vide ne praegnanti pulegium dederis. Ad ischiadem vel coxarum dolorem, pulegium et piper aequis ponderibus tritum in balneo perfricabis ubi dolet.

* Ita cod.

46. Iusquiami, qui dicitur insana, genera sunt III; unum flore purpureo, minoribus foliis, calyculis duris et spinosis, nigro semine. Aliud florens ut malva, foliis et calyculis mollioribus, semine rufo; haec utraque periculosa sunt, et insaniam faciunt. Tertium genus magis lanuginosum, et floribus et semine albo, nascitur quam maxime humectis locis; hoc namque medicinae aptum est. Sed si hoc non potest invenire, rufum melius est, quia nigrum fugiendum. Hoc est albo semine, et cum omni corpore teritur: sucus eius in sole siccatus, eodem anno vim medendi habet: et ex semine eius sucus cum aqua calida eandem vim habet. Semen eius cum farina mixtum ex aqua modica temperatum, oculis fervorem et dolorem sedat. Radix eius si in aceto trita coquatur, in ore tenendo, dolorem dentium sedat.

47. Artemisiae, hoc est zygiberis, genera sunt III, monoglossa, tagantes, leptaphyllos. Monoglossae folia trita cum axungia podagram mitigant. Tritam in mul-

sa pota contra intestinorum tormenta. Tagantes vel quinque digitorum, trita cum foliis, ad vesicae dolorem, si febricitat, ex calida; si non, cum vino, in oleo cocta unguito nervorum et coxarum dolores. Leptaphyllos trita cum vino potui data matricis dolores tollit: cocta in aqua cum absynthio ad vaporem eius, matricis causas a partu dolores intestinorum pondere tollit. Sucus eius pectini superpositus menstrua movet: decoctio sive sucus eius, aut pulvis ex ipsa, in aqua calida si bibatur, eadem praestat.

48. Mentastrum a Graecis calamita vocatur. Suci eius cum vino mixti cyathus I. in auriculam coniectus, vermes natos necare creditur. Elephantiosis folia eius adhibe ad manducandum.

49. Satyrion, Romani priapiscum *dicunt*, quod et tentaticon, id est mazicinum, quam vulgus extingun vocat, alii gartcolon. Si quis venerem non potuerit adire, testiculum dextrum, qui maior est, cum piperis longi granis XLIIII, ut in se habeat dimidiam unciam et herbae superscriptae, mellis ∸ IIII. in vino optimo medicamen solvis pondus scripulos VIIII; per triduum sumat. Colligis eam in mense iulio. Radix eius trita cicatrices nigras tollit et dolorem.

50. Aristolochiae, id est falternae hoc est raiae, genera sunt III, id est nodosa, longa, et rotunda. Radix eius cum veneno potat, siquis venenum biberit, et *contra* omnium venenorum morsus. Radix eius in pulverem redacta, omnia vulnera saniosa curat: infantium pavores vel aegritudines sedat. Ex radice in carbonibus fumigato. Ad fistulas, radicem eius in epirum * inicito. Ad cancromata et polypum, naribus radicem eius cum cypero et draconteae semine, melle commixto, inicito.

* Ita cod.

51. Cardami agrii, id est nasturtii agrestis, folia cum lomento trita inducta, duritiam paniculorum spargunt. Semen tritum in aqua cola; naribus iniectum sanguisugas eicit.

52. Tridagrae, hoc est lactucae silvaticae, sucum cum melle acapno sine fumo collectum, et vino vetere mixtum, et felle vulturis, teris et recondis in ampulla vitrea, et uteris: omnes caligines et suffusiones oculorum sanat. Multi bene sarraciam vocant quod dorsus eius in modum serrae est.

53. Buglossa, hoc est lingua bovis, id est sibissisone *, ad tertianas sive quartanas: ad tertianas III. ramos; ad quartanas IIII. ex mulsa pota. Folia eius trita tumores tollunt: in vino potata hilaritatem faciunt. Linguam bovis cum melle et pane tritam vice malagmatis inponis; mirifice rumpit apostemata.

* Ita cod.

54. Heliotropiae, id est solisequae, id est intybi agrestis, sucus ex vino potatus venenum excludit: folia eius tunsa luxaturas sanant: in cibo aut in potu sumpta stomachi dolorem tollunt: sucus eius cum vino potui datus varietates corporis tollit: semen eius cum vino tertianas et quartanas tollit: trita cum axungia omnes collectiones tollit, strumas, furunculos, parotidas. Haec et verrucaria dicitur, quod extinguat verrucas sive potata in aquae sextario sive in cataplasmate.

55. Polytrichus, sive adiantus, hoc est coriandrum agreste, sive capillus Veneris. Folia eius cum pipere et vino potui dato; collectiones sanat: sucus foliorum eius alopecias capillis provocat: in ius gallinaceorum commixta venerem nimium solutam provocat.

56. Codii agrii, hoc est papaveris agrestis, genera sunt II, album et nigrum. Sucus calyculorum eius cum

foliis suis epiphoras oculorum curat : semen eius cum aceto tritum , hemicranium curat : in aqua tritum , capitis dolorem tollit et somnium facit. Est et aliud tertium genus capite grandi oblongo, efficacissimum somni.

57. Bryonia , id est vitis alba , sive avena , hoc est nossa , alba efficax. Radix eius ex vino potata splenecticos per urinam digerit ; trita cum melle podagram mitigat , et omnes tumores tollit.

58. Myriophyllon , quod et balasticon , seu centifolium , omnia vulnera antiqua sinuosa curat pulvis et flores eius. Flos eius tritus cum butyro vulnera oris et dentium curat : folia floresque eius trita cum lacte mulieris albores oculorum tollunt.

59. Cissi, id est hederae, genera sunt multa ; alba , efficacior ; omnium frigida virtus. Sucum eius cum aceto et rosacio fronti inlinito ; capitis dolorem tollit : folia eius trita cum mulsa calculos expellunt : grana eius cum vino potata trita , spleneticos curant : radix cum vino , phalangionis morbum. Sucus infunditur ad narium foetorem ; mixtus cum vino auribus infusus , surdos emendat : cum rosacio aurium dolores et tumores tollit : addito aceto , ungue cervicem , dolores tollit. Cissi melanae , hoc est hederae nigrae , bacae VII. aut XI. tritae in aqua calculos frangunt. Sucus eius cum aceto et rosacio si cervicibus inunctus , omnes dolores capitis tollit , et ne a sole doleat iuvat.

60. Hinola campana agrestis dicitur parachironia , ab aliis centaurea , panachilinion , helena. Ad vesicae dolorem ipsa , et apii semen , et asparagi , foeniculi radices , in unum trita tepido potui data , efficaciter prosunt : a ieiuno commanducata , dentes confirmant : folia eius in vino trita ad lumbricos inponantur.

61. Asterii, id est cucumeris agrestis, bacas si dederis manducare luna decrescente, cum *sol* fuerit in signo virginis, et ipsa herba in collo suspensa, remediabitur cadivis. Ad spasmum, ut supra diximus, portet secum.

62. Serpyllum a Graecis dicitur gigus, ab aliis polion, ab aliis cicer erraticum. Ad capitis dolorem sucus eius cum oleo et sale frictus, bonus est. Serpyllum decoctum in aceto linitur temporibus et fronti. Ad conbustum, serpyllum et ancusae surculus ÷ I, spuma argenti ÷ III, et rosa; haec omnia teris cera punica, adipe anserino et ursino et cervino lib.; simul coques, colabis, et uteris.

63. Absynthii ad periculum fungorum sucus cum aceto bibatur: ad livores tollendos absynthium in aqua decoctum superliga; si corpus . . . fuerit, cum melle. Ad lumbricos, absynthii et marrubii et lupinorum paria pondera in aqua mulsa decocta aut in vino, *in lumbis* aut in umbilico posita necant lumbricos. Folia absynthii contusa auferunt dolores corporis vel contusiones.

64. Tithymali, seu lactariae, genera sunt II; masculum carcios dicitur, femina misimiten vel carbicen vocatur. Licet varia sit figura, una tamen in catharticis vis eorum. Lactis tithymali drachma I, cum aceto et aqua potata, ventrem cum phlegmate et felle deducit: si autem cum mulsa accipiatur, etiam vomitum provocat. Aestatis tempore colligitur, et sucus eius intra vas fictile reservatur. Cum herba, farinae pilulae ad modum herbae factae, et lacte eius conspersae cum melle decocto involvi debent, ne fauces exasperentur; bene solvunt. Suco eius recente inlito, capilli excidunt; et si

saepius inlinieris, numquam renascuntur. Fistulae etiam cavorum dentium idem sucus infusus dolorem sedat. Observandum ne linguam adduret. Lac eius mixtum cum botracii suco verrucae suppositum, tertia die sanabit. Flore eius cum resina decocto leprosum superinungue: sucum radicum eius in vino coctum fistulis inicito.

65. Saxifrica, quam Graeci adiantum vocant, alii scolopendriam, trita in vino, aut si febricitet in aqua calida, calculos frangit.

66. Cynoglossam, quam Latini linguam caninam vocant, alii lucreon, alii spleneticon, contra morsum serpentis in vino pota et aqua. Ad aurium vitia, sucum eius cum passo et oleo tepefactum instillato.

67. Brassicae agriae, hoc est caulis agrestis, folia cum axungia trita malagma inposita, omnes tumores tollunt, et podagram refrigerant, et laterum dolori subveniunt.

68. Hylorhodi, hoc est rosae agrestis, fructus in calida potatus praecordiorum et thoracis dolores tollit: flos eius tritus in calida spleneticos curat, et per urinam digeritur: corticem eius tritam cum aceto super splenem ponito: radix eius in pulverem redacta omnia vulnera curat, et canino morsui vel rabido *subvenit*.

69. Ampelos agrios, id est agipos, sive vitis agrestis, alba, efficax, candidis foliis, radix ut raphanum in calida potatur et urinam movet. Radix eius trita lentigines et maculas tollit: in vino potata cum pipere comitiales morbos et morsus omnes tollit: trita inposita, ossa fracta glutinat.

70. Britannicae, id est betae agrestis, sucus omnia vulnera oris curat, dentium dolores tollit, paralysin in

vino pota ; cum vino et melle trita oris foetorem emendat : in cibo sumpta vel potata alvum et urinam movet : radix eius in vini cyathis III. spleneticos curat.

71. Camilae agrestis genera sunt duo ; maior, ut folium foeniculi ; minor, ut anethi. Flos eius cum semine in oleo coctus sudorem nimium restringit. Ad corpus dolens, sive nervos, et ad capitis dolorem sine febre, florem eius in oleo coques, et inungues corpus.

72. Chamaedryos, vel chamaranti, florem purpureum, tritum in vito pota ; convulsos et intus ruptos *sanat* : ad omnes morsus serpentium et venenorum et ignem sacrum cum vino pota : trita cum calida podagricis pare-goridiat * mire.

* Ita cod.

73. Petroselinum, hoc est olusatrum agreste, calidam et siccam virtutem habet : tunsi cribrati drachma I. cum vino urinam et menstrua movet : coli et intestinorum dolores mitigat.

74. Symphyton, id est anagallicum. Ad omne profluvium, sive narium, vel sanguinem vomentibus, dysentericis : ad haemorrhoidas, radices eius in pusca tritas potui da.

75. Ampelopráson, id est aritillum, in vineis nascitur ; folia porri similia, non grandia, trita, morsui canino succurrunt, urinam movent.

76. Cromeon agrion, hoc est caepa vel civa canina, trita in vino morbum regium curat : trita cum melle morsum caninum antiquum tergit : semen eius in vino venerem movet.

77. Euzomon agrion, hoc est parietaria perdicalis, eruca agrestis canina. Podagrae fervori tritam cum axungia sine sale inponito : semen eius in condito venerem movet.

78. Leuciae, id est violae, genera sunt III, purpurea, albida, et subnigra, una vis. Cocta cum radicibus suis in cathismate vaporato torsiones matricis curat: folia eius trita cum axungia vulnera antiqua sanant. Viola, cuius est color milinus maxime medicamini apta, menstrua provocat. Folia eius tunsa et ceroto mixta rhagadiam curant: cum melle mixta cancrum dentium, quo dentes decidunt, sanat: seminis eius drachma I. cum melle triti genitalibus adpositi menstrua movet: radices eius podagricorum pedibus adligatae prosunt.

79. Cyclamini, id est cymbalariae, sucus cum melle mixtus naribus iniectus caput purgat. Ad hepatis et splenis *dolores* radices eius cum pipere et vino pota.

80. Personaciae, id est lappae, flos tritus in pusca spleneticos, in mulsa calculos: cum sale morsui canis subvenit.

81. Eutychiae felicis, id est scillae, radix trita vulnera veterrima curat: folia eius trita cum axungia testium tumores tollunt.

82. Scolopendria cocta cum menta et apio potuum periculum vitat.

83. Libanotis, hoc est rosmarinum, Latini salutarem vocant ob effectum *. Ante quam tus scirent, de hac herba omnes deos placabant. Radix eius commasticata dentium dolorem tollit: oleo cocta unguito corpus languentis, emendat: trita cum vino pruritus impetigines ut araneas extergit: in aqua ad tertias decocta cum spica nardi, hepatis dolorem tollit. Pulverem eius in ovo sorbili da tussientibus: trita cum pipere et melle pulmones sanat: flos eius tritus cum melle acapno albores oculorum tollit.

* Cod. *affectum.*

84. Polypodium nascitur in teneris petrarum ter-

ris, sive quercubus veteranis. Radix eius in mulsa cocta, cum pipere trita, ventrem sine mora deducit, choleram purgat et phlegma, urinam movet; et cum pulli iuscello coctae radices superdantur.

85. Radiolum, id est felicina, cum punctis aureis contusum ante curiose depurgatur: cum aceto scilli-tico decoctum inunctum capitis dolorem tollit. Radicis eius evulsae cum cortice, depurgatae, coctae cum malvis, ius bibe; sine taedio ventrem deducit. Huius radioli radices purgatae, per triduum infusae in vinum et potui datae, quantum est medius calix, hoc idem faciunt.

86. Lathyridis, hoc est septigraniae, grana VII. in mulsa devorata ventrem deducunt et phlegma, vacuant et humores cerebri. Folia eius cum pullo cocta cathartica sunt.

87 Sycoagrii, id est cucumeris agrestis, sucum in aures instilla dolentes: radix eius cum polenta trita tumores spargit: cum melle et aceto cocta et trita podagricicis cataplasmato: radix eius in oleo cocta per clysterem ischiaticos curat: et araneas in balneis perfricato: radicem eius tritam linito; lentigines et omnes impetigines curat: suci radicum eius drachma, hoc est scripuli tres, ventrem deducunt, et omnes humores et phlegma: hydropicis de suco radicis eius cum cucumere electuarium * conficitur: folia trita umbilico adposita lumbricos excludunt, et alvum concitant: sucus radicis eius mortuos foetus excludit: contra rabidos morsus ex calida pota: sucus eius naribus infusus ictericos sanat, et omnia venena expellit: radicem eius cum axungia tritam podagricis impone, tumorem tollit.

* Cod. al. *elaterium.*

88. Herpylli, hoc est ciceris agrestis, radices in aqua cocta ad urinarum difficultates et ad spleneticos.

89. Tridacon lagion, id est lactuca leporina, id est piligis. Sucus foliorum eius conbusturas sanat.

90. Molocha agria, id est malva agrestis minor, quae cum sole gyrat. Folia eius trita cum modico sale et melle collectiones in angulis oculorum, velut tubera quas aegilopas vocant, spargunt. Sucus eius cum oleo inlitus percussum apum et vesparum conpescit: trita cum lucio capitis acoras tollit: folia eius cocta et cum oleo trita conbusturas curant. Calida ubi coxerit, supersedeat mulier, quae suffocatur a matrice. Radicum ipsius cum sale et oleo coctarum sucum sorbendum da ei qui venenum biberit. In cibo sumpta lactem de mamillis provocat. Semen eius tritum cum bacis lauri in vino vesicae dolores tollit. Cum axungia trita nervorum dolores tollit, et tumores spargit.

91. Prasii, hoc est marrubii, recenter triti sucus exprimitur: melle admixtum et leviter decoctum, tribus cochlearibus, multis diebus, phthysicis, tussientibus, suspiriosis da. Decocti turiones cum irii radice in mulsa potati crassum et concretum phlegma evacuant. In aqua decoctum datur contra difficultates partus, et secundas provocat, et ei qui venenum biberit, vesicae et renibus, et ad serpentium morsus. Sucus eius cum melle putredinem et vulnera curat: tritum cum axungia vetere adpositum lateris dolores tollit, qui ex labore fiunt: unguendo et tumores spargit: cum rosaceo aurium dolorem tollit: tritum cum melle scabias et impetigines tollit, caligines extergit. Sucus eius cum vino datus, dolorem stomachi tollit; et si febricitat, in aqua calida datus. Marrubii et lupinorum farinam pari ponde-

re mixtam in umbilico impone, lumbricos eiciet. Ad condylomata podagrae, hoc est nodos qui in iuncturis exeunt, marrubium combure, eiusque cinerem infrica, sanat. In aqua eius decocta corpus lava, scabiem et impetigines discutit. Ad pulmonum extensionem marrubium ex melle coctum sumat, et sanat. Tunsum cum axungia impositum omnes duricias sanat. Si quis lassus ceciderit in languorem, et nervos doluerit, cum oleo rosaceo permixtum inunge; sine mora sanabitur.

92. Solagi genera sunt II, maius et minus. Contra scorpionis ictus in aqua cocta potatur; lumbricos necat et excludit; simulque folia eius trita umbilico impone.

93. Cindii, hoc est urticae, genera sunt duo. Masculus ustulat; femina cum sale trita morsui canino, ulceribus nigris, cancromatibus, furunculis, parotidibus succurrit, si cum axungia et melle fuerit trita. Semen eius cum aceto tritum splenis duritiam tollit: tritum in ovo sorbili tussientibus prodest, vessicam purgat et ventrem: tritum cum nitro vino melle et oleo omnes immunditias et furfuras capitis tollit. In lavacro utere.

94. Staphyos agriae, hoc est herbae quinque digitorum, grana XV. in mulsa trita et aceto modico, cum pulvere masticis gargarizata, omnem humorem capitis deducunt. Grana VII. trita in mulsa potui data, humores purgant per vomitum: sed post potum prius deambulet quam vomat; et post acceptam potionem oportet mulsae sorbere gluttios III, et gargarizare, ne fauces inurantur. Semen eius tritum cum portulacae suco et oleo, pediculos, pruriginem, et scabiem capitis deducit: in oxymelle tritum dentium causas et sordes curat: tritum cum melle vulnera oris et gingivarum vel faucium curat cum pinna perunctum.

95. Thermosurinos, hoc est lupinus agrestis, tritus cum ervo in pusca datus lumbricos et tineas eicit: tritus cum axungia umbilico infantis impositus lumbricos eicit: in aqua coctus alopecias infantium lavat: in domo aspersa pulices necat.

96. Calamos agrios, hoc est calamus agrestis, id est ferca *, tunsus cum axungia mamillares tumores tollit et omnes collectiones: fructus eius cum urticae semine et aceto vulnera curat quae ex nimio frigore exulcerata sunt.

* Cod. al. *ferla.*

97. Scillitici bulbi medium, quod est album, minutum incisum in oxymelle coctum, cochlearia II. dato cum calida, hydropicos per urinam desiccat: in oleo coctum pulmones curat. Radix eius trita cum aceto paronicias sanat: fit ex eadem acetum scilliticum ad multas causas. Bulbum eius tritum imponito ad omnes morsus venenatos, et per singulas horas renova, donec quiescat dolor. Sucus eius cum melle infusus narium foetorem tollit: in oculos infusum, aciem tergit.

98. Bulbus agrestis, quem in cibo sumimus, et hieron bulbum vocamus, tritus cum adipe caprino articulorum dolores tollit: cum lomento lupinaceo impetigines tergit: cum uva passa et nucliatu limacis et lomento fabacio fracturas glutinat: tritus morsibus omnibus proficit: coctus in aceto ex melle geniculorum tumores tollit.

99. Narcyssi flos in caput infusus cum oleo dolorem tollit: in plaga bulbum tritum in linteo inductum imponito: bulbum eius incidis in rotundum, in merum intingis, impetigines sive livores fricabis: tritus cum melle conbusturas sanat: cum farina et melle sagittam sive sudem extrahit.

100. Asphodelos, hoc est albucium. Radix ipsius drachma I, cum vino, menstrua movet, dolorem laterum mitigat, tussim conpescit, et contra ictu laesos qui interius dolent. Bulbum eius tritum serpentium morsibus imponito, et vulnera sordida expurgat. Sucus radicis eius cum ture et melle vino tepefactus, aurium vulnera curat: sucus eius infusus in aurem aliam ubi dolor dolentis non est, mitigat: radix eius conbusta alopecias expargit, capillos nutrit; oleum autem quod in radices eius excavatas igni superpositum fuerit coctum, conbusturis et pernicionibus prodest: surdorum quoque auribus instillatum, velocem reddit auditum. Radix eius trita maculas albas, hoc est varietates, tollit: flos eius cum vino potatur contra venena scorpionum: radix eius trita morsui imponatur.

101. Colocynthis agria, hoc est cucurbita silvatica, id est galala; interius quod est semen separatum scripul. I. cum mulsa tritum ventrem purgat, choleram, et phlegma: cum melle et nitro et myrrha catapotia sunt cathartica. Ipsae autem cucurbitae confranguntur, et in aqua coctis ischiaticos clysteriabis, phlegmata et fella deducunt: tritae in umbilico positae praegnantium foetus discutiunt: in ipsa sphaera vinum coctum, circumligata argilla ne ardeat, potatum hydropicos desiccat.

102. Hynia, hoc est tubera, trita cum melle omnes tumores tollunt: in aqua cocta calculos frangunt et urinam movent: trita cum axungia parotidas curant.

103. Dracontеae semen tritum expressum cum oleo instillato in aures dolentes. Sucus eius purus in aquam infusus naribus polypum excidit; cum melle odorem foetidum naribus emendat, et cancrum excaecat: semi-

nis eius grana XXX. cum pusca partus discutiunt: radix eius thermanticae virtutis est; in mulsa cocta suspiriosos iuvat, et iumenta quae sumpserint: radix eius cribrata cum melle mixta tussientibus catarrhum et phlegma in pectore movet et excludit: dato cochleari I. cum vino urinam movet et ventrem: radix eius trita cum melle et radice vitis albae, sanat vulnera cancrosa: suco eius in umbra siccato coluria syringia faciant; si iniecta fuerint in pudenda mulierum, partus discutiunt. Radix draconteae siccata cum oleo catarrhum et phlegma in pectore conclusum discutit: siquis hanc radicem manibus confricet, serpentes sine periculo conprehendet: cum aceto inlita varietates corporum extergit: folia eius trita vulneribus recentibus prosunt: cocta in vino perniciones sanant: sucus radicum eius caligines tergit: contra omnia venena et morsus serpentium radices eius tritas cum vino pota: radix eius trita cum axungia ossa fracta de corpore abstrahit: siquis venenum acceperit, dracontea cocta in vino statim potata sanabitur. Si vermes nascuntur in homine aut in pecudibus, radice eius superalligata, moriuntur. Colliges eam mense iulio.

104. Camilia, hoc est turbiscum, habet folia similia oleastri sed amara, quae in mulsa potata ventrem solvunt, et phlegma et fella deducunt: cum melle trita, vulnera sordida curant et cicatricem. Semen eius siccum, quod cucunidim dicitur, in ovo sorbili grana V. dato; catarrhum et tussim antiquam tollit: grana commasticata dentium dolorem tollunt.

105. Amiliae, hoc est cardui fullonici, sucus hepaticos curat, si non febricitant, in vino: similiter et hydropicos. Inveniuntur in cacumine ipsius vermes quatuor, qui in cubito dextri brachii ligati quartanas arcent.

* Ind. *sapa.*

106. Rapa * si frequens comedatur, stomachi inflationes facit : calida, ubi coxerit, podagricum fove : semen eius in vino tritum contra serpentium morsus pota.

107. Rhododaphnes, hoc est libraces, sucus ex foliis vermes in vulneribus necat : cinis ligni eius cum melle mixtus, caligines tollit : in oleo cocta, scabiem tollit.

108. Scoliismus, hoc est carduus niger, tritus cum melle et axungia, ossa capitis fracta extrahit, et perniciones curat.

109. Chamaereon, hoc est carduus silvaticus, stomachi dolorem ieiuno tollit.

110. Personacia, hoc est lappa, viridis tunsa articulorum dolorem tollit : radix eius in mulsa cocta, calculos excludit: cum sale trita, morsui canino succurrit : folia eius conbusturas curant.

111. Capparii, hoc est lappae herculianae, radix trita cum sale morsui canino succurrit : sucus radicis eius vermes curat : turiones eius in acetum infusi per multos dies commixti, stomacho prosunt : radix eius cum ceroto mixta splencticos curat : radicis eius tritae siccae drachma I. cum vino in balneo splencticos per urinam digerit, et calculosos iuvat: in oleo decoctam paralyticis et ischiaticis per clysterem inicito : similiter et aurium dolorem tollit.

112. Althaea, hoc est hibiscus sive malva asinina, in mulsa cocta trita omnes collectiones et tumores qui nascuntur in corpore, cum foeno graeco et lini semine imposita spargit : in vino cocta foveto hoc vitium : sucus radicum eius in aqua coctarum, admixto adipe anserino, et terebentina, modicus in lanam iniectus, matricis fervorem et praefocationes tollit : radix eius in vi-

no cocta potui *data* difficultates urinarum tollit, et calculosis et ischiaticis in pusca et colicis prodest, dentiumque dolorem tollit: semen eius tritum cum aceto in sole inlinito, maculas corporis tollit: radix eius in aqua cocta per clysterem disentericos et fluxum ventris curat: semen eius in vino coctum, apum et venenorum vulnera curat: ad suffocationes matricis, et ad dolorem testium vel veretri tumorem aut duritias operatur, si cum axungia radix eius cocta in aqua fuerit trita et inposita: folia eius trita cum oleo usturis medentur: cum axungia vetere podagrae et geniculorum dolorem tollit: radices coctas in aqua foveto, et ipsas cum axungia liga super plaga; in aqua cocta intestina foveto.

113. Narthecis, hoc est ferulae, suci drachma I. in vino alvum movet et venena excludit: cum melle attico caligines tollit: semen eius caerios dicitur, tritum in vino potui *dato* in lavacro, morbum regium sanat: cum pipere et lauri bacis in oleo tritum, omnes dolores ex frigore natos sanat.

114. Silion, hoc est puligaduria: seminis eius acetabula IIII. pars heminae est adpendens drachmas XII: cum aqua tritum, ut emplastrum, collectiones omnes et parotidas sanat: tritum cum aceto umbilicos maiores infantium reprimit: folia eius trita cum rosaceo ad capitis dolorem fronti inlinito: semen eius cum aceto hemicranium sanat.

115. Helenium, hoc est inula, cum melle tritum tussientibus medetur: a ieiunis commasticatum dentium dolorem tollit: folia eius in vino trita contra lumbricos inponuntur. Ad vesicae dolorem inulae campanae, apii semen, et asparagi foeniculi radices in vino tritas et tepidas potui datas efficaciter prodesse dicimus.

116. Polion floribus candidis, ut cani hominum, ideo polion dicitur. Ad epilemticos et lunaticos cum aceto scillitico ante accessionem potui da.

117. Paeonia nocte lucet, hastula rubra in modum thyrsi, inventa a Paeonio. Si hanc lunaticus secum portaverit, numquam ei malum accidit. Ad ischiaticos radicis partem alligabis; lumbo qui patitur circumcinges. Si eam in navi habueris, tempestatem conpescit, si mundus utaris: radix alligata collo lunaticis et ischiaticis proficit.

118. Bryonia, quam quidam dicunt rosam asinariam, eadem et glycis ob dulcem saporem, longos ramos de se in diversa mittens. Masculus habet folia in modum nucis; semen quasi olusatri, grana habet rosea, aliqua vero nigra, radicem candidam similem digitis longis, gusto styptico, unde a quibusdam dactylus dicitur a digitorum similitudine: vocatur et penterupina a numero granorum quinque: balani sementes mittit, quasi albucius. Radix eius sicca cribrata cum vino mulieres post partum purgat: dolori quoque ventris prodest: nephriticis et vessicae dolentibus vinum, in quo radix eius coxerit, medetur: grana eius rosea X. relaxationem matricis constringunt: pueris sanitatem ex calculo reddunt: eadem grana rosea comeduntur contra dolorem stomachi; nigra vero trita cum aqua inguinum dolorem tollunt.

119. Mandragora dicitur et apollinaris: genera sunt duo, masculus et femina; sed femina rubea, masculus vero albidior, sed una virtus. Cum polenta trita imposita, fervorem oculorum mitigat, et collectiones ac duritias spargit, et ulcera sanat: radix eius cum aceto trita ignem sacrum curat: cum melle et rosaceo tritam in-

pone serpentium morsibus: cum polenta articulorum dolorem tollit et sanat. Corticis radicum eius libras III. vino mixtas in amphoram mittito et reponito ut maturescat: exinde dato potui IIII. cui aliquid secandum est: mox ut biberit, saporem facit et incisionem non sentit. Mala eius odorata phreneticis saporem faciunt, si cum radicibus eius in vas fictile sole cocta, ut assidue agitentur, donec in crassitudinem mellis veniant, ad medicinae usum reponatur. Radices eius siccae et tunsae omnibus vulneribus medentur. Semen eius in vino da potui arthriticis et nauseantibus. Huius herbae feminae folia similia lactucae: ipsa mala generat. Masculi vero folia similia betae.

120. Squilla campestris, quae rosea est, vitari debet; montana vero, quae alba est, potius eligenda. Si fermento aut argilla inclusa coquatur in furno usque ad magnam mollitiem, tunc omnibus eius tunicis proiectis, et quod medium est in frusta concisum, aqua coquatur saepe mutata, usque dum nec salsa sit ipsa aqua nec amara: postea partes ipsae lino per intervalla inserantur ne se tangant, et in umbra siccentur: hanc unam partem tritam cum salis assi partibus octo, aquae hemina I, ventrem et bilem deducit, urinam provocat, hydropicis, stomaticis, ictericis, torsionibus intestinorum, suspiriosis, flegmaticis prodest. Si tres scripuli triti cum melle coquantur, et quantum unum cochlear acceperit, omnia eadem faciunt: sed maxime stomacho prosunt ad digestionem cibi. Semen eius tritum cum melle attico ventrem solvit.

121. Ordivelium, hoc est verbena, cum foliis et omnibus radicibus tritum serpentium morsibus medetur. Vulneribus quoque bene adponitur. Foliorum eius una

cum thyrsis scripuli III, cum vino vetere calido, ieiuno per quatriduum dentur; arquaticis prosunt. Folia eius trita in modum cataplasmatis tumores et fervores mitigant: putredines quoque oris et faucium herba tota in vino decocta et gargarizata serpere ad interiora non patitur: tertianis medetur si diu nuces tres teneantur, ad quartanas autem quatuor.

122. Psyllion, sive pulicaris, virtutem habet frigidam: huius semine acetabulum plenum teratur et in aquam duabus cotylis missum, quando coagulaverit, impositum parotidas et omnes collectiones, infantium umbilicos prominentes sanat.

123. Gramen, hoc est agrestis, sive asefolium *. Gramen decoquis, cum eius flore teris, et in panno lineo inponis ad splenem; statim senties beneficium. Gramen quidem in se trifolium habet, et in plura dividitur: decrescente luna sublatum, quantum volueris, habeto diligenter. Lippis incipientibus ad collum ligatum celeriter inpendentem epiphoram discutere creditur. Radices eius decoquis ad tertias in vino, et inde dabis plenum calicem ieiuno bibere per triduum; splenis dolorem et urinam solvit.

* Ita cod.

124. Bryonia a Graecis dicitur ἄμπελος λευκὴ, a Romanis abutaminium, ab Italis vitis alba. Ad splenem in cibo data per urinale digeritur. Haec herba tam laudabilis est, ut in theriacas potiones mittatur. Si in capite ponas vel in cinctu eam portaveris, nulla te mala contingent.

125. Erigonon, quam Latini senecionem vocant.

Explicit lib. II.

DE RE MEDICA

FRAGMENTUM

LITTERIS ANTIQUIS SCRIPTUM

IN CODICE VATICANO.



Ad caput calidum lavandum. Nitri assi et triti uncia una, mel coctum, vitella ovorum tria. Haec teres in unum, et ante pridie infundes in aquae congium unum cum sesamo, rosa sicca, cypero, foeno graeco ad tertias; et lava cum supradicto medicamine et cum ipsa aqua caput. Item ad profluvium mulieris; picem mundam mittes in caccabum. Et mox si remiserit, mittes super spongiam . . . Et mox ut exarserit pix et spongia tota, tolles de foco, et cum refrignerit, facies pulverem et sparges in aluta super tabula calentem, et cum sesamo pones unum in umbilico usque ad pectionem, et alium ad renes.

Ad capitis diversos dolores. Quod si capitis dolor nimius propter calorem obvenerit, convenit sine sale oleo roseo et non vetere infundere cutem capitis: et parcius erunt unguenda posteriora capitis loca, id est in initio: neque enim hoc sine causa praecipimus; quia in initio medullae spinalis haec passio accidit. Non invento oleo, de omphacio ungnes oleo: si neo hoc fuerit, camilino. Infantibus pueris vel mulieribus, et

quibus molles sunt vel solutae carnes, quibus expediunt infrigidare loca nimis, hoc modo offerenda sunt adiutoria. Necesse est ut in aqua nimis frigida, et si nivata fuerit, in eo vase in quo oleum est, deponendus est. Quod si haec non sint, admisce aceto olei rosei quandam partem. Nimium autem accensa ex testo inflammatione, superaddes oleo sucos semper vivae herbae aut portulacae aut lactucae, aut psilon aut omphacion, id est sucos uvae acerbae. Admisce interdum et rasurae cucurbitae sucos. Si autem de frigore caput doluerit, caput fomentabis oleo rosacio aut laurino. Si autem opus habuerit ut nimis calefiat, euphorbium mittes in oleum modice, et ungues caput oleo nardino aut amaricino, et frontem inlines de oleo ubi euphorbium tritum est; et simul nares et aurium poros; quidam autem et pedum plantas unxerunt et anum. Diuturna vero iam effecta passione ex calore aut frigore, et generato dolore ex distemperantia, radi oportet caput. Utere autem in eis per cerotum propriis medicaminibus. Frigida enim per ea quae calefaciunt, calida vero per ea quae infrigidant distemperantia . . . de quibus sanantur erysipelae. Calefacere autem quae frigida sunt per ea quae calefacere possunt, qualia sunt simplicia de euphorbio, unum quidem de euphorbio habens ÷; III. vero uncias cerae, et olei libram unam. Quod si ex acribus humoribus dolores capitis fiunt, qui in stomacho congregati vaporibus suis caput inquietant, hos magis per vomitum evacuare oportet qui laedunt humores . . . ministres digestoria, ita ut hora tertia aut quarta panis quid offeras, tantum quantum sufficiat: et post, dato spatio paene horarum quattuor, lavet. Si autem aliquis solum panem ederet,

aut uvam passam, aut dactylos, aut his similia, multum dabis quod suavius est molliusve. Igitur passiones ex malis stomachi consistunt humoribus, qui etiam in tunicis ventris insinuantur, quos vacuare oportet per aloëticam . . . Si autem superveniet febrientibus capitis dolor . . . in frigidis qualitatibus sunt adhibenda adiutoria, qualia sunt eleoxyrhodini, id est olei rosei cum aceto, quarta pars, et papaver coctum in oleo. A vino autem absteneant qui dolores capitis patiuntur, et qui infrigidant . . calidi enim sunt vapores qui caput laedunt: roseum oleum ei sufficiet: non satis frigidum adhibere debet. Expedit autem eum requiescere et dormire, et ad vesperam lavare: et si cibis euchymis utatur non calidis, quales sunt ptisanae sucus, et sorbitiones de alica et uvae urbi . . . sine liquamine, et lactucae frigidae, et caules brassicae; siccant enim vapores; similiter autem et lenticulae. Bibat autem omni tempore aquam. Quod si . . . melogranata mittes, aut mela quoque aut pirum. Somnum post haec faciat. Sequenti die lavet calido lavacro, et aquam calidam superfundat sibi saepius. Post haec iterum dormiat aut requiescat. Lavet alia . . . patientes . . . ii post solem transmutatum non vident. Curabis . . . hepar hirci; et qui ex ipso, dum assatur, humor fluit, inungues; et ipsum hepar das ad edendum, et asini recentem fimum per linteum colas, et inungue. Sanus autem est qui in die inculpabiliter videt, nocte autem peius.

Ad percussum oculum. Quibus autem ex percussu oculi sanguinolenti fiunt, initio adhuc inflammatione non existente, columbi sanguis calidus aut turturis purgat, et fomentatio cum spongia, sale modico aquae admixto, si non tunica oculi laesa est. Tale aliquid si con-

tingat, aqua sola fomentabis. Bene utique fit sic. Cum lana, ovo cum oleo mixto, leviter superpones oculo, et . . . viridis folia cataplasma. Iuvat autem et ovorum vitellos in foco duratos, et cum vino teritos cataplasma inpositos. Sed et folia brassicae cataplasma inposita . . . sazemalops dicitur hyssopi cucuma teres, et ligas linteo, et depone eum in *olla* fervente, et lavas, et *in*pone oculis . . Subsequitur sanguis; ipsum linteum . . pressum, consistentem tumorem ex percussura fomentas cum spongia frequenter: et sic postea nova] spongia in pusca infusa superinpone. Inveterata vero passione facta, sinape tritum cum aqua adpone aine intermissione et auferetur.

Ad pilos adulteros in palpebris. Pilos adulteros in palpebris nascentes, quidam cum vulsella evellunt: sed post modicum dolent amplius renascentibus pilis et pungentibus prius quam evellantur. Utilius est glutinare eos ad ordinales pilos de pice et gumme. Optimum autem medicamen fit hoc modo: confectum mastice et cera et libano et pice sicca in uno adunatum masticato simul, donec adunatum permisceatur; et fac ex hoc trochiscos, et repones; et cum opus fuerit tolles spathomilem calefactam ut resolvat medicamen, et tanges pilos ut glutinentur . . . .

Ad oculorum dolores . . . sucum eius inunguimus; triticum vero super lamina ferrea ignita assantes, et teritum cum vino, unguimus palpebras.

Ad eos qui in palpebris pilos non habent, *seu* ceciderunt. Soricum stercus . . . uti et calami cretici cinerea duplo X. cum melle inungues. Hoc et alphos iuvat, et revocat pilos.

Ad oculorum rupturam. Lithomatitin fricato in cute cum lacte mulieris. Item aliud. Agni folia teris cum aqua et alphitum cataplasma inpones, mala cidonia cocta in vino puro teris, et cataplasma inpones.

Ad palpebras pinguis et sanguineas. Mali granati seminibus reversam palpebram fricas spathomile calida; aut folia fici cum melle inlinis, aut vinum aut siccum mel mixtum superinunguis . . .

(*) Ex medicorum libris loca laudantur in pervetusto magnae molis lexico ms., quod vidi manuque trivi. Veluti voc. *aegilopium*. " Pandecti * medici: aegilopium est vulnus quod „ intra oculum nascitur „. Rursus. Pandecti medici: alopicia „ quae in capillosis locis generatur, et ingerit foeditatem. „ Est autem capillorum fluor circum inscriptus quam Graeci „ psilosin vocant. Est autem passio stricturae. Denique ge- „ neratur haec causa ex malis humoribus. Ex quali autem „ humore haec causa generata sit, sic agnoscis: si fuerit „ alopicia alba, scias ex phlegmate generatam; si viridis, „ ex felle rufo; si nigra, ex felle nigro „. Et inferius: " Ex „ libris artium: amomum frutex est thyrsi botruosi. Nascitur „ in Armenia, et cinnamomi virtute simile conprobatur. De- „ nique miscetur in recuperativis antidotis; odore etiam bo- „ no somnos suavificat „. Denique. " Ex libris medicinali- „ bus: sphincterici hii quibus in orificio, hoc est ano, mul- „ tae fiunt causae, id est condylomata, hoc est glandulae; „ aut acrochordones, id est verrucae, vel puciae diverso- „ rum generum, magnitudine ut granorum pisae fabae; ali- „ quotiens tumor eminens, ut ipsum orificium claudere vi- „ deatur „.

* *Ita cod. gen. masc.*

HISTORIAE ROMANAE

FRAGMENTA

EX CODICE VATICANO [1].

I. BELLUM MITHRIDATICUM.

Romano autem imperio in diversis partibus orbis terminato, quidam rex Pontos insulae [2] Mithridates dictus, romano imperio rebellis, Nicomedem regem Bithyniae regionis cuiusdam minoris Asiae, socium et amicum Romanorum, bello temptavit: qui vero Romanis per nuncios suos obsidionem Mithridatis notificavit. Romani quidem accepto nuncio suo, miserunt legatos ad Mithridatem, ut de obsidione socii eorum desisteret. Itaque ille audita legatione eorum, vehementer in iram permotus, quod talia ei nunciare auderent, non tantummodo Nicomedem ex regno expulit, sed Ariobarzanem regem Cappadociae socium Romanorum, et regem Paphlagoniae. Deinde ad Ephesum principalem civitatem

(1) Codex hic vat. non ultra duodecimum saeculum assurgit, nisi forte est tertii decimi.

(2) Auctor non satis fortasse eruditus, neque tamen contemnendus. Ceteroquin insulam interdum dici regionem, cuius tria saltem latera mare ambit, cuiusmodi est Asia minor, in qua Pontus, compertum est.

minoris Asiae transivit, et quoscumque Romanos ibi invenit, interfecit: et fecit edictum, ut ubicumque Romanus in suo regno inveniretur, statim ab hospite suo interficeretur: et si hospes ei parceret, pro eo animam daret. His itaque factis, misit quendam ducem Archelaum nomine cum innumerabili exercitu, ut totam Graeciam sibi subderet. Qui autem Graeciam atrociter ingressus totam.devicit; Athenas intravit, et in Piraeeo castra locavit; qui quidem locus triplici muro erat munitus. Quae postquam Romani cognoverunt, Syllam dictatorem creatum cum exercitu contra Archelaum miserunt. Qui cum venisset Athenas, commisso bello, infinitum numerum exercitua Archelai prostravit. Quod cum audisset Mithridates, misit ei auxilium septuaginta milia: et tamen commisso bello, victus est Archelaus. In tertio vero commisso bello inter fluvium et paludes detrusit quosdam. Sylla commotus de crudelitate quam fecerant in Romanos, aspere illos persecutus est, et quosdam in paludes detrusit, quosdam ferro extinxit, tametsi veniam petissent: et interfecta sunt ibi XX. milia; et Archelaus victus cum paucis effugit; Sylla autem ad comitia Romam perrexit.

Et missus ·L· Lucullus contra Mithridatem, qui Cyzicon oppidum quoddam in Graecia tunc obsederat. Lucullus vero postquam illuc advenit, obsedentem obsedit. Et ne Cyzicenses eius adventus ignari essent, elegit quendam peritum navigandi, qui super duos utres iacens, et regulam quandam in sinistra tenens, dextraque subnavigans, per VII. milia passuum navigavit ad oppidum, Cyzicensesque consolatus est, dicens Romanos eorum auxilio venisse. Interim Mithridatis exercitus fame constrictus, vallo fracto, exivit; et commisso bel-

lo, a Lucullo penitus prostratus est, exceptis paucis qui cum Mithridate in navicula et myoparone mari profugerunt in Asiam in Dastracum montem, ut ibi rex congregaret exercitum. Lucullus vero captis aliquot urbibus in Asia, perrexit Romam ad comitia.

Tum quidem Pompeius missus ad bellum, postquam in Asiam venit, Dastracum obsedit. Itaque Mithridates obsessus dixit se persequentes persequi velle; et instructo exercitu, Romanos ex improviso invadero proposuit. Sed Romani eorum adventu cognito, a Pompeio ordinati et praemoniti sunt. Cumque hostes advenissent, luna a tergis Romanorum existente, umbram illam Romanos esse credentes, frustra tela sua emiserunt. Deinde Romani eos aggressi omnes paene fuderunt, praeter regem qui cum paucis trahens equum, perplorans, et ad omnem strepitum foliorum pavens, in Phanagorium oppidum profugit: et interfecta fuerunt de exercitu eius XL. milia, cum ex Romanis non amplius quam XL. viri interfecti essent, et tria milia vulnerata.

Interim quidam praepositus eius terrae, Castor nomine, in quo maxime confidebat rex, cum Pharnace filio regis ad Pompeium *se* transtulit. Itaque rex ab amicis derelictus et ab hostibus *obsessus*, postquam vidit sibi nullum locum fugae esse, interfectis duobus filiis Oxathre et et Machare, ascendit murum, et talibus verbis 'alloquutus est Pharnacem filium suum: "Pharnacees fili mi, patri tuo succurre, et ex ista obsidione me eripe ,,. Qui tandem interdicto auxilio sibi a filio, dixit: " o patrii ,, Dii preces exaudite paternas, ut sic quandoque filius ,, meus Pharnaces ab filiis suis derelinquatur, ut ego ab ,, illo derelictus sum,,!Postquam talia dixerat, in aulam

suam perrexit, et dato veneno uxoribus, et filiis, et filiabus, et omnibus amicis suis, ipse in postremo dirum hausit venenum. Sed enim prius potiones contra veneni periculum sumpserat, et ita istud sibi nocere non poterat: sed tamen existimans, veneni calefacti per venas dispersionem sibi mortem inferre posse, cursu circa palatia sua se fatigabat; et cum videret sic nihil proficere, Romanis iam murum irrumpentibus, cuidam intranti collum praebuit; qui vero gladio extento, ictu non reiterato, ei caput amputavit, et sic bellum quadraginta annis protractum finitum erat.

II. BELLUM CIMBRICUM.

In tempore belli iugurthini multae Galliae gentes romanum delere imperium coniuraverant, scilicet Teutones et Cimbri, quos duxerat Teudobus: Tigurini, Ambrones, quibus imperabant duo reguli, scilicet Libuus et Boiurix. Quibus enim sic Romam petentibus, duo consules romani Publius Scipio, et Quintus Marulius haud longe ab Rhodano occurrerunt, datoque signo, eos invaserunt: hostes vero furore repleti, acies Romanorum perturbantes octoginta milia in bello prostraverunt, et quadraginta equites ceperunt, nec eos vivere permiserunt, sed suspendio extinxerunt. Itaque ipsi duobus ducum castris potiti, nescio qua execratione omnia eorum spolia contempnentes, vestesque abscissas, aurum et equos eorum collis molaribus ligatis in Rhodanum proiecerunt. Quod postquam Romae compertum erat, non solum luctus sed pavor civitatem invasit, eorum timentem impetum. Inito tandem consilio, Mario absenti, Romamque Iugur-

tham vinctum adducenti, consulatum decreverunt. Marius vero postquam tritumphaverat, accepto consulatu, legiones scripsit. Omnibus itaque rebus necessariis praeviis, cum electis legionibus, infestoque exercitu, usque ad Rhodanum fluvium eis obviam procedens, montem haud longe a castris eorum remotum natura munitum, cum omni exercitu ascendit. Quem autem hostes tribus diebus assiduo assultu frustra temptati, Romam firmo proposito, agmine tripartito, petere decreverunt: hos quidem abeuntes agmine quadrato Marius paulatim insecutus est. Quod cum illi *cognovissent*, agmine diviso Tigurini et Ambrones Mario obviam processerunt: Cimbri vero et Teutones Alpes transierunt. Hoc autem videns Marius in locum munitum, sed aqua carentem se recepit, et hostes statim eius castra circumdederunt. Enim vero Romani siti propterea fatigati Mario imposuerunt, quod eos sponte tradidisset; quibus ille sic respondit: "Aquam in conspectu habetis, sed via ferro vobis est aperienda,,. Postea vero, inito consilio, lixas et calones praemisit, qui primum bellum inciperent, quos cum exercitu ordinato et infesto insecutus est: et bello mane commisso acriter pugnaverunt usque ad meridiem, cum hostium corpora more nivis defluentis calore solis distabuerunt, et ducenta milia ex hostibus ibi interfecta erant, et quadraginta capta: quorum quidem mulieres cum Mario conditionem facere voluerunt, ut liberae in templo Vestae Romae servire possent; quod cum Marius eis interdixisset, mutuis vulneribus se interfecerunt. His itaque interfectis, Marius Cimbros et Teutones persecutus est, qui iam lavacris et molliori aura Italiae amolliti erant. Quibus statim postquam appropinquavit bellum indixit, et in altero die in nebula ortus diei acies

suas ordinavit more Hannibalis hostis sui insecutus. Ita exercitu ordinato, hostes ex improviso invasit, et quosdam arma capientes, et quosdam iam armatos defendere *se* volentes prostraverunt; et sine laesione exercitus caesa erant ibi centum milia, et sexaginta milia capta. Quos autem interfectos postquam illorum mulieres viderunt, sibi ex curribus propugnacula fecerunt, et Romanos acriter impugnaverunt. Romani quidem postquam diu contra illas pugnaverant, ita nimis permoti eas foede prostraverunt, earum crines cum cervicibus abscindentes. Quod cum aliae viderent, quaedam se mutuis vulneribus interfecerunt, quaedam se invicem prostraverunt; quaedam vero in temonibus plaustrorum laqueis se suspenderunt: inter quas quaedam mulier nobilissima in temone plaustri suspensa duobus filiis suis in utroque crure laqueatis reperta erat.

III. BELLUM MARIANUM.

His ita peractis, Marius Romae plerisque dixit, si sibi dimidia pars exercitus Syllae traderetur, se in brevi tempore Mithridatem et eius ducem Archelaum in catenis habiturum. Quod cum Sylla audisset, ira impatienti commotus, et volens se in Marium ulcisci, subito cum quatuor legionibus Romam venit. Cuius vero adventum cum Marius accepisset, ad nobiles confugit ut ei succurrerent. Negato autem sibi auxilio a nobilibus ad populum confugit: sed postquam nec ipse ei succurrere voluit, servos conditione libertatis et rapinarum convocavit, et commisso bello contra Syllam in Capitolio, interfectis omnibus suis vitabundus tela hostium effugit in Minturnas paludes et ibi latuit, quo Sylla persecutus est

eum, et Marium fimo foede oblitum extraxit. Quem autem Sylla incarcerari iussit, et in die terminato a quodam Cimbro decollari, et statim ad bellum profectus est. Postquam vero dies advenit, in quo Marius occidi debuit, adductus est Cimbrus quidam in carcerem, qui cum iam gladium extraxisset, solo visu Marii exterritus est. Itaque, illo stupefacto, Marius de carcere evasit, et in Africam transfretavit: ibique servos ac reos convocavit, quem etiam multum adiuvit Domiscrix dux Carthaginiensium et Ierta rex Numidarum, et congregato magno exercitu pervenit in Italiam: quam quidem aspere ingressus est. Namque destructis oppidis et civitatibus, omnes delevit, praeter solos patriae proditores: et associati sunt ei Cinna, Carbo, et Sertorius, quorum proditione Romam intravit, ibique multa severe commisit; et permissa licentia suis interficiendi quem vellent, capita nobilium in templis Deorum ei obtulerunt, et conviviis repraesentaverunt, et in foro quasi munus pretiosum ei dederunt. Peracta quidem magna caede Marius in ipso anno in quo violenter civitatem ingressus fuerat, morte felici mortuus est. Cui autem successit Cinna. Hic quippe cum servi, qui cum Mario civitatem intraverant, multa nefaria facinora contra eius prohibitum facerent, omnes in forum convocavit, quasi ad stipendia accipienda, et ex eis quatuor milia interfecit: qui Cinna postea a suis propter crudelitatem suam interemptus est.

IV. BELLUM SYLLANUM.

Interea dum haec Romae agebantur, senatus et nobiles, qui superstites marianae caedi, nuncios ad

Syllam miserunt ut reipublicae periclitanti, immo iam perditae, succurreret. Quorum sane nuntio accepto, cum exercitu infesto Romam perrexit: cuius adventum cum iuvenis Marius audisset, qui tunc consul in civitate erat, Lamponium ducem Samnitium in auxilium sibi advocavit. Praeterea erat quidam praetor in civitate, Carinas nomine, qui plurimum eum adiuvit. Sylla autem adveniente, occurrit ei Carinas in Sacriportu, et commisso bello cecidit ipse Carinas et XXII. milia ex suis. Illis vero interfectis Sylla Romam venit: cui quoque Lamponius in Collina porta occurrit, et in illo proelio de exercitu Lamponii caesa sunt octoginta milia. Itaque illis prostratis Sylla urbem intravit, et magnam stragem in ea fecit. Erant praeterea quatuor milia de marianis militibus extra urbem, qui Syllae nuntios miserunt, ut si vellet, foedus et amicitias secum facerent. Quibus vero Sylla respondit ut pacifice venirent, et pacem suam haberent. Qui cum venissent omnes a Sylla pariter mortem subire iussi sunt. Postea quidem Sylla facta quaestione cum plebe, in foro interfecit octo milia. Tunc quidam Catulus dixit Syllae; quid consilii erit nobis? nam in bello perimus, in pace interficimur. Cui Sylla respondit, illam rem sibi curae esse, et fecit proscribere octoginta milia.

V. BELLUM SERTORIANUM.

Dumque talia in urbe agerentur, Sertorius timens Syllam, in Africam et in Hispaniam fugit. Carbo vero in Africam fugere voluit, sed Pompeius iussus a Sylla illum persequi, interfecit eum in Sicilia. Postquam enim Carbonem interfecerat, iussit Sylla ut omnes Marii fau-

tores persequerentur. Itaque Pompeius parato navigio venit in Africam, et ibi Domitium ter obsedit, et obsessum interfecit. Illo quoque interfecto, persecutus est Iertam regem Numidarum, qui sane ad Bogudem filium Bocchi regem Maurorum confugit. Sed quia Bogudes socius erat Romanorum, non recepit eum. Tunc quidem ille in Bullam civitatem fugit, ubi a Pompeianis interfectus est. Itaque Pompeius victis hostibus Romam reversus est. Sane Sertorius postquam in Hispaniam venit, Afros *auxiliares* commovit ut contra Romanos bellum inciperent; qui quidem socios Romanorum eis favere nolentes graviter oppresserunt: quod cum Romani. audissent, timentes, ne subito in eos ruerent, miserunt duos consules in Hispaniam, Metellum scilicet et Domitium, qui Sertorium et eius fautores bello opprimerent: contra quos autem Sertorius misit quemdam ducem suum Hirtuleium; qui vero in primo congressu Domitium et totum exercitum oppressit. Metellus enim fugit ad Mallium proconsulem, ut ei succurreret: qui quippe cum tribus legionibus et mille equitibus et quingentis obviam Hirtuleio processit. Sed enim exercitu suo contrito, victus ab Hirtuleio vix fugit. Quod postquam Romae cognitum erat, missus est Pompeius in Hispaniam non pro consule sed pro consulibus. Quo cum venisset, audivit iam Sertorium quamdam civitatem Romanis confoederatam, Lauronam scilicet,. obsidere. Cum quo quoque signa statim contulit, cum non haberet nisi triginta milia peditum, et mille equites, Sertorius vero sexaginta milia peditum et octo milia equitum. Sed Pompeius victus est. Sertorius autem victorem iam se credens obsedit baeticam quamdam aliam civitatem Romanis confoederatam, ubi quidem Pompeius iterum signa secum

contulit. Sertorius subito ex Pompeianis decem milia prostravit : Pompeius totidem ex Sertorianis ex altera parte prorumpens contrivit, et tandem neuter illorum victor discessit. Sed enim Sertorius postea a suis dolo interemptus est.

VI. BELLUM GLADIATORIUM.

Romanis autem gladiatorios ludos Capuae agentibus, commoti sunt gladiatores numero sexaginta duo; Spartaco, Crixo, et Oenomao ducibus illorum existentibus, multos sibi adiunxerunt, et multa scelera por Italiam commiserunt : Vesuvium autem montem muniverunt ut pariter sociis omnibus receptui esset, si quid adversitatis eis forte accidisset. Cumque Romani audirent illorum facinora, quae per diversas partes Italiae agebantur, timentes eorum impetum, Clodium praetorem cum magno exercitu contra eos miserunt : qui quidem cum signa contulisset, victus a Spartaco profugit. Et iterum,. congregato exercitu, cum bellum commisisset, interfectis omnibus suis, vix illorum crudelitatem effugit. Postea vero Romani miserunt duos consules, Lentulum scilicet et Gellium; qui cum appropinquarent illis hostes, ordinato exercitu eis obviam processerunt. Commisso bello, interfectus est Crixus a Gellio : Spartacus vero Lentulum fugavit, et omnem exercitum contrivit : qui sane resumpto exercitu iterum Spartacum et Oenomaum impugnaverunt; sed victi profugerunt. Romanis itaque ducibus totiens victis, missus est quidam Gaius Cassius cum magno exercitu contra illos : at illum et eius exercitum Spartacus penitus contrivit. Ex qua victoria hostes animis elati, multa nefaria fa-

cinora et in virginibus et in nobilibus matronis per Aemiliam commiserunt [1]. Quamobrem Romani ·M· Crassum cum exercitu strenuissimo obviam hostibus miserunt: contra quem Spartacus omnes Gallos et Germanos, quos in suo comitatu habuit, misit: ex quibus Crassus iuxta Silarim fluvium XXX. milia prostravit. Quod postquam Spartacus audiverat, obviam Crasso processit cum exercitu, et commisso bello, cecidit ipse Spartacus et sexaginta milia ex suis: octo autem milia capta erant. Sicque victis hostibus Crassus victor Romam rediit.

---

(1) Confer Sallustii fragmenta historica ex vaticanis membranis emendate demum edita, apud me in hac collect. T. I. sub fine. Item pretium operae erit, quod adtinet ad superiora capita, conferre Iulii Exsuperantii (qui in codicibus vatt. appellatur Iulius grammaticus) similis argumenti opusculum editum de bellis civilibus Marii, Syllae, Lepidi, Sertorii.

ARS
DOMNI BONIFACII
ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

EX ANTIQUO CODICE VATICANO.

Partes orationis primus Aristoteles duas fertur tradidisse, deinde Donatus octo definivit, sed omnes ad illa duo principalia revertuntur, idest nomen et verbum, eo quod ex illis nata esse dinoscuntnr, et eodem testante Donato, mnlti plures, multi pauciores partes orationis putabant. Ab illo autem hoc modo digestae repperiuntur. Partes orationis sunt octo. Nomen, pronomen, verbum, adverbium, participium, coniunctio, praepositio, interiectio.

DE NOMINE.

Nomen est pars orationis, cum casu, rem corporalem, aut incorporalem, proprie, communiterve, significans: proprie, ut Roma, Ninive, Tiberis, Tigris, Sion: communiter, ut urbs, flumen, mons. Nomini accidunt sex: qualitas, conparatio, genus, numerus, figura, casus. Qualitas nominum est qua intellegitur utrum proprium nomen sit an appellativum. Species propriorum nominum

quattuor sunt : praenomen , nomen , cognomen , agnomen. Praenomen est quod nomini praeponitur : ut Publius Cornelius. Nomen quod originem familiae declarat , ut Cornelius ; Cornelii enim omnes in eo genere dicuntur. Cognomen quod nomini subiungitur , ut Scipio. Agnomen vero quasi accedens nomen ut Scipio africanus , aut Metellus creticus , quia Cretam subegit.

Appellativa autem, quae communia sunt, et multorum significatione consistunt, in viginti et octo species dividuntur. Primae ergo speciei sunt corporalia , quae videri tangique possunt , ut terra , homo , mare. Secundae incorporalia, quae carent corpore, et nec videri nec tangi possunt , ut veritas, iustitia , pietas. Tertiae positionis quae nec aliunde nascuntur , ut mons , schola. Quartae derivativa ut montanus, scholasticus, quae a nomine deducuntur. Quintae diminutiva ut scholasticulus, parvulus. Sextae quasi diminutiva, origine tamen carentia , ut tabula , ferula , macula. Septimae quae ex toto graece declinantur , ut Themisto , Calisto , sic enim et graecus , et latinus dicit. Octavae quae ex toto in latinum convertuntur : nam graecus dicit Odysseus, latinus Ulixes. Nonae media, quae et notha, ex parte graeca sunt, ex parte latina , quae corrumpunt ultimas syllabas, manentibus prioribus , ut apud Graecos , Alexandros , Menandros , Agamemnon : apud nos Alexander , Menander, Agamemno. Decimae homonyma, hoc est uninomina, quae in uno nomine diversas significationes habent, ut acies, aries. Undecimae synonima , id est plurinomina , eo quod sit in pluribus nominibus significatio una , ut terra , humus , tellus , solum. Duodecimae patronymica, quae a patribus et matribus avisque descendunt, ut Pelides, Atrides: ex his quae graeca sunt sive masculina

fuerint sive feminina graeca regula melius proferuntur, quorum masculina aut per des exeunt, aut per ius aut per on, ut Atrides, Atrius, atrion: sed on terminata latini non recipiunt: feminina autem per is exeunt, aut per ius, aut per, ne ut atris, atrias, atrine. Tertiae decimae etetica id est possessiva in ius exeuntia ut evandrius ensis. Quartae decimae modiae significationis quae ab aliis epitheta dicuntur, ut magnus, fortis, quibus nisi adicitur aut vir aut exercitus aut aliquid huiusmodi, semiplena pendere dinoscuntur. Quintae decimae qualitatis, ut doctus, pulcher, felix, niger, albus. Sextae decimae quantitatis, ut longus, brevis, altus, humilis. Septimae decimae gentis, ut graecus, francus, gallus, italus. Octavae decimae patriae, ut alexandrinus, romanus, thebanus. Nonae decimae numeri, ut unus, duo. Vicesimae ordinis, ut primus, secundus, sed sicut dicimus de multis primum, *ita* de duobus priorem. Vicesimae primae ad aliquid dicta, ut mater, pater, frater, soror: nam soror non dicitur nisi cui frater aut soror est; nec pater, nisi cui sobolis est. Vicesimae secundae sunt ad aliquid dicta, aliter quodammodo se habentia, ut dies, nox, lumen, tenebrae, dexter, sinister. Vicesimae tertiae generalia, quae multarum rerum sunt, ut ars, animal. Vicesimae quartae specialia quae partem demonstrant, ut homo, equus, medicina, grammatica. Vicesimae quintae localia, ut suburbanus, agrestis, silvestris. Vicesimae sextae verbalia, quae sunt facta de verbo, ut doctor, lector, ductor. Vicesimae septimae similia participiis, ut sapiens, potens, demens: haec enim conparatione a participiis discernuntur. Vicesimae octavae verbis similia, ut comedo, palpo, manduco, contemplator, speculator: nam haec duo verba sunt imperativi modi futuri

temporis, et similiter nomina quia declinationem recipiunt.

Comparatio est elocutio quae alterum alteri praefert; cuius tres sunt gradus, positivus, comparativus, superlativus. Positivus ut sapiens, comparativus ut sapientior, superlativus ut sapientissimus. Comparativus gradus in or desinens, semper generis est communis, excepto uno senior, quod de muliere dictum non reppéritur. In us autem desinens semper generis est neutri, ut maius gaudium, pulchrius templum, doctius mancipium. Comparantur autem nomina appellativa quae a qualitate, aut a quantitate originem trahunt: quae in tres divisiones partiuntur: in animum, ut sapiens, honestus: in corpus, ut niger, pulcher: et intrinsecus, ut fortunatus, felix. A quantitate, id est a mensura, ut longus, brevis, latus: non tamen omnia qualitatis aut quantitatis per omnes gradus ire possunt; inveniuntur enim quaedam positivum tantum gradum habentia, ut mediocris; quaedam positivum et comparativum, ut senex, senior; quaedam positivum et superlativum, ut pius, piissimus: et sciamus, ubicumque comparativus gradus deficiat, adverbium magis esse ponendum, ut magis pius. Quaedam comparativum et superlativum habentia, ut ulterior, ultimus. Quaedam superlativum tantum, ut novissimus. Extra hanc formam sunt quae defectiva esse certum est, quae primam syllabam quam in positivo gradu habuerunt, in comparativo perdiderunt, ut bonus melior optimus, malus peior pessimus, magnus maior maximus. Aliquando autem inveniuntur quae comparativum gradum praeponunt superlativo, ut si dicamus iustior est iste quovis iustissimo. Aliquando quae comparata a positivo minus significant, ut marc

ponticum dulcius quam cetera maria. Et illud Virgilii :

Scis ut te cunctis unam quaecumque latinae
Magnanimi Iovis ingratum ascendere cubile
Praetulerim.

Aliquando quae a positivo minus significant et nulli comparantur, ut in Virgilio :

Iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.

Quaedam sono inveniuntur diminutiva sed intellectu comparativa, ut grandiusculus, maiusculus, minusculus. Comparativo et superlativo gradui haec quinque adverbia comparationis non adiciuntur, tam, minus, minime, magis, maxime, sed adponuntur tantum positivo ut tam bonus, tam doctus, et cetera. Comparativus gradus casui servit ablativo utriusque numeri, vel alieno vel suo generi comparatus, ut fortior illo, et fortior illis : superlativus genetivo tantum plurali proprio semper generi comparatur, ut Hector fortissimus Troianorum. Repperitur quoque superlativus pro positivo positus et nulli comparatus, ut si dicamus, hic Iuppiter optimus, maximus ; non enim sunt alii Ioves.

Genera nominum sunt quattuor, masculinum; ut hic iustus : femininum, ut haec docta : neutrum ut hoc templum : commune hic et haec sacerdos. Est etiam trium generum, ut hic et haec et hoc felix. Est epicoenon, quod latine dicitur promiscuum, pariter marem ac feminam significans, in quo nec articulus variatur, nec facile sexus deprehenditur, ut hic piscis, hic passer, haec aquila. Praeterea de nominibus quae aut femininum sonant, et masculinum probant, aut contra masculinum sonant et femininum probant, aut neutra sono videntur et masculina aut feminina sensu capiuntur, et quamvis permutatione sono, intellectuque discrepantia : et de

omnibus, quae aliud sono promunt, aliud sensu probant, in subsequentibus plenius degestum esse repperies, et ubi sub quinta declinatione de casu nominum disputabitur diversis terminata litteris liquidius exposita invenies.

Numeri nominum sunt duo, singularis ut hic sapiens, pluralis ut hi sapientes. Sunt etiam numero communia, ut nubes, dies, res. Sunt semper singularia, ut sanguis, vinum; semper pluralia, ut manes, nundinae, nuptiae: de hoc quoque numero, quae nomina, vel qualiter cursus sui ordinem impleant, vel quomodo aut quae deficiant, in praefata expositione casuum plenius disputaturi sumus.

Figurae nominum sunt duo, simplex et composita: simplex ut felix, conposita ut infelix. Componuntur autem nomina modis quattuor: ex duobus integris, ut suburbanus: ex duobus corruptis, ut opifex, municeps: ex integro et corrupto, ut ineptus: ex corrupto et integro, ut omnipotens: aliquando ex pluribus, ut inexpugnabilis, inperterritus. Composita autem nomina ex duobus nominativis, ex utraque per omnes casus declinari possunt, ut miles romanus, rhetor urbanus: quae vero ex nominativo et ex quolibet casu componuntur, ex parte tantum declinari possunt nominativi casus, ut tribunus militum, praefectus equitum.

Ordines nominum, quibus latinorum facundia utitur, auctorum definitione plurimorum quinque esse conprobantur: causa autem discernendorum ordinum genetivi casus formationi esse deputata dinoscitur, has quinque syllabas gubernanti, ae diphthongon, i productam, is brevem, us productam, ei divisas.

Primus igitur ordo, qui genetivo casu ae regit, hoc modo declinatur;

singulariter	et pluraliter
nominativo haec scena,	nominativo hac scenae,
genetivo huius scenae,	genetivo harum scenarum,
dativo huic scenae,	dativo his scenis,
accusativo hanc scenam,	accusativo has scenas,
vocativo o scena,	vocativo o scenae,
ablativo ab hac scena,	ablativo ab his scenis.

Secundus qui i productam habet ita

singulariter	et pluraliter
nominativo hic castus,	nominativo hi casti,
genetivo huius casti,	genetivo horum castorum,
dativo huic casto,	dativo his castis,
accusativo hunc castum,	accusativo hos castos,
vocativo o caste,	vocativo o casti,
ablativo ab hoc casto,	ablativo ab his castis.

Tertius qui is brevem ita

singulariter	et pluraliter
nominativo hic lector,	nominativo hi lectores,
genetivo huius lectoris,	genetivo horum lectorum,
dativo huic lectori,	dativo his lectoribus,
accusativo hunc lectorem,	accusativo hos lectores,
vocativo o lector,	vocativo o lectores,
ablativo ab hoc lectore,	ablativo ab his lectoribus.

Quartus qui us productam hoc modo

singulariter	et pluraliter
nominativo hic fletus,	nominativo hi fletus,
genetivo huius fletus,	genetivo horum fletuum,
dativo huic fletui,	dativo his fletibus,
accusativo hunc fletum,	accusativo hos fletus,
vocativo o fletus,	vocativo o fletus,
ablativo ab hoc fletu,	ablativo ab his fletibus.

Quintus qui ci divisss ita

singulariter	et pluraliter
nominativo hacc facics ,	nominativo hac facics ,
genctivo huius facici ,	genctivo harum facierum ,
dativo huic faciei ,	dativo his faciebus ,
accusativo hanc faciem ,	accusativo has facies ,
vocativo o facics ,	vocativo o facies ,
ablativo ab hac facie ,	ablativo ab his faciebus.

Expositis enim per quinque ordines casuum varietatibus , *ne* in hac definitionis normula saltim apud simplices ambiguitas locum sibi vindicet , de nominibus quae cuiuscumque sint ordinis vel generis disseremus. Primae namque declinationis vel ordinis sunt haec masculina propria, ut Agrippa , Seneca , Tucca , Sylla , Catilina , Cotta. Appellativa, ut hic scriba , adsecla , talpa , lanista , poëta , damma , popa , navita , scurra , collega , transfuga , parricida , citharista ; dogmatista , hymnista , coelicola , agricola , terrigena , rurigena. Reliqua vero primi ordinis sive propria sive appellativa paene omnia feminina sunt , ut constantia, placella, vita , via , tabula , sapientia , figura , terra , forma , fortuna , sella , stella , et his similis. Neutralia quidem huius ordinis apud Latinos nulla sunt. Communia haec sola , hic et haec verna , auriga , pedissequa , advena , convena , conviva. Secundi ordinis declinationem sequuntur masculini generis propria , vel appellativa , ut Terentius Terentii , Virgilius Virgilii , Marcius , Iulius , fumus , mergus , campus , hortus , fungus , lucus: et omnia sive us , sive er syllaba terminata , si ex se creant feminina , a littera terminata , procul dubio secundi ordinis sunt , ut hic castus , doctus , iustus , inclytus , faustus , facinorosus , et pulcher , ater , niger , magister , satur ; et

alia quae non sunt mobilia, ut liber, raster, fiber, gener, puer, sacer, caper, oleaster, culter, vir, semivir, trevir, levir. Feminini generis nomina huic ordini congruentia sunt haec, colus, alvus, humus; et propria regionum vel arborum nomina, ut haec Tyrus, Cyprus, arctus, palus, cupressus, pinus, arbutus, malus, pirus, prunus, alnus. Neutra haec, ut hoc regnum, telum, bellum, fatum, gaudium, et paene omnia nominativo, um, syllaba terminata. Neutra secundi ordinis, sunt, us, terminata ut hoc pelagus, hoc vulgus. Tertiae vero declinationis ordinem haec nomina stipare dinoscuntur; masculina, ut lector, odor, liquor, doctor, nitor, candor, splendor, labor, amor, et universa verbalia. In tor desinentia huius ordinis condicione mancipantur, ut doctor, ductor, auditor, factor. Item er syllaba terminata, ut passer, pater, frater, anser, carcer, agger; et quae in is syllabam ex se mittunt feminina, ut hic acer et haec acris, alacer alacris, volucer volucris, mediocer mediocris, pedester pedestris, celer celeris, equester equestris. Item o terminata masculina aut propria aut corpus quidem significantia ut Scipio, Curio, centurio, stellio, histrio, unio, senio, gurgulio, mulio, quaternio, et, o, litteram in obliquis cacibus productam servant. Praeposita vero o qualibet consonante, excepto uno proprio, ut Iuno, vel in corporalibus masculina sunt et tertiae declinationis ut latro, homo, praeco, Carbo, mucro, buffo, sermo, Cato, cudo, ligo, praedo, spado, mango. Item, en, syllaba terminata ut flumen, rien, pecten, lien, liticen, tubicen, cornicen, tibicen, fidicen. Item in es productam exeuntia ut Hercules, Ulixes, et a pede conposita ut bipes, sonipes, tripes, alipes. Item in es correptam;

ut miles, fomes, poples, gurges, stipes, cespes, hospes, paries, aries. Item in is, ut ignis, funis, piscis, amnis, finis, panis, clunis, fascis, lapis, cinis, inpubis, sanguis, pulvis, orbis, mensis, torquis, corbis, collis; ex his quaedam in genetivo una syllaba crescunt. Item in ex syllabam ut codex, sorex, latex, apex, culex, vertex, murex: haec enim terminatio si accedens erit, omnis generis fuerit, ut hic et haec et hoc simplex. Item in ix, ut fornix, varix, calix. Item monosyllaba, ut fons, rex, mons, dens, pons, ars, flos, mars, ars, mus, grex, mos, praes, mas, vas, las, pes, sol, ros, sal. Feminina autem tertii ordinis esse declarantur, haec almitas, sanctitas, potestas, dignitas, et omnia, ut reor, tas, aut do, aut io syllabis terminata, quae incorporalis speciei sunt, huius ordinis et generis feminini sunt, ut benignitas, caritas, magnitudo, formido, factio, lectio, sicut et omnes appellationes verborum. Item in es terminata, ut strages, caedes, proles, labes, et requies, abies. Item alterius terminationis, ut arbor, soror, uxor, mater, mulier. Item is syllaba terminata nominativum et genetivum parem habentia, nisi n aut c praecedent, paene omnia feminina sunt et tertii ordinis, ut haec restis, puppis, clavis, navis, securis, messis, pellis, cutis, scrobis. Item in us, ut servitus, salus, tellus, iuventus, senectus, palus, Venus. Item in ax, aut in ex, ut fornax, silex, carex, ilex. Item in ix, ut radix, matrix, cornix, lodix, cervix, salix, meretrix, cicatrix, et quae a verbo figurantur, ut genetrix, venatrix, bellatrix, amatrix, lectrix. Item monosyllaba urbs, nox, nas, grus, vis, trabs, sors, stips, gens, stirps, pars, pax, fraus, ops, pix, nox, nex, nix, nux,

lanx, merx, mors, lex, lix, glans, lens, falx, fax, faex, glis, sors, dos, ars, arx, crux, calx, cos. Neutri generis, et tertii ordinis haec sunt, ut mare, monile, altare, mantile, sedile, et omnia quae figurantur ex communibus is syllaba terminatis ad corpus vel ad animam pertinentia, ut sunt haec, hic et haec fortis, et hoc forte, hic et haec dulcis, et hoc dulce, hic et haec suavis, et hoc suave; sic mirabile, docibile, amabile, placabile, et quae a principalibus derivantur, ut hoc populare, speciale, regulare, principale. Item in or terminata, ut ardor, marmor, aequor, ebor, robor, femor, olor, haec o correptam in obliquis casibus habent. Item in ur, ut murmur, sulphur, guttur, fulgur, hiecur. Item in us syllaba terminata, ut nemus, tempus, facinus, pectus, funus, corpus. In en syllaba, ut numen, flumen, fundamen, nomen, certamen, examen, gluten, limen. Al syllaba, ut animal, tribunal vectigal, lnpercal. In ar syllaba, ut lacunar, laquear, pulvinar, torcular. Item in er syllaba finita, ut cadaver, papaver, suber, laser, tuber, cicer. Monosyllaba, ut mel, ius, ver, sus, vas, aes, cos, thus, lac, fel, crus, par, pus, os, ir, git, far, fas, ex his, ir, git, pus, far; item t littera finita ut caput, sinciput, occiput, nepet.

Generis communis sunt et tertii ordinis hic et haec sacerdos, et omnia accidentia is syllaba terminata, quae faciunt ex se neutra e littera terminata, generis sunt communis et huius ordinis, ut hic et haec dulcis, suavis, gravis, levis, fortis, favorabilis, nobilis. R littera terminata, hic et haec pauper, uber, augur, auctor. Item in es syllaba terminata, ut hic et haec locuples, heres, teres, praepes, dives, comes, sospes,

hebes, superstes, praeses, reses, deses, obses, et fere omnia masculini generis quae in femininum genus transeunt, si ablativo e littera terminantur, eodem sono in utroque sexu proferuntur et commuuia esse probantur, ut virgo, homo, pauper; et monosyllaba, ut sus, dux, bos, fur, et omnia gradus comparativi in or syllabam exeuntia generis esse communis dinoscuntur, ut melior, doctior, sapientior, et similiter.

Sunt autem nomina omnis generis ad tertii regulam ordinis pertinentia, ut hic et haec et hoc vetus, hic et haec et hoc memor, immemor, par, trux, et omnia accidentia. Ax syllaba terminata huius generis et tertii ordinis esse liquido conprobantur, et a in obliquis casibus producunt, ut loquax, capax, pertinax, audax, fallax, mendax, et similiter ex syllaba finita, si sint accidentia, omnis generis sunt et tertii ordinis, ut opifex, artifex, simplex, duplex, aurifex, et in obliquis e litteram in i convertunt: sic et ix terminata accidentia, ut hic et haec et hoc felix, pernix: ox quoque syllaba terminata accidentia, omnis generis sunt et huius ordinis, et hic et haec et hoc ferox, velox, atrox: et quae in duas desinunt consonantes si sint accidentia, exceptis monosyllabis, trium generum et tertii ordinis esse dinoscuntur, ut hic et haec et hoc ingens, celebs, inops, concors.

Quarti ordinis regulae nomina servire deprehenduntur masculini generis, ut hic cultus, sinus, luxus, lacus, portus, vultus, penus, sexus, ritus, astus, foetus, situs, arcus, et quae a verbis aut nominibus veniunt principalibus, ut ascensus, ductus, motus, visus, auditus, magistratus, consulatus, tribunatus, principatus, equitatus, et cetera. Feminina qui-

dem huius ordinis pauca repperiuntur, ut haec manus, porticus, domus, anus, nurus, quercus, socrus. Neutra autem haec tantum quae in singulari numero aptota sunt et in plurali declinantur: perpauca quae pluralem numerum admittunt, et tribus casibus correptis, tribus productis efferuntur, nominativo accusativo vocativo correptis, genetivo dativo et ablativo productis, ut hoc cornu, huius cornu, huic cornu, hoc cornu, o cornu: ab hoc cornu: et pluraliter, haec cornua, cornuum, cornibus, haec cornua, o cornua, ab his cornibus; sic specu, tonitru, veru, genu: cetera semper singularia, ut seru, gelu, pecu, testu, algu, ossu.

Quintae declinationis regula continentur haec; unum incerti generis inter femininum et masculinum, dies; et aliud masculinum, ut hic meridies huius meridiei: cetera huius ordinis feminina esse dinoscuntur, ut haec facies, canities, species, effigies, rabies, acies, pernicies, glacies, et his similia. Modo de vocativo et ablativo casu pauca liquidius exponere operae pretium reor. Vocativus casus, cuiuscumque sint ordinis nomina, remoto dubitationis errore, suum sequitur nominativum, excepta secundae declinationis regula, quae vocativum casum diversis exprimit modis. Nomina igitur propria us syllaba terminata vocali praeposita vocativum abiecta ultima syllaba faciunt, ut Mercurius o Mercuri, hic Laurentius o Laurenti; sic Terentius, Virgilius, Domitius; qualibet vero consonante praeposita, sive propria, sive accidentia, sive derivativa sint, in e correptam vocativum mittunt, ut hic Palinurus o Palinure, hic Sergestus o Sergeste, hic Turnus o Turne., doctus docte, sanctus sancte, romanus romane, spanus spane. Appellativa autem quae ius terminantur,

vocativum in e mittunt, ut hic socius o socie, gladius o gladie, radius o radie fluvius o fluvie: cetera auctorum veterum probatione in us potius quam in e exeunt licet usitata non sint, ut hic populus o populus, hic lucus o lucus, hic myrtus o myrtus.

Tertii ordinis nomina ablativo singulari duobus modis terminantur, hoc est in e aut in i, quorum i regunt quae generis sunt communis, et nominativo et genetivo is syllaba terminata, ut hic et haec grandis, ab hoc et ab hac grandi: hic et haec fortis, ab hoc et ab hac forti; sic levis, suavis, et cetera; et neutra quae nominativum in e, vel in l, vel in er litteram mittunt, ut hoc altare, ab hoc altari; hoc hastile ab hoc hastili; hoc tribunal ab hoc tribunali, hoc exemplar ab hoc exemplari: et accidentia trium generum quae in duas desinunt consonantes, in s vel x duplicem, ut hic et haec et hoc prudens ab hoc prudenti, ut hic et haec et hoc audax ab hoc audaci; et masculina r littera terminata quae ex se faciunt feminina is syllaba terminata, trium generum sunt, ut hic acer haec acris, ab hoc acri, hic et haec et hoc par, ab hoc et ab hac et ab hoc pari. Et quae accusativum singularem in im mittunt, ut haec sitis, hanc sitim, ab hac siti; sic restis, puppis, securis, turris, vectis, torquis; cetera omnia ablativo singulari tertii ordinis in e terminata.

Explanato quinque ordinum tramite, et quae cuiusque sint declinationis vel generis nomina diversis litteris vel syllabis terminata, acervo exemplorum cumulato, anomala quae saepissime per eclipseos repagulum subtiliter analogiam tricant, vestigiis auctorum tritis, quanto possumus nisu persequamur. Sunt semper singularia masculini generis secundi ordinis, ut clavus, fumus, fi-

mus, genius, limus, muscus: tertii ordinis ut cruor, pulvis, sanguis. Sunt semper singularia generis feminini ordinis primi, ut barba, eloquentia, memoria, eligantia, prosapia, vecordia, faba: sunt tertii, ut lux, pix, pax, labes, famis, sitis, tabes. Quinti, ut tabies, sanies. Sunt semper singularia generis neutri ordinis secundi, ut collum, barathrum, coenum, crocum, foenum, genium, et metallica pacne omnia, et arida vel liquida, quae ad mensuram pondusve referuntur, ut aurum, argentum, ferrum, stagnum, triticum, frumentum, mulsum, defrutum, vinum, oleum. Ordinis tertii, ut aes, ius, sal, mel, lens, cicer, far; licet ex his multa, veterum auctoritate usurpata sint contra rationem artis, ut vina, frumenta.

Sunt semper pluralia generis masculini secundae declinationis, ut cani, liberi cancelli, fori; tertiae ut caelites, antes, vites, fur fures, carcer carceres, manes, natales, pugillares, sentes, Quirites, optimates, proceres, primores, vepres. Sunt feminini singulari numero carentia, ordinis primi, ut caeremoniae, caulae, bigae, blanditiae, tricubiae, quadrigae, divitiae, deliciae, excubiae, facetiae, feriae, induciae, inferiae, insidiae, kalendae, reliquiae, tenebrae, genae, latebrae, nuptiae, nundinae, neniae, scalae, antiae, cunae, manubiae, exequiae, excubiae, nonae, argutiae. Item tertiae declinationis, ut dapes, sedes alpes, fores, fasces, fauces, fruges, grates, vires, conpedes, nares, opes, rates. Sunt semper pluralia generis neutri secundi ordinis, ut castra, cunabula, moenia, arma, liba, magalia, crepundia, exta, spolia, pascua, praescpia, serta, sponsalia, mapalia, praecordia, et dierum festorum nomina, ut saturnalia, bacchanalia, neptunalia.

Sunt nomina in singulari numero generis masculini, et in plurali neutri secundae declinationis, ut hic locus et haec loca, dicitur tamen et hii loci, hic Maenalus et haec Maenala, sic Tartarus, Gargarus, Ismarus, carbasus, sibilus. Sunt generis feminini in singulari numero, et in plurali neutri ordinis secundi, ut haec arbutus haec arbuta, haec intibus et haec intiba, haec Pergamus et haec Pergama. Item in singulari numero neutra ordinis secundi, et in plurali feminina ordinis primi, ut hoc balneum et hae balneae, dicitur quoque et haec balnea, hoc epulum et hae epulae, hoc caepe quod in singulari numero aptotum est, et hae caepae. Sunt quaedam in singulari numero neutra, et in plurali masculina ordinis secundi, ut hoc Argus et hii Argi, hoc caelum, et hii caeli, hoc porrum et hii porri, hoc filum et hii fili, hoc frenum et hii freni, dicitur tamen haec frena, haec fila. Item hoc iugerum in singulari numero secundi ordinis, et in plurali tertii. Item vas quod in singulari numero tertiae declinationis est, et in plurali secundae. Sunt item primi ordinis quae contra regulam, discernendi sexus causa, dativum et ablativum plurale in bus mittunt, ut his deabus, filiabus, mulabus, equabus, libertabus, dominabus. Sunt quae casibus deficiunt ut hanc dicionem, et ab hac dicione, quod accusativum et ablativum singularem tantum habet: item tabes nominativum accusativum et ablativum singularem habet dumtaxat. Sunt alia quae a genetivo singulari exordium declinationis sumunt et in utroque numero recte declinantur ut huius frondis, huius verberis: hoc latere accusativum tantum lectio usurpat. Sunt alia quae duos aut tres tantum casus in singulari numero habent, et in plurali per omnes casus declinantur ut huius opis,

opem, ab hac ope, et hanc vicem, et ab hac vice. Alia ablativum tantum singularem, ut ab hac obice, ab hoc viscere, ab hoc fruge. Item sunt quae in singulari numero non deficiunt, et in plurali tres tantum casus habent generis neutri ordinis tertii, ut lura, maria, rura, aera, ora, tartara.

Sunt quaedam monoptota quae neque per casus, neque per numeros declinantur, ut fas, nefas, nihili, frugipedum, napi, gummi, nugas, nequam, quae generis omnis sunt, exceptis fas, nefas, gummipedum, git, ir, instar, pus, quae neutra esse manifestum est, et pondo, quod pluraliter tantum effertur, ut tria milia pondo. Sunt item quae tam masculina quam feminina et neutra esse inveniuntur, et secundae et tertiae et quartae declinationis, ut hic et haec penus et peni, et hic penus peneris, et hoc penum peni, et hoc penu, huius penu: similiter hic et haec specus, huius speci, et hoc specus, huius specoris, et hoc specum huius speci, et hoc specu, huius specu. Item feminina quae tam quartae quam secundae esse inveniuntur declinationis, ut chorus, ficus, laurus, quercus, pinus, panus. Sunt item neutra tam secundae quam tertiae declinationis, ut hoc altare, huius altaris, et hoo altarium, huius altarii: sic et praesepe et praesepium, tapete et tapetum, et huius tapetis, et huius tapeti. Graeca quoque nomina a terminata, quae apud nos neutra et tertiae declinationis regulam intendunt, ut chrisma, aenigma, dogma, schema, inveniuntur: quaedam quae tam secundae quam tertiae declinationis, ut hoc baptisma, huius baptismatis, et hoc baptismum, huius baptismi. Sunt item graeca nomina quae apud Latinos graece declinantur feminina, ut haec genesis, huius geneseos, genesi, genesim, vel genesin,

genesis, genesi, et pluraliter geneses, genesium, vel geneseon, genesibus, genesics, genesics, genesibus; sic et apocalypsis, dioecesis, synaxis, haeresis, hypocrisis, anachoresis, paralysis, Pentapolis, paralemsis.

II. DE PRONOMINE.

De pronomine, ut arbitror, in Donati artibus satis evidenter disputatum esse, optatae indolis tuae ingenium non latet, sed tamen obsecrationibus tuis cedens, ex hac quoque parte, ut e ceteris, aliqua decerpere nitar. Dictum autem pronomen est, quod pro ipso nomine positum, licet minus plene, idem tamen significat. Pronomini accidunt sex: qualitas, genus, numerus, figura, persona, casus. Qualitas pronominum bipartita esse dinoscitur; aut enim finita sunt, aut infinita, aut minus quam finita. Finita pronomina sunt quae recipiunt certam personam, ut ego, tu: infinita quae certam personam non habent, ut quis, quae, quod: minus quam finita quae certis incertisque personis aptari possunt, ut iste, ille, ipse. Genera pronominum sunt eadem fere quae nominum; masculinum, ut iste, femininum, ut ista; neutrum, ut istud; commune, ut qualis, talis; trium generum, ut ego, tu. Numeri pronominum sunt duo; singularis, ut hic; pluralis, ut hii. Item dualis secundum quosdam, ut duo, uterque, ambo: est quidem et communis, ut qui, qui; dicimus enim qui magister, et qui magistri: quae femina et quae feminae: et sui, sibi, se, a se. Casus pronominum totidem sunt quot et nominum, ut hic huius huic hunc o ab hoc; et pluraliter hii horum his hos o ab his Personae prononimum sunt tres; prima, ut ego; secunda, ut tu; tertia, ut ille. Primitiva autem, quae finita sunt,

personae primae et secundae et tertiae quae nominativum casum non habent sic declinantur: ego, tu, mei, tui, vel mis, tis, sui, mihi, tibi, me, te, se; secunda tantum persona vocativum casum habent; a me, o, a te a se. Pluraliter primae et secundae personae declinantur ut nos, vos, nostrum vestrum, vel nostri, vestri, nobis, vobis, nos, vos, primae personae vocativum o vos, a nobis, a vobis. Item tria minus quam finita, iste ille ipse, et unum relativum aliud subiunctivum tertium infinitivum, ut hic is quisque, excepto uno relativo hic, omnia genetivo ius, dativo i littera, per tria genera terminantur, et per ceteros casus utriusque numeri masculino genere et neutro secundum formam nominum secundae declinationis regula efferuntur, feminino autem primae. Dirivativa enim, quae ab aliis auctoribus possessiva dicuntur, vel alicui dicta, ut meus, tuus, suus, noster, vester exemplo mobilium nominum per masculinum genus et neutrum secundi ordinis sunt, per femininum vero primi, ut meus mei mea meae meae et cetera. Sunt quaedam communia tertiae declinationis, quae gentis dicuntur, ut nostras vestras, hic et haec nostras, vestras, huius nostratis, vestratis. Sunt quaedam mobilia de quibus varie auctores, quidam nomina, quidam pronomina, esse existimantes disputaverunt; et quia declinationem pronominum habent, inter pronomina posita sunt, ut unus, ullus, nullus, solus, totus, alius, uter, alter; quae excepto genetivo et dativo, per ceteros casus masculino genere et neutro secundae, feminina primae declinationis sunt: ex his quaedam sunt senariam formam observantia. Pronomina autem quaedam aut nomina aut numerum significant, ut quot tot; aut gentem, ut cuias, nostras; aut ordinem, ut quotus, totus; aut quali-

tatem, ut qualis, talis; aut quantitatem ut quantus, tantus. Quis vero vel qui pronomina singularis numeri tam littera in o, quam in i terminat, ut a quo vel a qui; plurali vero numero dativum et ablativum per tria genera duplicem habet tam in bus quam in is finitum ut quis quibus, vel a quis vel a quibus. Sunt quaedam quae nec personam nec locum nec tempus significant, ut cuius cuia cuium. Sunt rem absentem significantia, ut is ea id. Sunt magis demonstrativa quae non per casus declinantur, ut eccum, eccam, ellum, ellam, cuius, cuia, cuium, cuiatis, nostratis. Nota pronomina, quae frequenti usu trita sunt, non est necesse flectere, sed eorum conpositiones aliqua ex parte tangamus: conponuntur siquidem multa pronomina, ut egomet, tumet, hicce haecce hocce, quisquis, quislibet, quiscumque, quisque, quispiam, isdem, quisquam, aliquis, quidam, quiquam, quippiam, quorumdam. Pronomini conpositiones aut praeponuntur, aut subiunguntur. Praeponuntur, ut aliquis; subiunguntur, ut quisdam, egomet; et declinantur paene hoc modo: nominativo quislibet quaelibet quodlibet, genetivo cuiuslibet, dativo cuilibet, accusativo quemlibet quamlibet quodlibet, vocativo quilibet quaelibet quodlibet, ablativo a quolibet, a qualibet, a quolibet: et pluraliter nominativo quilibet quaelibet, quaelibet, genetivo quorumlibet quarumlibet quorumlibet etc. Item se nominativo utriusque numeri caret; totus genetivum non habet pluralem: unus per quosdam gradus conponitur, ut unusquisque, et facit pluraliter, singuli, quique; solus per omnes casus, praeter pluralem genetivum, flecti debet. Item qui et quis et quae et qua, quod et quid, similiter inveniuntur. Haec nominativo adiungi non debent sed ge-

netivo plurali vel ablativo eiusdem numeri , ut aliquis hominum sive aliqui ex hominibus. Inter is et hic hoc distat , quod is subiungitur , ut habet is ; sed tamen si coniunctionem subiunctivam sibi habuerit copulatam, praeponi potest, ut is autem, is vero: hic autem semper praeponitur , ut hic enim ; sed tamen aliquando licite subiungitur si copulatum fuerit coniunctioni praepositivi ordinis , ut quoniam hic. Item mei , vel mis , ita intellegendum est , quia mis non dicitur nisi de ea re , quae ab aliquo repromissa et ventura speratur ; mei habetur de eo quod ad praesens possidetur. Item nemo pronomen non habet genetivum , ut neminis ; scito tamen in hac parte sicut et in ceteris multa aliter veteres declinasse, et ipsos iuris peritos auctores in plurimis dissensisse: nam in genere feminino genetivo casu per ius, et dativo per i , ac diphthongon posuerunt ut ista istae istae : illa illae illae : ipsa ipsae ipsae ; sic altera , ulla , alia , nulla, utra, sola, una, et cetera. Item quis et qui ita discernentes declinaverunt : quis cuius etqui quem quis a quo ; et pluraliter ques , cuiumquis quis ques a quis. Item qui cuius qui quae qui a qui; et pluraliter qui quorum quibus quos qui a quibus. Item ista per tres casus flexerunt: cuius cui cuio cuia cuiae cuiae cuium cuicuio. Item haec per tres casus , ut helus helius heli helum , hela helius heli helum helis heli helum. Item pentacasibus utentia masculina , nominativo eteum , dativo eteo , accusativo eteum , vocativo eteum , ablativo eteo ; feminina etea , dativo eteae accusativo eteam, vocativo etea, ablativo etea: sic et ellum, quae plurali numero carent. Per haec et multa his similia dispari tramite tendisse antiquos deprehendimus, quae omnia percensere, ne nimis fastidiosum et absurdum sit, non oportet.

III. INCIPIT DE VERBO

Verbum temporibus et personis deservit, aut agentem aliquid, aut patientem, aut neutrum significans, cui accedunt septem : qualitas, coniugatio, genus, numerus, figura, tempus, persona. Qualitas verborum in modis et in formis est divisa ; nam modi septem sunt. Indicativus modus dicitur per quem indicamus quod agimus, ut puta requisitus scribens quid facias, respondes scribo. Promissivus, per quem promittimus nos aliquid facturos, quia hoc promittimus quod necdum impletur, ut scribam, legam, faciam. Imperativus dicitur qui imperandi significationem habet, ut puta, voca, scribe, praedica. Optativus quo optamus, ut utinam scriberem, dicerem. Coniunctivus dicitur qui sine aliarum elocutionum coniunctione sensum locutionis explere non potest, ut si tantum dixeris cum scribam, pendet sensus desiderans ut expleatur : adicies autem cum scribam, quare me vagare dicis? cum legam, quare me dormire dicis ? et sic aliis elocutionibus adiunctis, adimpletur sensus. Infinitivus modus est, qui sensum sine alio verbo implere non potest, ut puta scribere; pendet quippe sensus, adicis enim, ut volo docere aut scribere volo, et impletur sensus. Inpersonalis modus est qui tantum verbi personam agit, et certam personam non definit nisi aut nominibus aut pronominibus adiecta fuerit, ut docetur ; adicis autem personam, et inpletur eius significatio, ut docetur a me, a te, ab illo.

Formae igitur quattuor esse dinoscuntur, indicativa, meditativa, frequentativa, inchoativa. Indicativa plenum indicantis sensum habet, ut lego. Meditativa semper

meditatur ut lecturio, idest legere desidero, et esurio idest edere desidero. Frequentativa per quam aliquid frequentamus, ut lectito, clamito. Incohativa forma est quae subito motu nascitur, ut fervesco, calesco, viresco, et praeteritum tempus non habet.

Coniugationes verborum sunt tres: prima indicativo modo, tempore instanti, numero singulari, persona secunda, verbo activo et neutrali, a habet ante novissimam litteram, passivo communi et deponenti ante novissimam syllabam, ut laudo laudas, laudor laudaris, promissivo autem modo vel futuro tempore secundum quosdam bo et bor syllabis terminatur, ut laudo laudabo, laudor laudabor. Secunda indicativo modo, tempore instanti, numero singulari, secunda persona, verbo activo et neutrali, e productam habet ante novissimam litteram, passivo communi et deponenti ante novissimam syllabam, ut video vides, videor videris; et promissivus modus futurum tempus in bo et bor syllabis terminatur, ut video videbo, videor videbor. Tertia indicativo modo tempore instanti, numero singulari, secunda persona, verbo activo et neutrali, i interdum correptam, interdum productam, habet ante novissimam litteram; passivo communi et deponenti, pro i litteram e correptam vel i productam habet ante novissimam syllabam, ut dico dicis, dicor diceris, custodio custodis, custodior custodiris; et futurum tempus huius coniugationis interdum am et ar, interdum bo, et bor syllabis finitur, ut dico dicam, dicor dicar, custodio custodiam, custodior custodiar, et servio servis, serviam servibo, vincior vinciris, vinciar vincibor, multis auctoribus in hac definitione consentientibus: quidam tamen inficiantes referebant in bo, et in bor ire non debere tertiam coniugationem, ni-

si tantum verborum, quae prima persona, indicativo modo, tempore instanti, e ante o habuerint, ut transeo transibo, redeo redibo, abeo abibo, queo quibo. Porro haec coniugatio utrum i litteram correptam habeat an productam, in imperativo modo et infinitivo statim discernitur; nam si correpta fuerit in imperativo modo et infinitivo, transit in e, ut legis lege legere, scribis scribe scribere: quando producta erit, non mutabitur, ut audis audi audire, venis veni venire.

Genera verborum quinque esse, quis peritorum ignorat? activum, passivum, neutrum, commune, deponens. Activa sunt quae agunt, et e littera accepta gignunt ex se passivum, ut verbero, lego. Passiva quae patiuntur aliquid, ut verberor, legor. Neutralia quae agunt aliquid nec patiuntur et r litteram recusant, ut sto, dormio. Communia quae r littera terminantia et agunt aliquid et patiuntur, ut amplector te, et amplector a te: vador te, et vador a te, et r litteram sono intellecto deponere non possunt. Deponentia similiter sunt r littera terminata, quae patientis formam et in verbo et in participio deponunt, ut meditor, loquor, luctor: hae quoque r littera ablata stare non possunt. Numeri verbis accedunt duo, singularis, ut scribo; pluralis, ut scribimus. Figurae verborum sunt duo, simplex ut duco, composita ut deduco; quattuorque modis verba componuntur, ut reliquae partes orationis; ex duobus integris, ut depono, obduco, describo; et ex duobus corruptis, ut officio; ex integro et corrupto, ut expleo, destringo; ex corrupto et integro, ut suffero, alligo. Quaedam verba simplicia composita fieri possunt, ut dedico, distraho, describo: quaedam non possunt, ut compleo, suscipio.

Tempora verborum ab auctoribus cum tribus spe-

ciebus praeteriti temporis numerata sunt. Instans enim est cum agimus et in ipso actu sumus, ut lego. Praeteritum inperfectum cum aliquando coepisse nos aliquid et non perfecisse declaramus, ut docebam. Praeteritum perfectum cum nuper aliquid nos perfecisse indicamus, ut docui, legi. Praeteritum plusquam perfectum est cum non nuper, sed iam olim, aliquid perfecisse nos indicamus, ut docueram legeram. Futurum, quod quidam promissivum modum dicunt, est cum adhuc nos agere pollicemur, ut docebo, legam.

Personae verborum sunt tres : prima quae dicit, ut doceo: secunda cui dicitur, ut doces: tertia de qua dicitur, ut docet. Verba igitur quae analogiae regulis parent, licet paucis ignota sint lectoribus, tamen indiscussa declinatione penitus praeterire non possum ; quia recolo promisisse me, explosa ambiguitate, viam simplicibus quibusque, priscorum auctorum exemplis, luculenter manifestaturum.

DE DECLINATIONIBUS VERBORUM.

Declinantur autem hoc modo verba activa et passiva ordinis primi, finitivi modi, temporis instantis, numeri singularis et pluralis.

ACTIVA.

Laudo, laudas, laudat, laudamus, laudatis, laudant. Praeterito inperfecto. Laudabam, laudabas, laudabat, laudabamus, laudabatis, laudabant. Praeterito perfecto. Laudavi, laudavisti vel laudasti, laudavit, laudavimus, laudavistis vel laudastis, laudaverunt vel laudavere. Plusquam perfecto. Laudaveram, laudaveras, laudaverat, laudaveramus, laudaveratis, laudaverant.

Futuro. Laudabo , laudabis , laudabit ; laudabimus , laudabitis, laudabunt. Imperativo modo instanti. Lauda, laudet , laudemus , laudate vel laudetis , laudent. Futuro. Laudato vel laudes , laudet , laudemus , laudatote vel laudetis , laudent vel laudanto. Optativo modo instanti et praeterito inperfecto. Utinam laudarem , laudares, laudaret, laudaremus, laudaretis, laudarent. Praeterito et plusquam perfecto. Utinam laudassem, laudasses, laudasset , laudassemus , laudassetis , laudassent. Futuro. Utinam laudem , laudes , laudet , laudemus , laudetis, laudent. Coniunctivo modo. Cum laudem, laudes , laudet , laudemus , laudetis , laudent. Praeterito inperfecto. Cum laudarem , laudares , laudaret , laudaremus, laudaretis , laudarent. Praeterito perfecto. Cum laudaverim , laudaveris, laudaverit, laudaverimus , laudaveritis, laudaverint. Plusquam perfecto. Cum laudassem vel laudavissem , laudasses vel laudavisses , laudasset vel laudavisset , laudassemus vel laudavissemus , laudassetis vel laudavissetis , laudassent vel laudavissent. Futuro. Cum laudavero , laudaveris , laudaverit , laudaverimus , laudaveritis , laudaverint. Infinitivo instanti. Laudare , laudasse , laudatum ire vel laudaturum esse. Participia instantis in activo et futuro. Laudans , laudaturus. Appellatio , ut laudatio.

PASSIVA.

Laudor, laudaris vel laudare , laudatur , laudamur , laudamini, laudantur. Praeterito inperfecto. Laudabar, laudabaris , laudabatur , laudabamur , laudabamini , laudabantur. Praeterito perfecto. laudatus sum , ulteriori modo vel fui , laudatus es vel fuisti , laudatus est vel fuit , laudati sumus vel fuimus, laudati estis vel fuistis , laudati sunt fuerunt vel fuere. Plusquam perfecto.

Laudatus eram, ulteriori modo vel fueram, laudatus eras vel fueras, laudatus erat vel fuerat, laudati eramus vel fueramus, laudati eratis vel fueratis, laudati erant vel fuerant. Futuro. Laudabor, laudaberis, laudabitur, laudabimur, laudabimini, laudabuntur. Imperativo modo instanti. Laudare, laudetur, laudemur, laudamini, laudentur. Futuro. Laudaris vel laudator, laudetur, laudemur, laudamini vel laudaminor, laudentur vel laudantor. Optativo modo instanti et praeterito inperfecto. Utinam laudarer, laudareris, laudaretur, laudaremur, laudaremini, laudarentur. Perfecto et plusquam perfecto. Utinam laudatus essem, ulteriori modo fuissem, laudatus esses vel fuisses, laudatus esset vel fuisset, laudati essemus vel fuissemus, laudati essetis vel fuissetis, laudati essent vel fuissent. Futuro. Utinam lauder, lauderis vel laudere, laudetur, laudemur, laudemini, laudentur. Coniunctivo modo. Cum lauder, lauderis, laudetur, laudemur, laudemini, laudentur. Praeterito inperfecto. Cum laudarer, laudareris, laudaretur, laudaremur, laudaremini, laudarentur. Praeterito perfecto. Cum laudatus sim, ulteriori modo fuerim, laudatus sis vel fueris, laudatus sit vel fuerit, laudati simus vel fuerimus, laudati sitis vel fueritis, laudati sint vel fuerint. Plusquam perfecto. Cum laudatus essem, ulteriori modo fuissem, laudatus esses vel fuisses, laudatus esset vel fuisset, laudati essemus vel fuissemus, laudati essetis vel fuissetis, laudati essent vel fuissent. Futuro. Cum laudatus ero, ulteriori modo fuero, laudatus eris vel fueris, laudatus erit vel fuerit, laudati erimus vel fuerimus, laudati eritis vel fueritis, laudati erint vel fuerint. Infinitivo instanti. Laudari. Praeterito. Laudatum esse vel fuisse. Futuro. Laudatum iri. Impersonali instanti. Laudatur. Prae-

terito inperfecto. Laudabatur. Praeterito perfecto Laudatum est vel fuit. Plusquam perfecto. Laudatum erat vel fuerat. Futuro. Laudabitur. Nomen verbale, ut laudator.

Participalia, quae ab aliis gerendi vel supina vel typici dicuntur auctoribus, quae tres casus videntur habere, a participio instantis nascuntur temporis, s littera in d conversa, et addita i vel o vel m, ut laudans laudandi laudando laudandum Sunt et alia duo ad formam participii praeteriti temporis in um vel in u desinentia, ut laudatum, laudatu. Haec enim liquidius explananda reor, quae licet quidam auctores verba infinitiva, quidam adverbia qualitatis, tamen Priscianus adiunctis praepositionibus fidenter nomina esse adfirmavit; et laudandum quasi necessitatem laudis significasse; laudatum, ceu laudationem poni; laudatu, pro laudatione dici; laudando, in ipsa laude esse, ante positis praepositionibus accipi conprobavit, ut ad laudandum, et in laudando. Hoc modo declinantur omnia verba primi ordinis, quae regulis analogiae non refragantur. Activi verbi declinationem per tempora et personas, per numeros et modos, neutrale verbum sequitur; passivi vero communo et deponens; quorum pauca, discernendi generis causa, adnotatis propriis significationibus subter collecta ponuntur. Activa enim primi ordinis haec sunt: voco, amo, clamo, exalto, rogo, aedifico, sanctifico, inclino, dono, levo, noto: quae, accepta r littera, passiva sunt, ut vocor, amor. Neutralia vero primi ordinis haec sunt: ieiuno, ambulo, vigilo, sto, nato, volo de volatu, exulto, ructo, bello, intro. Communia primi ordinis, ut aemulor, vador, scrutor, osculor, criminor, populor, recordor, auxilior, opitulor, amplector, imitor, percunctor, precor, hortor, veneror, suffragor, ca-

lumnior, testor, odoror, memoror, roboror, grassor. Deponentia primi ordinis haec, ut arbitror, opinor, contemplor, meditor, epulor, conor, glorior, proelior, rimor, comminor, suspicor, reor.

DE SECUNDO ORDINE.

Verbum coniugationis vel ordinis secundi activum et passivum temporis instantis.

ACTIVA.

Moneo, mones, monet, monemus, monetis, monent. Praeterito inperfecto. Monebam, monebas, monebat, monebamus, monebatis, monebant. Praeterito perfecto. Monui, monuisti, monuit, monuimus, monuistis, monuerunt vel monuere. Praeterito plusquam perfecto. Monueram, monueras, monuerat, monueramus, monueratis, monuerant. Futuro. Monebo, monebis, monebit, monebimus, monebitis, monebunt. Imperativo modo instanti. Mone vel moneas, moneat, moneamus, monete vel moneatis, moneant. Futuro. Moneto vel moneas, moneat, moneamus, monetote vel moneatis, moneant vel moneanto. Optativo modo instanti. Utinam monerem, moneres, moneret, moneremus, moneretis, monerent. Praeterito et plusquam perfecto. Utinam monuissem, monuisses, monuisset, monuissemus, monuissetis, monuissent. Futuro. Utinam moneam, moneas, moneat, moneamus, moneatis, moneant. Coniunctivo modo. Cum moneam, moneas, moneat, moneamus, moneatis, moneant. Praeterito inperfecto. Cum monerem, moneres, moneret, moneremus, moneretis, monerent. Praeterito perfecto. Cum monuerim, monueris, monuerit, monuerimus, monueritis,

monuerint. Praeterito perfecto. Cum monuissem, monuisses, monuisset, monuissemus, monuissetis, monuissent. Futuro. Cum monuero, monueris, monuerit, monuerimus, monueritis, monuerint. Infinitivo modo instanti. Monere. Praeterito. Monuisse. Futuro. Monitum ire. Participia activa instantis, ut monens; futuri, ut moniturus. Gerundi vel participialia. Monendi, monendo, monendum, monitum, monitu. Appellatio huius; monitio.

PASSIVA.

Moneor, moneris, monetur, monemur, monemini, monentur. Praeterito inperfecto. Monebar, monebaris, monebatur, monebamur, monebamini, monebantur. Praeterito perfecto. Monitus sum, ulteriori modo fui, monitus es vel fuisti, monitus est vel fuit, moniti sumus vel fuimus, moniti estis vel fuistis, moniti sunt fuerunt vel fuere. Praeterito plusquam perfecto. Monitus eram, ulteriori modo fueram, monitus eras vel fueras, monitus erat vel fuerat, moniti eramus vel fueramus, moniti eratis vel fueratis, moniti erant vel fuerant. Futuro. Monebor, moneberis, monebitur, monebimur, monebimini, monebuntur. Inperativo modo instanti. Monere, moneatur, monemur, monemini, monentur. Futuro. Monearis vel monetor, moneatur, moneamur, moneamini vel moneaminor, moneantur. Optativo modo instanti. Utinam monerer, monerere vel monereris, moneretur, moneremur, moneremini, monerentur. Praeterito et plusquam perfecto. Utinam monitus essem, ulteriori modo fuissem, monitus esses vel fuisses, monitus esset vel fuisset, moniti essemus vel fuissemus, moniti essetis vel fuissetis, moniti essent vel fuissent. Futuro. Monear, monearis vel moneare, moneatur, moneamur, monea-

mini, moneantur. Coniunctivo modo. Cum monear, monearis vel moneare, moneatur, moneamur, moneamini, moneantur. Praeterito inperfecto. Cum monerer, monereris vel monerere, moneretur, moneremur, moneremini, monerentur. Praeterito perfecto. Cum monitus sim, ulteriori modo fuerim, monitus sis vel fueris, monitus sit vel fuerit, moniti simus vel fuerimus, moniti sitis vel fueritis, moniti sint vel fuerint. Plusquam perfecto. Cum monitus essem, ulteriori modo fuissem, monitus esses vel fuisses, monitus esset vel fuisset, moniti essemus vel fuissemus, moniti essetis vel fuissetis, moniti essent vel fuissent. Futuro. Cum monitus ero, ulteriori modo fuero, monitus eris vel fueris, monitus erit vel fuerit, moniti erimus vel fuerimus, moniti eritis vel fueritis, moniti erint vel fuerint. Infinitivo modo instanti. Moneri. Praeterito. Monitum esse vel fuisse. Futuro. Monitum iri. Inpersonali instanti, ut monetur. Praeterito inperfecto. Monebatur. Praeterito perfecto. Monitum est vel fuit. Plusquam perfecto. Monitum erat vel fuerat. Futuro. Monebitur. Passiva praeteriti, ut monitus. Futuri, ut monendus. Nomen verbale, monitor.

Hoc modo declinantur omnia verba secundae coniugationis analogiam observantia, et ut in omnibus solent coniugationibus neutralia activo, communia et deponentia passivo, per declinationem serviunt; haec namque sunt activa secundi ordinis, quae adiecta r littera in passiva convertuntur: impleo, video, habeo, possideo, teneo, adhibeo, promulgeo, timeo, derideo, despondeo. Neutralia haec: sedeo, soleo, luceo, careo, palleo, indigeo, stupeo, fulgeo, strideo, horreo, pereo, adhaereo, pateo. Communia, ut vereor. Deponen-

tia secundi ordinis mereor , confiteor , fateor , misereor , intueor.

ORDO TERTIUS CORREPTUS.

Verbum coniugationis vel ordinis tertii correpti activum et passivum finitivum temporis instantis numeri singularis et pluralis.

ACTIVA.

Emo , emis , emit , emimus , emitis , emunt. Praeterito inperfecto. Emebam , emebas , emebat, emebamus , emebatis , emebant. Praeterito perfecto. Emi , emisti , emit , emimus , emistis , emerunt vel emere. Plusquam perfecto. Emeram , emeras , emerat , emeramus , emeratis , emerant. Futuro. Emam , emes , emet , ememus , emetis , ement. Inperativo tempore instanti. Eme , emat , emamus , ematis , emant. Futuro. Emito vel emas, emat, emamus , emitote vel ematis , emant vel emunto. Optativo modo tempore instanti. Utinam emerem , emeres , emeret , emeremus , emeretis , emerent. Praeterito et plusquam perfecto. Utinam emissem , emisses , emisset , emissemus, emissetis , emissent. Futuro. Utinam emam , emas , emat , emamus , ematis , emant. Coniunctivo modo instanti tempore. Cum emam , emas , emat , emamus , ematis , emant. Praeterito inperfecto. Cum emerem , emeres , emeret , emeremus , emeretis , emerent. Perfecto. Cum emerim , emeris , emerit , emerimus , emeritis , emerint. Plusquam perfecto. Cum emissem , emisses , emisset , emissemus , emissetis , emissent. Futuro. Cum emero , emeris , emerit , emerimus , emeritis , emerint. Infinitivo instanti. Emere. Praeterito. Emisse. Futuro. Emptum ire. Participia activa instantis , ut

emens. Futuri, empturus. Participia, emendi, emendo, emendum, emtum, emtu. Appellatio, emtio.

PASSIVA.

Emor, emeris, emitur, emimur, emimini, emuntur. Praeterito inperfecto. Emebar, emebaris, emebatur, emebamur, emebamini, emebantur. Praeterito perfecto. Emptus sum, ulteriori modo fui, emptus es vel fuisti, emptus est vel fuit, empti sumus vel fuimus, empti estis vel fuistis, empti sunt fuerunt vel fuere. Plusquam perfecto. Emptus eram, ulteriori modo fueram, emptus eras vel fueras, emptus erat vel fuerat, empti eramus vel fueramus, empti eratis vel fueratis, empti erant vel fuerant. Futuro. Emar, emeris, emetur, ememur, ememini, ementur. Imperativo tempore instanti. Emere, ematur, emamur, emimini, emantur. Futuro. Emeris, ematur, emamur, emimini, emantur. Optativo modo tempore instanti. Utinam emerer, emereris, emeretur, emeremur, emeremini, emerentur. Praeterito et plusquam perfecto. Utinam emptus essem, ulteriori modo fuissem, emptus esses vel fuisses, emptus esset vel fuisset, empti essemus vel fuissemus, empti essetis vel fuissetis, empti essent vel fuissent. Futuro. Utinam emar, emaris, ematur, emamur, emamini, emantur. Coniunctivo modo instanti tempore. Cum emar, emaris, ematur, emamur, emamini, emantur. Praeterito inperfecto. Cum emerer, emereris, emeretur, emeremur, emeremini, emerentur. Perfecto. Cum emptus sim, ulteriori modo fuerim, emptus sis vel fueris, emptus sit vel fuerit, empti simus vel fuerimus, empti sitis vel fueritis, emti sint vel fuerint. Plusquam perfecto. Cum emptus essem, ulteriori modo fuissem, emptus esses vel fuisses, emptus esset vel fuisset, empti essemus vel fuissemus, empti

essetis vel fuissetis, empti essent vel fuissent. Futuro. Cum emptus ero ulteriori modo fuero, emptus eris vel fueris, emptus erit vel fuerit, empti erimus vel fuerimus, empti eritis vel fueritis, empti erint vel fuerint. Infinitivo instanti. Emi. Praeterito. Emptum esse vel fuisse. Futuro. Emptum iri. Inpersonali instanti. Emitur. Inperfecto. Emebatur. Praeterito. Emptum est vel fuit. Plusquam perfecto. Emptum erat vel fuerat. Futuro. Emetur. Passiva praeteriti, emptus. Futuri, emendus. Nomen verbale, emptor.

Hac regula continentur verba activa et passiva tertiae correptae, quae r litteram decedendo et accedendo reciproco cursu discernens alternatim versat, ut duco, lego, facio, dico, traho, credo, trado, abdo, prodo, capio. Neutra quoque huic regulae parent, ut vado, curro, cado, pergo, vivo, surgo, fugio. Communia, ut reminiscor, amplector, adipiscor, obliviscor, ulciscor. Deponentia, ut sequor, obsequor, loquor, persequor, nascor, proficiscor, vescor, fungor, fruor.

ORDINIS TERTII PRODUCTI.

Verbum activum et passivum tertii ordinis producti, quem quidam doctores quartum esse dixerunt, temporis instantis finitivum numeri singularis et pluralis.

ACTIVA.

Audio, audis, audit, audimus, auditis, audiunt. Praeterito inperfecto. Audiebam, audiebas, audiebat, audiebamus, audiebatis, audiebant. Praeterito perfecto. Audivi vel audii, audivisti vel audisti, audivit, audivimus, audivistis vel audistis, audiverunt vel audierunt vel audiere. Praeterito plusquam perfecto. Audieram,

audieras, audierat, audieramus, audieratis, audierant. Futuro. Audiam, audies, audiet, audiemus, audietis, audient. Inperativo modo instanti. Audi, audiat, audiamus, audite vel audiatis, audiant. Futuro. Audito vel andias, audiat, audiamus, audite vel audiatis, audiant vel audiunto. Optativo modo instanti, praeterito inperfecto. Utinam audirem, audires, audiret, audiremus, audiretis, audirent. Praeterito perfecto et plusquam perfecto. Utinam audissem, audisses, audisset, audissemus, audissetis, audissent. Futuro. Utinam audiam, audias, audiat, audiamus, audiatis, audiant. Coniunctivo modo instanti. Cum audiam, audias, audiat, audiamus, audiatis, audiant. Praeterito inperfecto. Cum audirem, audires, audiret, audiremus, audiretis, audirent. Praeterito perfecto. Cum audierim vel audiverim, audieris, audierit, audierimus, audieritis, audierint. Praeterito plusquam perfecto. Cum audissem, audisses, audisset, audissemus, audissetis, audissent. Futuro. Cum audiero, audieris, audierit, audierimus, audieritis, audierint. Infinitivo instanti. Audire. Praeterito. Audisse. Futuro. Auditum ire. Participia activa instantis, ut audiens. Futuri. Auditurus.

PASSIVA.

Audior, audiris, auditur, audimur, audimini, audiuntur. Praeterito inperfecto. Audiebar, audiebaris, audiebatur, audiebamur, audiebamini, audiebantur. Praeterito perfecto. Auditus sum, ulteriori modo fui, auditus es vel fuisti, auditus est vel fuit, auditi sumus vel fuimus, auditi estis vel fuistis, auditi sunt vel fuerunt vel fuere. Praeterito plusquam perfecto. Auditus eram, ulteriori modo fueram, auditus eras vel fueras, auditus erat vel fuerat, auditi eramus vel fueramus,

auditi eratis vel fueratis, auditi erant vel fuerant. Futuro. Audiar, audieris, audietur, audiemur, audiemini audieutur. Inperativo modo instanti. Audire, audiatur, audiamur, audimini, audiantur. Futuro. Audiaris, vel auditor, audiatur, audiamur, audimini vel audiminor, audiantur. Optativo modo instanti praeterito inperfecto. Utinam audirer, audireris, audiretur, audiremur, audiremini, audirentur. Praeterito et plusquam perfecto. Utinam auditus essem, ulteriori modo fuissem, auditus esses vel fuisses, auditus esset vel fuisset, auditi essemus vel fuissemus, auditi essetis vel fuissetis, auditi essent vel fuissent. Futuro. Utinam audiar, audiaris, audiatur, audiamur, audiamini, audiantur. Cum audiar, audiaris, audiatur, audiamur, audiamini, audiantur. Praeterito inperfecto. Cum audirer, audireris, audiretur, audiremur, audiremini, audirentur. Cum auditus sim, ulteriori modo fuerim, auditus sis vel fueris, auditus sit vel fuerit, auditi simus vel fuerimus, auditi sitis vel fueritis, auditi sint vel fuerint. Praeterito plusquam perfecto. Cum auditus essem, ulteriori modo fuissem, auditus esses vel fuisses, auditus esset vel fuisset, auditi essemus vel fuissemus, auditi essetis vel fuissetis, auditi essent vel fuissent. Futuro. Cum auditus ero, ulteriori modo fuero, auditus eris vel fueris, auditus erit vel fuerit, auditi erimus vel fuerimus, auditi eritis vel fueritis, auditi erint vel fuerint. Infinitivo instanti. Audiri. Praeterito. Auditum esse vel fuisse. Futuro. Auditum iri. Inpersonali instanti. Auditur. Inperfecto. Audiebatur. Praeterito perfecto. Auditum est vel fuit. Plusquam perfecto. Auditum erat vel fuerat. Futuro. Audietur. Participia passiva praeteriti. Auditus. Futuri. Audiendus.

Hac analogia mancipata sunt verba tertiae coniugationis productae activa et passiva, ut custodio, nutrio, sentio, munio, punio, finio, fulcio, vincio, farcio, sarcio, quae r accepta, ut dictum est passiva fiunt, ut custodior, nutrior, et cetera. Neutra, ut venio, dormio, eo, exeo, ineo, queo, et cetera. Communia, ut metior, orior, ingredior, et similia.

Igitur bifariam declinationem verborum, ex tribus ordinibus activorum et passivorum, priscorum vias secuti plenam per species degessimus: et in his explanata et trita via declinationis, sine praeruptis asperitatibus ceterorum verborum, neutralium scilicet in activo, communium et ponentium in passivo, ut supra praefati sumus, declaratur. Modo notanda quaedam differentia observationum, quibus temporibus verba, et quales brevitates recipiunt iuxta veteres auctores. Primi ordinis activum tempore finitivo perfecto, haec praecepit et peragit quod frequenter in eo videtur pro clamavisti, clamasti. Item clamavere pro clamaverunt, clamarint pro clamaverint: plusquam perfecto clamaram, clamaras, clamarat, clamaramus, clamaratis, clamarant pro clamaveram, clamaveras, clamaverat etc. Item optativo perfecto. Utinam clamarim, pro clamaverim, et reliqua. Item coniunctivo futuro. Clamaro pro clamavero. Praeterea in passivo et eiusdem ordinis finitivo inperfecto clamabare pro clamabaris. Item in futuro clamabere pro clamaberis. Item optativo praesentis et inperfecti, utinam clamarere pro clamareris; et in optativo futuro praesentis et inperfecti, utinam clamere pro clameris.

In secunda coniugatione haec reperiuntur finitivo quidem perfecto habuere pro habuerunt, et in passivo secundae indicativo tempore instanti, docere pro doceris

et cetera. Item in tertia ordinis correpti perfecto, consuistis consuerunt pro consuevisti consueverunt; petii petisti, pro petivi petivisti: at vero in passivo eiusdem inperfecto, scribebare pro scribebaris, et in futuro scribere pro scriberis, et in optativo praesenti et inperfecto et in coniunctivo perfecto, scribebare pro scribebaris: item optativo futuro et coniunctivo praesenti, revertare pro revertaris. In quarto ordine finitivo perfecto, veni venisti, pro venivi venivisti venivit: item audii pro audivi. In passivo autem eiusdem, adibare pro adibaris. Futuro, adibere pro adiberis. Item optativo futuro et coniunctivo praesenti, adeare pro adearis. Optativo praesenti et inperfecto et coniunctivo inperfecto, adibere pro adiberis. Praeterea parcere, arcere, facere, adire, pro parcebant, arcebant, faciebant, adibant. Item confitendum est invenitur in verbis, agendum est, adeundum est. Ut autem omissa ordinum observatione, generaliter absolvam, scire debemus passiva verba infinitiva ita solitos veteres terminare, ut vocarier, monerier, dicier, audirier pro vocari, moneri, dici, audiri: et in passivo secunda persona indicativo numero singulari tempore praesenti, amare pro amaris, docere pro doceris, legere pro legeris, munire pro muniris. Tantum addo haec perfecto et plusquam perfecto et plusquam perfecto, primi ordinis verba, indicativo modo, tempore praesenti, persona prima, aut o littera, nulla praecedente vocali, terminantur, ut voco vocas, clamo clamas; aut e et o, ut commoneo commoneas, calceo calceas; aut i et o, ut lanio, satio, vitio, lanias, satias, vitias; aut u et o, ut adiuvo adiuvas, sublevo sublevas.

Secundae coniugationis verba indicativi modo tempore instanti prima persona eo littera terminantur, ut

video moneo, vides mones, sedeo sedes. Tertiae coniugationis verba correptae indicativo modo tempore praesenti persona prima aut o littera nulla alia praecedente vocali terminantur, ut lego dico, legis dicis; aut io, ut rapio, rapis, facio facis; aut uo, ut induo induis, inruo inruis. Tertiae coniugationis productae verba indicativo modo tempore praesenti prima persona aut eo litteris terminantur, ut adeo adis, prodeo prodis; aut io, ut audio audis, nutrio nutris [1].

Expleta verborum declinatione, quae iugum analogiae ferre non recusant, et veterum consuetudine quodam ex latere carptim tacta, ad alias quoque verborum observationes festinare non pigeat.

In prima coniugatione verborum perfectum tempus formae mutationem capit modis quattuor: primo cum maior pars in i cadit, nulla littera duce consonante, ut aro aras aravi, probo probas probavi, clamo clamas clamavi: in his vero decidit a littera, ut veto vetas vetui, domo domas domui, tono tonas tonui, mico micas micui, et adiectis similiter praepositionibus explico, complico, perplico. Item aliam formam faciunt qua syllaba defecerit et prima producitur, ut lavo lavas lavi, iuvo iuvas iuvi, et similiter adiectis praepositionibus, ut praesteti, insteti, resteti, persteti.

In secunda quoque coniugatione quaedam forma perfecto tempore in i cadit, ut floreo florui, niteo nitui, splendeo splendui, teneo tenui, timeo timui: quaedam primam syllabam ex correpta producit perfecto, ut video vidi, moveo movi, sedeo sedi, faveo favi, foveo fovi,

(1) Haec fere et sequentia de verbis late decerpsit D. Bonifacius ex Charisio lib. II. et III.

pavco pavi, caveo cavi, neo nevi, cio cii et civi, fleo flevi. Quaedam in si syllabam perfecto exeunt, veluti indulgeo indulsi, maneo mansi, fulgeo fulsi, ardeo arsi, mulceo mulsi. Aliquando extrema syllaba perfecto tempore in xi cadens ita profertur, ut luceo luxi, mulgeo mulxi, augeo auxi, frigeo frixi, pellicco pellexi, lugeo luxi. Quaedam perfecto tempore iterare syllabam exspectat, ut tondeo totondi, mordeo momordi, spondeo spopondi, pendeo pependi.

Formam tertiae quoque coniugationis verba perfecto tempore habere variam deprehenduntur. Aliquando in i cadentem nulla duce consonante, veluti statuo statui, rapio rapui, tremo tremui, fremo fremui, pono posui, meto messui, texo texui. Saepe quoque primam syllabam iterant perfecto, ut tendo tetendi, cano cecini, tango tetigi, curro cucurri, pello pepuli, pungo pupugi, tollo tetuli: aliquando secundam, ut trado tradidi, cado cecidi, credo credidi, abdo abdidi, prodo prodidi. Plerumque perfecto tempore xi litteris terminantur, ut pingo pinxi, rego rexi, adfligo adflixi, dico dixi, pungo punxi, sugo suxi, fluo fluxi, pergo perrexi, pecto pexi, ango anxi. Item perfecto tempore i litteris terminantur, ut rado rasi, trudo trusi, sumo sumpsi, mergo mersi, parco parsi, evado evasi, ludo lusi, cedo cessi, premo pressi, promo prompsi. Item primam syllabam correptam perfecto producente, ut fugio fugi, cudo cudi, lego legi, capio cepi, facio feci, emo emi, cerno crevi, sero sevi, scindo scidi, frango fregi. Item perfecto in i duce vocali loco consonantis posita, ut peto petivi, quaero quaesivi, cupio cupivi, sapio sapivi vel sapui, tero trivi. Item perfectum in similitudinem verborum primi

ordinis, ut pasco pavi, sterno stravi. Item perfecto secunda persona dempta, ut mando mandi, pando pandi.

Tertiae coniugationis productae perfectum tempus in i cadit praecedente v littera, in usu tamen, ut munio munivi et munii, servio servivi et servii. Item in ceteris, ut salio salii, saevio saevi, garrio garrivi, lenio lenii, gestio gesti, esurio esurii, ligurio ligurii, parturio parturii, praesagio praesagii, vestio vestii, hinnio hinnii, mugio mugii, insanio insanii, mollio mollii, polio polii, sepelio sepelii, repperio repperii, munio munii. Aliquando in i, nulla alia duce, ut aperio aperui, malo malui, nolo nolui, volo volui. Interdum in si cadit perfectum, ut sepio sepsi, farcio farsi, sarcio sarsi, haurio hausi: aliquotiens in xi, ut sancio sanxi, vincio vinxi: aliquando in i duce, ut eo ivi: et quae adiectis praepositionibus fiunt, ut transeo transivi, exeo exivi, subeo subivi, redeo redivi, queo quivi. Sunt quaedam perfecta similia ab instantibus dirivata diversis, ut cerno crevi, ut cresco crevi, fulgeo fulsi, et fulcio fulsi, paveo pavi, et pasco pavi, frigio frixi, sto steti, et sisto stiti, luceo luxi, lugeo luxi fero tuli, et tollo tuli, pandor panderis passus sum, patior pateris passus sum.

Sunt quaedam verba quae habent perfecta duplicia, ut tundo tundis tutudi et tunsi, tollo tollis tetuli et sustuli, pango pangis pepigi et panxi, parco parcis peperci et parsi, pungo pungis pupugi et punxi, vello vellis vellui et vulsi, nitor niteris nisus sum et nixsus sum, alor aleris alitus sum et altus sum, deleo deles delevi et delii, tero teris terui et trivi.

DE DEFECTIVIS.

Sunt quaedam verba, quae ex forma agendi in passivum perfectum vertuntur, quae etiam defectiva appellantur secundi ordinis, ut soleo soles solitus sum. Hoc verbum, futurum tempus non habet. Gaudeo gaudes gavisus sum, audeo audes ausus sum, fido fidis fisus sum, defido defidis defisus sum. Ordinis quarti, fio fis factus sum, patefio patefis patefactus sum, calefio calefis calefactus sum, tepefio tepefis tepefactus sum: sic madefio expergefio et arefio faciunt etiam praesens tempus aliter, ut expergefacio, tepefacio, arefacio, adsuefacio, mansuefacio, liquefacio, patefacio, stupefacio. Declinantur autem neutro passiva secundi ordinis hoc modo finitivo instanti temporo, ut gaudeo gaudes gaudet gaudemus gaudetis gaudent: imperfecto gaudebam: perfecto gavisus sum: plusquam perfecto gavisus eram: futuro gaudebo: imperativo instanti modo gaude, gavisus esto: optativo modo instanti et imperfecto utinam gauderem: plusquam perfecto gravisus essem: futuro gaudeam. Subiunctivo instanti cum gaudeam: imperfecto cum gauderem: perfecto cum gavisus sim: plusquam perfecto cum gavisus essem et fuissem: futuro cum gavisus ero. Infinitivo instanti gaudere: plusquam perfecto gavisum esse et fuisse: futuro gavisurum esse vel gavisum iri. Sic declinatur gaudeō, excepto futuro tempore, et habet participia tria instantis ut gaudens, praeteriti ut gavisus, futuri gavisurus. Adnotandum est quod infinitivum huius verbi fio, fieri facit; cum omnia verba activa voce elata in e faciant, veluti dicere, et quae ex eo nascuntur; licet alterius coniugationis sint, tamen

eodem modo declinantur , quomodo gaudeo et soleo: at tepefio tepefis tepefactus sum , et quae huiusmodi inveniuntur, ut supra posita sunt, ut madefio , et arefio. Item aliud instanti tollo tollis , imperfecto tollebam , perfecto sustuli , plusquam perfecto sustuleram , futuro tollam , imperativo instanti tolle , futuro tollito. Optativo instanti et imperfecto ut tollerem , plusquam perfecto ut sustulissem , futuro ut tollam . Coniunctivo cum tollam , imperfecto cum tollerem , perfecto cum sustulerim , plusquam perfecto cum sustulissem , futuro cum sustulero , infinitivo instanti tollere , praeterito sustulisse , futuro sublatum ire et sublatum esse ; participia instantis tollens , futuri sublaturus. Item passivo instanti tollor , imperfecto tollebar , praeterito perfecto sublatus sum, plusqnam perfecto sublatus essem , futuro tollar. Imperativo instanti tollere , et cetera.

Item tertii ordinis declinantur hoc modo:instanti fido, perfecto fisus sum ; et quae ex ipso dirivantur , ut diffido , confido.

Item quarti ordinis eodem modo declinantur, finitivo instanti fio fis fit , imperfecto fiebam , perfecto factus sum et fui , plusquam perfecto factus eram et fueram , futuro fiam. Imperativo instanti fiat . Optativo instanti et imperfecto , ut fierem vel factus sim , plusquam perfecto factus essem, futuro fiam , et cetera.

Item aliud finitivo instanti ferio feris ferit , imperfecto feriebam , perfecto ferii , plusquam perfecto ferieram , futuro feribo. Imperativo instanti feri ; futurum non habet. Optativo instanti et imperfecto ut ferirem , plusquam perfecto ferissem , futuro feriam. Subiunctivo instanti cum feriam , imperfecto cum feririrem , perfecto cum fererim , plusquam perfecto cum

ferissem , futuro cum feriero. Infinitivo instanti ferire , praeterito ferisse , futuro feritum ire. Participia feriens, feriturus. Item passivo instanti ferior feriris feritur, imperfecto feriebar , perfecto ictus sum , ictus eram , et cetera omnia , excepto imperativo modo futuro tempore. Item aliud finitivo instanti : meto , metis , metit , metimus , metitis , metunt ; imperfecto metebam , perfecto messem feci , plusquam perfecto messem feceram , futuro metam. Imperativo instanti mete , futuro metito . Optativo instanti et imperfecto utinam meterem , plusquam perfecto messem fecissem , et cetera. Item passivo instanti metor meteris metitur , imperfecto metebar , perfecto messus sum , plusquam perfecto messus eram , futuro metar. Imperativo instanti metere , futuro messus esto , et cetera.

DE INCHOATIVIS.

Sunt quaedam verba , quae inchoativa appellantur , quae rem modo inchoatam et futuram significant, ut horresco , id est incipio horrere ; torpesco incipio torpere ; et regulariter inchoativa ea appellantur quae sco syllaba terminantur , nec habent praeteritum perfectum, quia quod inchoatum est , non est perfectum : ex quacumque autem coniugatione ortum fuerit verbum inchoativum in tertia declinabitur coniugatione . Fiunt autem inchoativa aut verbis aut declinationibus , ut calco calesco , delifeo delitesco ; et cetera declinationibus appellativis haec , ut aeger est , aegrescit , ex flamma flammescit , ex dumo dumescit , ex herba herbescit.

DE IMPERSONALIBUS.

Sunt quaedam verba impersonalia primi ordinis, ut iuvat me te illum, restat, distat: secundi ordinis similiter, decet me te illum: libet mihi tibi illi: taedet me te illum: licet mihi tibi illi: oportet et paenitet me, pudet miseret piget me: tertii ordinis, accidit, contigit: quarti ordinis, expedit convenit evenit interest refert. Ex his quidam perfectum faciunt etiam in hunc modum: licitum est, puditum est, pertaesum est, libitum est, pigitum est, placitum est, miseritum est: quae autem in tur exeunt, ab indicativo oriuntur, ut pugno pugnatur, quibus non qui facit, sed quod fit significatur, ut apud Virgilium: discumbitur ostro, vivitur hoc pacto, itur in antiquam silvam. Sunt verba quaedam, quae speciem activam habent, sed intellectu passiva sunt, ut pendeo ardeo vapulo veneo flagro esurio sitio. Sunt verba quae imperativo modo* declinantur in secunda persona utroque numero haec duo: have salve; et declinantur hoc modo, imperativo have havete, haveto tu, haveto ille, et in finitivo praesentis temporis havere te volo et vos et illos: sic et salve salvete, futuro salveto tu, salveto ille, et in finitivo salvere te volo et vos et illos. Ex praefatis autem impersonalibus verbis, exempli gratia quaedam declinabimus sic: secundi ordinis finitivo instanti pudet me te illum, imperfectum pudebat me, perfectum pudivit me, plusquam perfectum puderat me, futurum pudebit me. Imperativum instans pudeat me. Optativum instans et et imperfectum puderet me, plusquam perfectum pudisset me, futurum pudeat me. Subiunctivum instans

cum pudeat me, imperfectum cum puderet me, perfectum puderit me, plusquam perfectum cum pudisset me, futurum cum puderit me. Infinitum instans pudere, plusquam perfectum pudisse. Similiter declinantur et cetera piget, libet, paenitet, licet, oportet, decet, taedet, liquet, et fere activa impersonalia, quae secundi ordinis sunt; sed liquet et taedet praeteritum tempus non habent. Impersonalia neque activum, neque passivum participium habent: nam pudens non est participium, sed hic pudens, unde et impudens.

DE FREQUENTATIVIS.

Sunt verba quaedam iterativa, quae frequentativa appellantur, quibus significatur id quod saepius factum est, ut clamo clamito, idest saepius clamo, dico dictito, et similia; ex quacumque enim coniugatione iterata figurata fuerint, primae coniugationis declinationem habere dinoscuntur. Sunt quaedam verba, quae paragoga appellantur, quia ex primitivi verbi declinatione et mutationem et adiectionem litterarum capiunt, et nihilominus interdum variantur, ut lacesso, ab eo quod est lacero. Sed hoc variatur; lacessere enim est concitare. Item arcesso errant qui putant idem esse quod accerso; sed interest quod arcessere est accusare, accersere autem vocare. Haec duo verba sunt tertiae coniugationis et accersere et arcessere, et sic activum infinitum faciunt: imperativum autem accerse et arcesse, non accersi et arcessi. Sunt quaedam verba quae instanti modo similiter efferuntur, et in declinatione diversas significationes mutatione litterae habent, ut pando pandis et pandas, mando mandis et mandas, fundo fundis et fundas,

conpello conpellis et conpellas , dico dicis et dicas, volo vis et volas , infinitivo pandere pandare , mandere mandare , fundere fundare , et cetera. Cum omnia tertiae coniugationis imperativo modo secunda persona temporis instantis in e terminari debeant , inveniuntur haec tria corrupta, dico dic , facio fac , duco duc ; et cetera quae ab his figurantur , ut abdico abdic , praedico praedic , produco produc, et reliqua : sed veteres salva regula dixerunt face , duce , dice. Omnia verba quae perfecto prima syllaba geminantur , accepta praepositione desinunt iterari , ut tendo tetendi , cado cecidi , adiecta praepositione, intendo intendi , cado incidi , et pepuli expuli : praeterea haec sunt disco , curro , faciunt enim praeterito didici , et cucurri , et hoc apud veteres invenitur. Quare autem perfectum tempus aut syllabis crescat , aut minuatur , aut par sit , non est inventa ratio : nec cur a correptis producatur , ut traho traxi ; aut a productis corripiatur , ut disco didici.

DE CONFUSIS.

Sunt quaedam verba confusa temporibus, veluti odi , novi , pepigi , memini : in his enim instantis et perfecti et plusquam perfecti invenitur tempus : temporibus enim deficere dicuntur, nec participia habent. Declinantur autem hoc modo.

Verbum finitivum temporis instantis odi , odisti , odit ; imperfectum oderam; perfectum odii: eiusdem passiva , osus sum et fui ; plusquam perfectum odieram ; et passiva osus eram et fueram ; futuro odiero odieris odierit ; eiusdem passiva osus ero. Imperativum instans oderis oderit ; optativum instans et imperfectum uti-

nam odirem ; eiusdem passiva osus sim , plusquam perfectum odissem , passiva osus essem ; futurum odiero; coniunctivum cum odierim ; eiusdem passiva cum osus sim ; inperfectum cum odirem , perfectum cum oderim; plusquam perfectum cum odissem ; eiusdem passiva cum osus essem; futurum cum odero. Infinitivo instantis odisse ; perfecti et plusquam perfecti passivi osum esse, futuri osurum esse. Participia instans non habet ; futurum hic osurus. Huic verbo similia sunt memini novi : sed etiam quasi futurum habent imperativum , memini quidem memento , mementote : novi autem novito tu , novito ille , novitote , noverint. Huiusmodi verba passivum non habent , et tamen similitudinem mixtorum verborum habere videntur : in declinatione et perfecto passivam formam exprimunt. Declinantur autem et ista hoc modo: finitivo instanti novi , novisti , vel nosti , novit : imperfecto noveram : perfecto novi : plusquam perfecto noveram : futuro novero : imperativo novito , novitote , noverint. Optativo instanti et imperfecto utinam noverim , plusquam perfecto novissem . Eiusdem passiva cum notum habuissem , futurum noverim Subiunctivum instantis cum noverim : imperfectum cum novissem , perfectum cum noverim : eiusdem passiva cum notum habuerim : plusquam perfectum cum novissem: futurum cum novero : infinitivo instanti nosse, plusquam perfectum novisse vel notum habuisse : futurum notum habiturum: participia notum habiturus. Sic et memini meministi , meminit , imperfectum memineram , perfectum memini : eiusdem passiva memor sum et fui, plusquam perfectum memineram , passiva memor eram, futurum meminero. Imperativo instanti memineris, futurum memento. Optativo instanti , et imperfecto

utinam meminerem : perfectum meminerim. Passiva ut memor sim, plusquam perfectum ut meminissem, passiva ut memor essem, futurum ut meminerim. Coniunctivo instanti cum meminerim, imperfectum cum meminerem, perfectum eiusdem passivum cum memor sim, et plusquam perfectum cum meminissem, eiusdem passivum cum memor essem, futurum cum meminero. Infinitivo praeterito meminisse : plusquam perfecto memorem esse : futuro memorem futurum. At quidam grammaticorum in his verbis imperativum modum esse negantes, dicunt omnia imperativa tribus modis intendi posse, ut dic, dicas, dixeris : dic ex eo quod est solitae regulae quam in declinatione observamus : dicas autem et dixeris, per defectionem imperantis, ut sit fac dicas, et fac dixeris, quorum alterum optativi modi futurum, alterum subiunctivi perfecti. Hunc ergo modum imperativis verbis praefatis adsignant ; quod ipsum etiam in omnibus verbis observari potest, quamvis habeant sua imperativa, ut ames, amaveris, ut sit fac ames, fac amaveris, fac doceas, fac docueris, et cetera. Praeponuntur autem imperativis et alia multa, ut rogo, volo, oro, moneo, quaeso, hortor; ut volo dicas, rogo facias, et cetera. Imperativum iterum praecedente ne syllaba quadrifariam exprimunt, ut ne nega, ne neges, ne negaveris, ne timeas ne timueris noli timere, et cetera. Item verba quae defectiva seu corrupta esse videntur, ideoque inter confusa relata et ambigue declinata veluti unius instantis, volo, vis, vult, imperfectum volebam, perfectum volui, plusquam perfectum volueram, futurum volam voles volet. Imperativum instans velis, velit : futurum non habet. Optativum instans et imperfectum utinam vellem, plusquam perfectum voluissem, futu-

rum velim. Subiunctivum instans cum velim, imperfectum cum vellem, praeteritum cum voluerim, plusquam perfectum cum voluissem, futurum cum voluero. Infinitivum instans velle, praeteritum voluisse, futurum volent. Similiter et nolo, non vis, non vult: malo, mavis, mavult: sed sunt tamen qui dicunt, malis nolis in instanti, et praeteritum malim, malis malit, et nolim nolis nolit. Per haec verba debemus imperativa observare iuxta praecedentem adnotationem, neque futurum neque participium habentia. Est aliud verbum quod ita declinatur in instanti, sum, es, est; imperfectum eram, perfectum fui, plusquam perfectum fueram, futurum ero, imperativum es, aliis sis, sit, simus, este, sint: quasi futurum esto tu, esto ille, estote, sint et sunto. Optativum instans et imperfectum utinam essem, plusquam perfectum fuissem, futurum ut sim. Coniunctivum cum sim: imperfectum cum essem, perfectum cum fuerim, plusquam perfectum cum fuissem, futurum cum ero et fuero. Infinitum esse, praeteritum fuisse, futurum esse, et futurum ire, et fore: nec appellationem, nec nomen, nec participium praebet, sed nec passivum facit: participium recipit tamen futurum, ut hic futurus. Similiter declinantur etiam quae ex eo composita sunt, prosum, adsum, praesum, desum, obsum, intersum, et alia quae ex his dirivantur: ex his duo habent participia instantis, praesum et absum, nam praesens et absens dicimus. Inter haec quae sum verbo pronuntiantur ut possum, declinantur sic. Finitivum instans possum, potes, potest, imperfectum poteram, perfectum potui, plusquam perfectum potueram, futurum potero. Imperativum instans pótes, possit, futurum possim, potestote,

possint et possunto. Optativum instantis imperfectum utinam possem, plusquam perfectum potuissem, futurum possim. Subiunctivum cum possim, imperfectum cum possem, perfectum cum potuerim, plusquam perfectum cum potuissem, futurum cum potuero. Infinitum instantis et praeteriti imperfecti posse, perfecti potuisse; futurum non habet; participia potens temporis instantis. Item aliud verbum finitivum instantis eo, is, it, imperfectum ibam, perfectum ii, plus quam perfectum ieram, futurum ibo. Imperativum instans, i, eat, eamus, ite, eant, futurum ito, eat, eamus, itote, eant. Optativum instans et imperfectum irem, plusquam perfectum iissem, futurum eam. Subiunctivum instantis cum eam, imperfectum cum irem, perfectum cum ierim, plusquam perfectum cum issem, futurum cum iero. Infinitum instans ire, praeteritum isse, vel itum esse, futurum itum ire, iturum esse. Participium instans hic iens, futurum hic iturus. Cetera similia, quae ab eo composita sunt, veluti abeo, ineo, subeo, adeo, prodeo, circumeo, intereo, praeeo, praetereo, exeo, coeo, veneo, queo, nequeo, redeo, transeo, anteeo. Item aliud verbum finitivum instantis fero, fers, fert, imperfectum ferebam, perfectum tuli, plusquam perfectum tuleram, futurum feram, feres, feret. Imperativum fert, ferat, futurum ferto tu, ferto ille. Optativum instans et imperfectum, utinam ferrem, plusquam perfectum tulissem, futurum feram. Coniunctivum instantis cum feram, imperfectum cum ferrem, perfectum cum tulerim, plusquam perfectum cum tulissem, futurum cum tulero. Infinitum instantis ferre, praeteritum tulisse, futurum latum ire, laturum esse, passivo modo latum iri. Participia instantis hic ferens, futuri

hic laturus. Similiter et quae ab eo composita sunt tam activo quam etiam passivo modo declinantur, veluti defero, adfero, praefero, offero, differo, confero, perfero, antefero, aufero, suffero, circumfero, transfero. Item aliud verbum finitivum instans edo, es, est, edimus, editis, edunt: sed veteres edo, edis, edit; imperfectum edebam, perfectum edii, plusquam perfectum ederem, futurum edam. Imperativum instans ede, edat, edamus, edite, edant: futurum edito, edat, edamus, editote: quasi futurum esto, edat, edamus, estote, edant. Optativum instantis et imperfectum utinam ederem, plusquam perfectum edissem vel essem, futurum edam. Coniunctivum instans cum edam, inperfectum cum ederem, perfectum cum ederim, plusquam perfectum cum edissem vel cum essem, futurum cum edero. Infinitum instantis edere, preteritum edisse, futurum esum ire vel esurum esse. Participia instantis edens, futuri esurus. Similiter quae ex eo veniunt comedo, ambedo, circumedo; passivo modo edor, et cetera.

Item secundi ordinis verbum mereor, quod in tribus temporibus deponens est, et; in duobus activum; instans ut mereor, inperfectum ut merebar, futurum merebor, perfectum merui, plus quam perfectum meueram, et cetera; et habet participia tria praesens praeteritum et futurum, ut merens meritus meriturus. Item notatur quod quaedam in tempore praeterito deficiunt, quibus alia verba, a suis tamen presentibus venientia, ad supplementum declinationis commodantur. Passiva quidem haec: feror latus sum, ferior ictus sum, tollor sublatus sum, poscor postulatus sum, arguor convictus sum: similiter metuor et timeor nullum

habent perfectum. Deponentia haec: vescor pastus sum, fruor potitus sum, medeor medicatus sum, liquor liquefactus sum, reminiscor recordatus sum. Sunt duo verba deponentia incertae coniugationis, orior potior, utrum tertiae correptae an productae sint. Item verba quae declinari rite non possunt ut cedo, ave, faxo, infit, salve, inquit, inquam, quaeso, aio: item dubiae significationis verba quae in o et in r litteram finiuntur, quibus tempora participiorum accidunt paene omnia ut tondeo, lavo, fabrico, punio, munero, partio, populo, adsentio, adulo, lucto, auguro [1]: item sunt verba quae componere possumus ut pono traho, repono retraho: sunt quae non possumus, ut aio, queo, quaeso, sicut composita quae simplicia fieri non possunt, ut suscipio, compleo.

DE ADVERBIO [2].

Adverbium est pars orationis, quae adiecta verbo significationem eius implet, adque explanat. Adverbia aut suae sunt positionis, ut heri, nuper; aut ab aliis partibus orationis transeunt, ut sapiens sapienter, sanctus sancte. Adverbio accidit significatio, comparatio, figura. Significatio, adverbiorum in hoc esse comprobatur, quod sunt loci adverbia, ut hic, illic, ibi: temporis, heri, cras, hodie, nuper: numeri, semel, bis, decies, centies: negandi, haud, non: demonstrandi, en, ecce, eccum, eccere: hortandi eia, age, agite, quamvis age et agite vim obtineant verbi activi imperativi modi: optandi, utinam

(1) Confer Consentium apud Putschium p. 2054.

(2) Legesis Comminianum apud Charisium lib. II.

velim: ordinis, deinde: percunctandi, cur, quid, quam ob rem, quapropter, quare; quamvis quapropter et quare impleant aliquando adfirmandi vicem: similitudinis, ceu, quasi, velut: dubitandi, forsitan, fortasse, fors, fortassis: personative [1], ut mecum, tecum, secum: vocative, heu, quid est: respondendi, ut hem: qualitatis, ut bene, pulchre, sancte: quantitatis, ut multum, parum: adfirmandi, etiam: prohibendi, ut ne: communicandi, pariter, simul: separandi seorsum: comparandi, ut magis, potius: eventus, forte: quantitatis, ut nimium: comparandi, ut magis vel tam. Sunt adverbia infinitiva, ut ubi, quando: sunt finita, ut hic, modo. Verborum accessu fiunt adverbia, nec potest ulla qualitas nisi verbo subsequente resonare, ut illic sto, modo fecit, semel dixit, ecce venit, utinam velim, sic et cetera adiunctis verbis constant. Adverbia r littera terminata nomina quaedam ex sese faciunt. Hanc litteram quoties e antecedit, quattuor modis fiunt adverbia: aut enim in e finiuntur et totidem syllabas servant, ut piger aeger, pigre aegre faciunt: aut in eandem litteram et syllabam crescunt, nam liber miser libere misereque faciunt. Tertia species eorum quae er syllabam faciunt, ut celer, acer, celeriter, acriter. Quarta species est eorum qua im litteris adverbia terminantur, ut passer anser passeratim anseratim: nam ea quae ter syllaba finiuntur in adverbiis, utique in nomine genetivum habent is litteris terminatum ut celeris celeriter, acris acriter, alacris alacriter. Or litteris terminata nomina, ut quidam putant, duabus sed diversis ex se figuris adverbia faciunt: orator oratorie, memor memoriter. Ur litteris ter-

(1) Perperam apud Charisium *percunctative*.

minata nomina, faciunt ex se adverbia duobus modis figurata, satur sature, fur furtim. Es terminata nomina videntur ex se duobus modis adverbia figurare, ut quadripes quadripedatim, miles militariter. Is litteris terminata in adverbiis ter finiuntur, ut docilis dociliter, agilis agiliter: excipiuntur facile et difficile. Us litteris terminata quinque modis adverbia faciunt ex se, aut e correpta ut malus male; aut e producta ut doctus docte; aut o producta, ut falsus falso; aut o correpta, ut modus modo; aut im ut strictim; nec tamen his legibus omnibus accessit consuetudo: nam, ut a superioribus recedamus, qui ab eo quod est humanus humaniter dixerunt, et multa similia, usque ad nos certe consuetudo permansit; ab eo quod est divinus, divinitus dicatur: ab eo quod est antiquus antiquitus, cum interim maneant prioris legis adverbia, nam non minus per hanc significationem dicimus divine et antique. Item ab eo quod est largus remansit in consuetudine ut largiter diceremus. Ns litteris terminata uno modo ex se faciunt adverbia figurari ter terminata, ut decens decenter, sapiens sapienter: et ne nos fallat figura quorumdam vocabulorum, quae eadem est participiorum, hanc legem advertimus non alicubi inventuros nos adverbia aliis partibus orationis terminata, quam in quibus comparatio potest inveniri, ut est sapiens sapientior sapienter: eligans eligantior eliganter etc. Rs terminata duplici modo ex se adverbia faciunt, in er decurrentia quorum unus est, qui i litteram servat ante novissimam syllabam, ut vecors vecorditer; alter qui sine i littera effertur, ut solers solerter. Fors quoque variarum adverbia figurarum facit, dicimus enim forsitan, fortasse, fortassis, forsan, et forte. X littera terminata duobus mo-

dis in adverbia transeunt ; aut enim im terminantur , ut grex gregatim ; aut per r , ut loquax loquaciter , audax audaciter . A femininis quoque nominibus aliter terminata nascuntur adverbia im litteris finita , ut fascia fasciatim, decuria decuriatim. A neutris quoque nominibus trahuntur adverbia im litteris terminata , ut membrum membratim , uber ubertim. Nonnullis grammaticis placuit , ut a nominibus appellativis , sic etiam ab aliis partibus orationis , figurari ; ut ab eo , quod est iustus , iuste fiat. A proprio , ut Tullius tulliane. A vocabulo , ut ostium[1] ostiatim. A pronomine , ut meatim tuatim. A verbo , ut cursim , strictim. A nomine et verbo , ut pedetemtim. A participio , ut indulgens , indulgenter. A nomine derivata , aut in a exeunt , ut una ; aut in e productam , ut docte ; aut in e correptam , ut rite ; aut in i , ut vesperi ; aut in o productam , ut falso ; aut in o correptam , ut modo ; aut in u, ut noctu ; aut in l, ut semel ; aut in im, ut gradatim ; aut in r, ut breviter ; aut in us, ut funditus. Adverbia in e exeuntia producuntur , praeter illa , quae aut non comparantur , ut rite ; aut comparativi regulam non servant , bene , male , quae faciunt bene melius optime , male peius pessime ; aut ea , quae a nomine verboque non veniunt , ut inpune , saepe. Ceterum facile , difficile , quae adverbia ponuntur , nomina potius esse dicenda sunt pro adverbiis posita, ut torvum clamat, horrendum resonat . Adverbia in e productam exeuntia ab eo nomine veniunt , quod genitivo casu i littera fuerit terminatum , ut huius pulchri , pulchre. Er syllaba finita ab eo nomine veniunt , quod genitivo tis syllaba finitur , ut fortis fortiter.

Multa contra hanc regulam usurpata inveniuntur.

|

Quaedam enim in dativo casu permanentia, adverbia similiter faciunt, ut continuo, cito, sedulo. Quaedam e contrario, ut huius duri, non dure, sed duriter. Haec enim in im exeunt, ut alternatim, viritim, bigatim, partim, cursim, gradatim, separatim, paulatim, minutatim, sensim, furtim, deditim *, carptim, vicissim. Item in o, ut consulto, tuto, falso, supervacuo, cito, secreto, tripertito, quadripertito, fortuito, continuo, opiniato, clandestino, matutino. Item in am, ut clam, nequicquam, palam, obviam, bifariam, trifariam, quadrifariam. Numeri adverbia sunt, ut toties, quoties, saepe, saepius, saepissime; semel, bis, ter, quater, deinceps; primum, iterum, tertium, quartum. Temporis adverbia sunt infinitiva, ut olim, aliquando, quondam, nuper, tantidem, adhuc, tandem, iam tum, inde iam, dudum, umquam, numquam, mox, interim, cotidie, interea, interdum, subinde, cum, maxime, actutum, e vestigio, ilico, statim, continuo, subito, repente, et repentino, extemplo, semper, paulisper, postea, ante, antea, postquam, antequam, dum, donec, vix, vixdum, simul, adsimul. Temporis finita adverbia, hodie, cras, perendie, diequarto, heri, nudiustertius, nudiusquartus, nudiusquintus; mane, vesperi, noctu; interdum, pridie, posteradie, postmeridie, antemeridiem. Adverbia loci sunt sic. Primum in loco: ubi, ibi, illic, ibidem, istic, intus, foris, comminus. In locum, quo, hoc, illo, utro, utroque, neutro, huc, illuc, istac, istoc, eodem, intro, foras, introrsum, extrorsum, sinistrorsum, retrorsum. Eadem per s litteram extremam efferuntur, dextrorsus, sinistrosus. E loco: unde, hinc, illinc, utrimque, inde, indentidem, istinc, intrinsecus. Sunt

* Char. *deductim.*

etiam quae et in locum, et in loco significant infinita, ut sursum, deorsum, supra, infra, ultra, citra, extra, intra, supter, super, ante, post. Per locum, ut hac, illac, ista, recta, qua. Sunt etiam adverbia quaedam e loco, quaedam in locum; et primum in loco ut, ubi eras? Romae. E loco, unde venis? Roma. In locum, ubi is? Romam. Est ergo in loco per genetivum, cum ex primo et secundo ordine veniunt, ut Romae sum, Beryti sum, domi sum, quia veteres hoc nomen secundi ordinis esse voluerunt; ut haec domus, huius domi. Cum vero ex tertio, ablativo casu utimur, ut Carthagine, Sidone sunt; quamquam recentiores per dativum voluerint, ut Carthagini, et Sidoni sunt, sicut domi *, ruri sum. Aut cum e loco dicimus, ablativo ex omni nomine civitatis utemur, ut Roma venio; Carthagine venio; et utique sine praepositione. Negandi adverbia sunt, ut nequaquam, hautquaquam, parum, minime, nullatenus, secus. Adfirmandi, ut scilicet, etiam, quidmirum, licet, profecto, plane, prorsus, proculdubio, nimirum, certe. Alia percontantis, ut numquid. Alia interrogantis, ut cur, quid ita, quaro, quidnam, nonne, utrum, utrum ne. Alia demonstrandi, ut en, ecce. Optandi, ut utinam, velim. Ordinis, deinde, deinceps, tunc, ante, post, postremum, demum. Similitudinis, ut ceu, quasi, ita, perinde, ac si, veluti. Dubitandi, ut fors, forsitan, forsan, fortassis, fortasse, fortansan. Congregandi, ut simul, una, pariter. Personalia, ut mecum, tecum, secum, nobiscum, mea, tua, nostra, vestra. Hortandi, ut heia, age, agedum. Vocandi, ut heus. Respondendi, ut hem. Prohibendi, ut ne feceris. Negandi, ut modo ne id facias. Adfirmandi, ut etiam. Item a

* ita cod.

praepositionibus, quae mutato accentu in adverbia recedunt haec:. infra, infra stat; supra, supra stat; extra, extra stat, intra sedebat, ultra non faciam, et cetera. Item haec praeceptores nomina inter adverbia posuerunt, veterum observatione retenta, ut translatui, dimissui, receptui, ostentui, et si qua huiusmodi sunt alia, quae casui dativo dantur, in quibus ita dicere debemus: translatui est, translatui facit, et cetera. Iurandi, ut medio fidio, per Iovem vel fidem filiumque Iovis Herculem, quae iuratio proprie virorum est; ut feminarum est aedepol, Castor, Iuno. In adverbiis quoque comparationis gradus sunt tres, positivus, ut pulchre; comparativus, ut pulcherius; superlativus, ut pulcherrime. Inveniuntur etiam adverbia, quae per omnes gradus ire non possunt; ideo his ad significandum comparativum et superlativum gradum, magis et maxime coniungitur; ad minuendum, minus, minime; quemadmodum comparantur, ita et deminuuntur. Adverbia a positivo, ut primum, primulum, longe, longule. A comparativo, ut longius longiuscule, melius meliuscule. Figurae adverbiis accidunt duae: sunt enim simplicia adverbia, ut docte, prudenter: composita, ut indocte, inprudenter. Sunt secundum Donatum multae dictiones dubiae inter adverbium, nomen, et pronomen, et verbum, et participium, coniunctionem, et praepositionem, interiectionemque, ut falso, quippe, pone, profecto, quando, propter, eheu. Horum quaedam accentu discernimus, quaedam sensu. Item adverbia pauca, quorum quaedam in usu lectionis esse comprobantur; quaedam paene antiquitate oblitterata sunt, alias pro aliter, brevi pro breviter,

confidenter pro audaciter, con [1] pro illuc, cottidio pro cottidie, donicum pro donec, examussim pro examinato, ferme pro circiter, decolorem pro sine colore, ilicet pro ilico, in mundo pro palam, ilico pro in loco, inmane pro inmaniter, longe pro praecipue, secus pro aliter, secus pro post, serio pro vere, sarcte pro integre; secreta pro sola, si qua pro si aliquo modo, pariter pro pariliter, propere pro properanter, habunde pro habundanter, perpropere pro quam valde, sane pro valde. Sic item satis, pro aequo est. Item satis pro intente, perendie quasi per eam diem, prius pro melius et pro in primis, perinde pro proinde, penitus pro valde, prima pro primo.

DE PARTICIPIO.

Participium est pars orationis, de nomine verboque figurata, recipiens a nomine genera et casus, a verbo tempora et significationes, ab utroque numerum et figuram. Sex sunt participiis accidentia, genus, casus, significatio, tempus, numerus, figura. Genera participiis accidunt quattuor, masculinum, ut doctus, femininum, ut docta, neutrum ut doctum, trium generum, ut docens. Omnia enim praesentis temporis participia communia sunt. Participia totidem casibus continentur, quot et nomina; nam per omnes casus participia declinantur. Tempora participiorum tria, praesens, praeteritum, et futurum, ut docens, doctus, docturus. Significationes participiorum a generibus verborum su-

(1) *Con* apud Virgilium grammaticum a me editum T. V. p. 1. videtur significare *apud*.

muntur: veniunt enim a verbo activo duo participia praesentis temporis, et futuri, ut docens, docturus; a passivo duo praeteriti temporis, et futuri, ut doctus, docendus; a neutro duo, sicut ab activo, praesens, et futurum, ut stans, staturus; a deponenti tria, praesens, praeteritum, et futurum, ut meditans, meditatus, meditaturus; a communi quatuor, praesens, praeteritum, et duo futura, ut scrutans, scrutatus, scrutaturus, scrutandus. Numerus participiis accidit uterque; singularis, ut hic docens; pluralis, ut hii docentes. Figura participiorum duplex est; simplex, ut scribens; composita, ut discribens. Participia praeteriti temporis, et futuri, iuxta formam mobilium nominum genera distinguunt, et per masculinum genus et neutrum secundae declinationis sunt; per femininum primae, ut doctus, docta, doctum; futuri docturus, doctura, docturum; praesentis autem confundunt, et tertiae declinationis sunt, ut docens: nam participia semper generaliter non specialiter efferuntur, quia numquam certam personam notant. Participia sicut verba interdum semel, interdum saepius agere quid significant; et quidem praeteriti temporis lectitatus, praesentis lectitans, futuri lectitaturus; nec tamen omnia hac forma continentur. Incoeptiva participia praesentis temporis sunt tantum, ut calescens, tepescens, horrescens. Defectiva interdum participia alicuius sunt temporis, ut soleo, solens, solitus: interdum nullius, ut ab eo, quod est memini, nullum participium repperitur. Interdum a non defectivo verbo participia defectiva sunt, ut ab eo, quod est studeo, studens futuro tempore caret. Item sunt quaedam participia praesentis temporis, quae nec praeteritum, nec futurum tempus habent, ut potens, pollens: quaedam tempus

praeteritum habent, ut fretus. Providendum est, ne appellationes, quae speciem participiorum habent putentur participia, ut recens, frequens, decrepitus, haustus, togatus, galeatus, palpatus, tunicatus, barbatus; haec et similia, licet speciem habeant participiorum, tamen appellationes sunt, quae a verbo non veniunt. Sunt pauca, quae non plus latine, quam consuetudine pronuntiantur, a verbo tamen venientia, et quod egent tempore, mobilia magis nomina, quam participia iudicantur, ut pudibundus, furibundus, ludibundus, moribundus. Sunt quae participia videntur, et tamen verborum significatione privata sunt, ut pransus, caenatus, placita, nupta, triumphata, regnata, quae passivum verbum, cuius videntur esse participia, non habent, ut prandeor, caenor, nubor, non dicitur. Sunt quaedam participia similia nominibus, ut passus, visus, cultus, sapiens, indulgens, quae casibus et temporibus et comparatione discernuntur; nam participia secundae declinationis nomina quartae esse dinoscuntur: aut comparantur, ut visus, visi; cultus, culti; et visus, visus, cultus cultus; et sapientior, cultior. Item participia defectiva, quae accepta comparatione fiunt nomina, ut acceptus, incensus, acceptior, incensior. Item prudens, ingens, eligans, opulens, quae licet participiis similia videantur, nomina magis esse iudicantur.

DE CONIUNCTIONE[1].

Coniunctio est pars orationis nectens ordinansque sententiam. Coniunctioni accidunt tria, figura, ordo, po-

(1) Charisius lib. II.

testas. Figura est qua appellatur, aut simplex, ut quidem; aut composita, ut equidem. Ordo est quo apparent coniunctiones quae praeponi debent, tum quae subiungi, tum quae et praeponi et subiungi. Praeponuntur coniunctiones hae tantum, at, ac, ast, sin autem, nam. Subiunguntur coniunctiones tantum, ve, que, ne, neque, ceterae praeponuntur coniunctiones, hae subiunguntur, exceptis supradictis. Potestas coniunctionum in quinque species dividitur. Sunt enim copulativae, disiunctivae, expletivae, causales, rationales. Copulativae sunt hae, et, que, cet, ast, at, atque. Disiunctivae, aut, ve, vel, no, nec, neque. Expletivae, quidem, equidem, quoque, autem, tamen, porro. Causales, etsi, tametsi, siquidem, quando, quandoquidem, quin, quin etiam, sin, seu, sive, nam, namque, ne, ni, nisi, praeterea, si, enim, etenim, sed, interea, quamobrem, praesertim, item, itemque, ceterum, alioquin. Rationales, quamobrem, praesertim, item, itemque, enim, etenim vero, quapropter, quippe, quando, quandoquidem, ergo, ideo, scilicet, propterea: in istis tamen discernendis Donatus et Palaemeon dissenserunt. His igitur ita definitis, inspiciamus nunc quae sint potestatis, et sunt hae, que, et, porro, quidem. Sunt causales, quoque, itaque, etiam, ac, item, at, vero, nam, enim, quia, quando, eo, ideo, quod, idcirco, propter, causa, gratia, ergo: hae enim ubi causa redditur rerum, coniungere rationem solent, ut non venit, quoniam non voluit. Sunt ratiocinativae, quare, quapropter, igitur, ergo, itaque, quando gravi accentu, quatenus, quoniam, ideoque, quandoquidem, siquidem. Hae ratiocinativae, quae rem propositam ratione confirmant, hoc modo: lucet, igitur dies est;

nam hic est coniuncta ratio, lucem ideo esse, quod sit dies. Sunt dubitandi, si, siquidem, sive, seu, nisi. Sunt disiungendi, an, ne, aut, neque, neu, nec, neve. Sunt relativae ad aliquid, sive comparativae hae, magis, hoc modo, hic est, immo ille, vel potius ille. Sunt similitudinis, ut tamquam lepidus rhetor, et tam ille, quam hic. Relativae, quamquam, quamvis, etsi, tametsi. Sunt infinitivae, dum, quamquam, postquam, ante, quatenus, ut, cum. Sunt subiunctivae, cum, si; et quae ab eo compositae sunt, tametsi, antequam, donec, quamvis, dummodo, licet, postquam, donicum cum pro donec accipitur aut pro dummodo: nam iuxta regulas auctoritatis praeceptorum priorum nos commovere non debet, si quaedam esse adverbia, et coniunctiones recognoverimus. Restat enim ut dicamus quae coniunctio cui qualitati iungatur, quod in edendis sententiis textu locutionis intellegi pernecessarium esse dinoscitur. Cum igitur modo finitivis, modo subiunctivis per omnia tempora iungitur; ut cum lego, cum legebam, cum legi, et cetera: sic quoque subiunctivis, ut cum legam, cum legerem, cum legerim, et cetera. Sed interest utrum finitivis, an subiunctivis iungatur; finitivis enim iungitur quoties ad id tempus quo agebamus refertur, veluti cum declamo venit, idest ipso tempore quo declamo; ut Virgilius: cum venit, aulaeis iam se regina superbis aurea composuit sponda; idest tempore ipso, quo veniebat. Et apud Ciceronem: tantum profeci cum te a consulatu repuli. Futuro quoque apud Virgilium iungitur: cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet: quod est ipso tempore quo dabit amplexus, et figet oscula: hoc pacto iungitur finitivis. Coniunctivis vero, cum post factum aliquid significat; ut cum

venisset, declamavit : indicat enim prius venisse, et sic se coepisse clamare ; ut apud Ciceronem : cum ille homo audacissimus conscientia convictus reticuisset, patefeci. Nam primum Catilina tacuit, et tunc Cicero patefecit. Si modo finitivis, modo subiunctivis iungitur, ut si venio, si veniebam, et cetera. Sed finitivis iungitur hoc modo quoties res factas significat, ut apud Ciceronem : si inlustrantur, si erumpunt omnia, mutet Catilina mentem ? Sic quoque perfecto iungitur, ut Virgilius: si potuit manes arcessere coniugis Orpheus: adfirmat enim potuisse. Et apud Ciceronem : quod si haec, quae dico, maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone. Subiunctivis vero iungitur quoties conditionalis et incertus sermo est ; ut si legas, si legeret: qui enim sic loquitur, nihil certe factum ostendit, dum iungitur finitivis, ut dum venio. Quoties vero pro eo, quod est dummodo, vel pro donec ponitur, subiunctiva recipit, ut apud Virgilium : dum conderet urbem ; id est dummodo conderet. Dum, etiamsi alius praeponitur sermo declinationis, ad illum reformatur, ut petebam ut dum venires facerem. Num, si praepositum illi fuerit aliud verbum finitivum, recipit subiunctiva ; ut interrogavi num dubitaret; fere enim semper praeposito verbo finitivo parti orationis dubitativae subiungitur species subiunctiva, ut nescio quid dixerit, nescio quid fecerit, nescio quare venerit, nescio cur dixerit, et cetera. Aliter vero finitiva, ut apud Terentium : num aliud me tibi opus est ? Item quare venisti, cur dixisti, cur fecisti ? et similia, quando non praeponitur verbum. Item quamvis recipit coniunctivum, ut quamvis dixeris. Item dummodo coniunctivum, ut dummodo dicas. Item licet subiunctivum, ut licet dicas. Item quamquam subiunctivum, ut quam-

quam ambulet. Item ut recipit finitiva quoties pro eo accipitur, quod est quomodo, ut apud Ciceronem: ut sustinuit, immo vero ut contempsit, idest quomodo; quoties vero pro eo, quod est ἵνα, recipit optativa, veluti ut faciam, dicam; nonnumquam, cum quomodo significat, recipit similiter subiunctivum praeposito infinitivo verbo, ut apud Virgilium: infandum, regina, iubes renovare dolorem, troianas ut opes et lamentabile regnum, eruerint Danai. Ne aliquando imperativa, aliquando finitiva, interdum optativa, nec non et coniunctiva recipit, ut ne fac, ne scribas, ne facias. Quoties rei dubiae et quasi condicionali aptatur, recipiet subiunctiva, ut apud Ciceronem: nac, Eruci, accusator esses, si illis temporibus natus esses; hoc est, si esses natus, esses ridiculus. Item postquam modo finitivo, modo subiunctivo. Finitivo iungitur ut apud Virgilium: postquam res Asiae, Priamique evertere gentem visum Superis; ut sit postquam visum. Coniunctivo vero quoties secernitur: postquam venisset, factum esset. Item antequam modo finitivis, modo subiunctivis iungitur; ut antequam venisset: finitivis, ut apud Virgilium: ante pudor quam te violo. Item ni, et nisi, subiunctivo: ni fecisset. Quamquam apud Ciceronem nonnumquam finitivis iungitur. An pro cum interdum ponitur, ut Maro Bucolicon: an mihi cantando victus non redderet ille quem mea carminibus meruisset fistula caprum. Atque pro et ponitur. Ast apud antiquos variam vim habuit, pro adque, pro ac, pro ergo, pro sed, pro tamen, pro tum, pro cum, ut in glossis antiquitatum scriptum repperitur. Et coniunctio id valet quod que; sed hoc differt quod haec non modo subiungitur, sed etiam praeponitur, modo geminatur, ut quis foedere certo, et premere et

laxas, et cetera. Modo simpliciter elata, sed figurata, ut: labitur uncta vadis abies mirantur et undae. Modo interrogativa: et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi? Modo indignativa, ut: et quisquam numen Iunonis adoret? Modo confirmativa, ut: et dubitamus adhuc virtuti extendere vires? Modo causalis, ut in Georg. et gens illa sumptis haud tarda pharetris. Modo adnutiva, et conpromissiva: dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo. Modo adiectiva pro etiam: quorum Iphitus aevo iam gravior, Pelias et vulnere tardus. Modo ordinativa: corpusque lavant frigentis, et unguot. Modo superlativa, ut: quicquid est timeo Danaos et dona ferentes.

DE AUT CONIUNCTIONE [1].

Aut coniunctio dubitativa si geminetur, habet potestatem, qua dicitur aut librum volo, aut pretium; utrumque ex aequo desiderare significat. Aut si semel subicitur, deminutiva est, et gradum habet ad inferiora tendentem, ut cum dicimus: librum volo, aut pretium, ut si liber quem volo minime reddatur, tum quod secundum est vel pretium reddatur. Istius coniunctionis qualitates sunt multae. Modo comminativa, ut cum dicimus: aut da mihi, aut rapio. Modo hortativa est, ut: aut tu, magne pater divum, miserere; ut est dictum, et tribues illud; vel tu quod superest infesto fulmine morti si mereor demitte. Modo coniunctiva pro et ponitur; ut molirive moram, aut veniendi poscere causas. Modo pro que: ut ter liquidas corvi presso ter

(1) Ex Diomede lib. I. sub finem.

gutture voces, aut quater ingeminant, pro quaterque. Modo pro separativa; ut aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto. Sunt simplices coniunctivae ut, et, ast, que, ae, am, ve, vel, ne, nequidem, saltim, autem, tamen, porro, si etiam, quando, quippe, ergo, et cetera. Sunt compositae, ut adque, equidem, videlicet, quamquam, quamvis, quoque, etsi, etiamsi, sitamen, siquidem, quandoquidem, quatenus, quinetiam, sinautem, sinetiam, etenim, seu, sive, namque, nisi enim, interea, quamobrem, alioquin, itemque, itaque, quapropter, et cetera. Inter autem et enim hoc distat, quia autem dictionum sensum commutat ac discernit, enim conglutinat. Inter verum et vero duae sunt distantiae; una qua verum praepositi ordinis, vero subiunctivi; alia qua verum causaliter pro tamen habetur, vero ob expletionem tantum suae rationis accipitur. Quamquam in quinque species coniunctio divisa sit, tamen in sese commiscentur, ita ut unaquaeque alterius ratione et qualitate utatur.

DE PRAEPOSITIONE [1].

Praepositio est pars orationis, quae praeponitur, aut sibi ipsi, aut ceteris partibus orationis. Nam aut nomini praeponitur, ut invalidus, aut pronomini, ut pro me; subponitur ut mecum tecum. Aut verbum antecedit, ut describo; aut coniunctionem, ut absque: aut se ipsam ut circum circa. Praepositiones aut casibus serviunt, aut loquellis: casibus serviunt, ut apud vos,

(1) Charis. lib. cit.

penes te : loquellis, ut con di re se am ut congredior, amplector, deduco, recipio, secedo, distraho. Item ceterae omnes paene et verbis sic cohaerent ut nominibus. Praepositionibus accidunt tantum casus. Quae casibus serviunt, aut accusativum habent, aut ablativum, aut utrumque; et sunt accusativi casus ad, apud, ante, adversum, cis, citra, am, contra, circa, circiter, extra, erga, infra, intra, inter, iuxta, ob, per, praeter, propter, prope, pone, penes, subter, supra, subtus, secundum, trans, ultra, usque; ut ad fines, apud Ciceronem, ante arcum, adversum hostes, am segetes, contra Capitolium, circa montem, circiter ducentos, citra fines, citra conscientiam, circa forum, cis alpes, extra urbem, erga filios, inter prudentes, intra templum, infra Palatium, iuxta balnea, ob merita, per medium, praeter summam, propter illum, post annum, prope urbem, pone litus, penes arbitros, subter mare, supra Ilium, subtus lectum, secundum ius, trans Tiberim, ultra fines, secus vos, usque Romam. Ablativi casus sunt a, ab, abs, cum, coram, clam, de, e, ex, pro, prae, palam, sine, tenus; ut a civitate, ab homine, abs te, absque servis, cum fratre, coram multis, clam magistro, de civitate, e medio, ex usu, pro republica, prae dolore, palam omnibus, sine fine, tenus pube. Item utriusque casus sunt in, sub, super, subter; ut in ius eo, in iure est, sub montem veni, sub monte moror, super arma, et super armis, subter mare, et subter mari, et super Priamo, hoc est de Priamo. In et sub, cum adversum vel ante significant, accusativo casui serviunt, ut ibat in hostem, et sub ipsam auroram, pro ante. Item accusativi sunt, cum quemlibet ad lo-

oum ire, isse, itum ire, indicant : significant ablativum, cum quemlibet in loco esse, fuisse, futurum esse, denuntiant; ut puta, quo is? in urbem. Sunt quaedam praepositiones, quae tam verbo, quam casui praeponuntur; aliae tantum verbo; quaedam tantum casui: aliae mutato accentu in adverbia cedunt. Hae propriae verborum sunt, di, dis, co, con, re, se, as, diducere, dispergere, coaptare, confundere, revertere, secludere, asportare. Itemque propriae casibus iunguntur hae: propter, apud, circiter, sine, subter, infra, clam, intra, cis, extra, post; supra, prope, ultra, usque, citra, secundum, erga, circa, pone, penes, iuxta. Sunt item ex universis quae casibus et verbis praeponuntur, ut ab arce amoveo, abs te abstraho, ad illum adgredior, ad fines adeo, ante tribunal antecedo, contra illum contradico, circum oppidum circumeo, de illo decido, e coeno educo, ex alto excipio, ob illum obicio, inter illum interdico, pro viribus praedico, pro illo promitto, praeter illum praetereo, per agrum peragro, sub illum subeo, super lectum supergradior, trans flumen transeo. Sunt similiter ex universis, quae mutato accentu in adverbia cedunt Etiam in verbis notae sunt, ut infra stat, supra stat, extra stat, intra sedebat, ultra non faciam, citra discurrit, circa equitatum, iuxta facit, contra condit, subtus erat, coram stetit. Item palam ante venit, post sedit, prope cecidit. Item paene usque illum mulcavit. Item valde cum hos audiebat. Item usque illo cum venisset. Quaedam quamdiu sine casibus enuntiantur, adverbia sunt, receptis casibus praepositiones; quae quando casu suo, et presso accentu pronuntiantur, praepositiones nuncupantur. Generaliter autem et canonice praepositiones gentibus et nationi-

bus adduntur, civitatibus adimuntur, et domo, et ruri cundi, manendi, redeundi; ut rus eo, ruri sum, ruri venio; ut Maro Aeneae stetit ante pedes: at vero quando non cum casu suo, et tamen acuto accentu proferuntur, adverbia esse iudicantur; ut Salustius: Antonius paucis ante diebus scripsit ex urbe: quae quando non cum casu suo acuto accentu inveniuntur, non iam sunt praepositiones, sed id quod significant appellantur. Prae aliquando significat et adverbium, ut apud praefatum. Cum significat adverbium: cum hos audiebam. Super significat adverbium, ut Virgilius: super ipsi Dardanidae infensi. Re et se quando sint praepositiones, quando aliis partibus orationis respondeant per accentuum sonos dinoscuntur, pressi scilicet et acuti, ut puta refero, refer, sedeo, senui, regula, retis, separo, securus. Circum, circa, circiter, hoc differunt, quod circum loci est, ut circum theatrum: circa temporis, ut circa kalendas: circiter numeri, ut circiter horas decem; et si aliter inveniatur, licentia dictum videtur. Contra et adversus hoc differunt, quod contra loci est, ut contra basilicam, adversus illum facio; interdum autem promiscue accipiuntur. Item ante, post, penes, inter, nunc praeponuntur casibus, nunc mutato accentu subiunguntur; ut ante illum, illum ante. Ex et ab praepositiones, si sequens a vocali incipiat, incorruptae proferuntur, ut ex urbe, ab illo: sequente autem aliqua consonante, extremam litteram perdunt; ut e foro, a Marco; et non unum idemque significant, eo quod a theatro venire, et ex theatro non est unum: qui enim ex theatro se venire ait, dixit ex ipso veni theatro: qui dixit a theatro, non ex ipso theatro, sed de loco, qui est proximus theatro, indicat se venisse.

Coram et palam praepositiones hoc differunt, secundum quosdam, quod palam notis vel ignotis respondeat, ut puta palam omnibus : coram autem notis tantum, ut puta coram patre, coram amico. Ad et in praepositiones quidam hanc distantiam habere voluerunt, ut siquis dicat in forum eo, in ipsum forum se intrare significet ; ad forum, in locum fori proximum se ire demonstret. Item a et ab hoc differunt : a praeponitur nomini quod a consonante incipit aut vocali loco consonantis posita, ut a magno, a maximo : ab his praeponitur, quae a vocali incipiunt, quamvis etiam adspiratio praecedat, ab Indis, ab honesto. Has praepositiones multi adfirmant propriis civitatum nominibus non debere praeponi. Item cum praepositio tertiae personae praeponitur tantum, ut cum illo : nam primam, et secundam subsequitur, ut mecum, nobiscum, vobiscum. Item in praepositio, nunc derogativa, nunc adiectiva, ut firmus infirmus, potens inpotens, et infractus idest valde fractus, inpotens idest valde potens. Circa et erga praepositiones hanc diversitatem habent, quod circa secundum quosdam ad visibilem materiam, vel locum pertinet ; erga ad animam spectat, vel maxime cum aliquem propensiorem affectum generat proximorum, ut circa forum, et erga patrem. Item super praepositio iuxta Plinium Secundum ex tribus praepositionibus, idest supra, de, in, habet significationem, ut puta: Maro sua sedens super arma, idest supra. Item de: multa super Priamo rogitans, super Hectore multa, hoc est de Priamo, et de Hectore. Item in: gemina super arbore sidunt, idest in arbore. Item fronde super viridi, hoc est in viridi. Item per diversas habet significationes, aliquando dicitur per me, per illum : aliquando pro

valde accipitur, ut perdoctus, idest valde doctus, quod significat doctissimus. Nonnumquam pro eo accipitur, quod ex actione iurisiurandi dicitur, ut ait poeta: per Superos atque hoc caeli mirabile numen, per sidera testor. Aliquando pro eo cum nostra voluntate iureiurando adfirmamus aut negamus, ut Virgilius: per ego has lacrimas, dextramque tuam te, per connubia nostra, per incoeptos hymenaeos. Ad et apud hoc differunt; ad enim ad locum refertur, quasi ad illum eo; apud in loco, quasi apud illum sum. Item in et erga hoc differunt; fere enim erga ad affectum refertur, quasi benignus illum erga, in ad simultatem quasi in illum sum saevus. Item secundum duplicem intellectum habet; modo ad proximitatem, modo ad aemulationem: ut secundum illum sedeo, et secundum illum vivo; idest prope, et similiter. Item ex et de praepositiones nonnumquam mediae inveniuntur, ut hac ex re, et qua de re agitur. Quidam ex ad locum referunt, quasi ex fundo venio, ex agro venio. Item e praepositio, modo ex loco significat, ut e foro; modo pro eo quod est pro accipitur, ut e republica, idest pro republica. Item pro multas significationes admittit; accipitur aliquando pro eo quod est ante: aliquando pro eo quod est porro, cum quasi apertum sit in medio, et dicatur provocâvit illum, produxit illum, idest porro vocavit. Significat et longe, quasi proiectus; significat et derogationem cum dicimus profanus locus, idest non sacer, quasi porro a fano positus. Item prae praepositio diversas habet significationes: accipitur enim pro valde, ut praedurum vulnus est, idest valde durum. Significat et propter, ut prae illius virtute. Item accipitur pro eo quod est sine, ut prae fascino, idest sine fascino. Aliquando

pro ante. Item differt utrum proscribo, an praescribo dicatur ; est enim proscribo palam et aperte scriptum pono , ut cum bona alicuius proscribo : praescribo autem significat quales sunt praescriptiones apud iuris consultos. Item propono , et praepono : qui controversiam declamat aut disputat , solet dicere , quaestionem propono ; praepono vero cum alterum alteri praefero. Sub praepositio, si in locum significat , accusativo casui servit , quale est volitare sub umbras. Et item: magna mei sub terras ibit imago . Ablativo vero quoties in loco significat , quale est Troiae sub moenibus altis. Cum vero nulla loci significatio, indistincte praeponitur. Omnia verba, quae recipiunt praepositiones, eiusdem tamen ordinis perseverant , ut capio capis , recipio recipis , mordeo mordes , remordeo remordes , exceptis paucis , ut sapio sapere , adiecta enim praepositione facit resipio resipire , et erit quarti ordinis , et dissipio dissipire , et cieo ciere , accio accire , do dare, addo addere , et siqua sunt similia. Sunt praepositiones , quae acceptis ceteris partibus orationis corrumpuntur , aut illas corrumpunt , aut altrinsecus corrumpuntur, ex, ad , ob , in, sub , trans , con , circum , ante. . . . . .

Hactenus exscriptum fuit ; pauca insuper , et quidem pleraque oblitterata , in codice supererant.

EDITORIS MONITUM.

Augendi opes latinitatis cupidus, non ita brevem sexto in volumine vocabulorum numerum constipavi, ex antiquis glossariis sumptum, multoque uberiorem mox in octavo congesturus sum. Nunc eodem codice utens, de quo T. VI. p. 553. verba feci, copiosam aliam glossarum seriem scribo, sane mendis compluribus interspersam, quae vix ab homine otioso, nedum a me festinante, auferri possunt; sed tamen grammaticis ac lexicographis, ut spero, non negligendam; qui scoriis demptis, pretiosi metalli reliquias ad utilitates suas sollerter convertent. Quem vero praecipuum his meis editionibus, non dico iudicem (etenim nemo severitatem sibimet implorat) sed aequum arbitrum invocem, nisi eximium latinitatis vindicem Iosephum Furlanettum, a quo Lexicon, quotquot hactenus extiterunt laudatissimum et χρηστικώτατον, ante hos annos accepimus? Is nimirum vir sapientissimus quid in his glossis ad classicam latinitatem, quod item ad corruptam vel dubiam pertineat, pro suo excellenti sensu intelliget. Quod si in alio vitae genere versarer, multa ipsemet purgaturus eram vel idoneis exemplis criticisve subsidiis confirmaturus, quodque rei caput erat, scripturam vetusti codicis supina barbarie vitiatam pro viribus emendaturus.

Verum haec ipse equidem curarum abreptus in orbem
Praetereo, atque aliis post me tentanda relinquo.

GLOSSAE ANTIQUAE

EX CODICE VATICANO.

A

Abbaso, infirma domus.
Abdicant, absterrant vel propulsant.
Abdicit, avertit, abicit.
Abiurare, est rem creditam negare periurio.
Abolere, neglegere.
*corr. this. Acalanthia *, avis veperibus assueta, cardellus, carduelis.
Accucula, exilium.
Acer, in unamqnamque formam vegetns ac nimius.
Acervus, grumula.
Aceris, palea miliacea.
Acidiari, indignari, stomachari.
Acolythi, ceroferarii a deportandis cereis quando legendum est evangelium, aut sacrificium offerendum.
Acrimoniosi, saevitiosi.
Acrocheria, ligatura articulorum.
Acrotilia, articula.
Acrotomis, lapidibus dedolatis.
Actarii, dicuntur diversis actibus generaliter occupati.
Actuarius, actu qui fecit.
Aculeum, peccatum.
Adclivatum, obliquum, curvum.
Addixi, prostravi, subegi.
Adfectio, maceratio.
Adluvies, locus coenosus vel morbus.
Adlnvio, consummatio.
Adluvium, ruina riparum ex aquis.
Admissum, peccatum.
Adoptat, adfiliat.
Adoptio, adfiliatio.
Adoltus, adultus
Adplectitur, adgaudet.
Ad praestolandum, ad suscitandum.
Adruncat, evertit, alienat.
Adsertor, causarum prosecutor.
Ad ulciscendum, ad defen-

dendum.
Aegeatur, ornatur.
Aegritudo, confusio, scrupulositas.
Aegophthalmus, gemma caprino oculo similis.
Aeneatores, tubicines.
Aeque, quicquam, nihil.
Aeque vident, non vident.
Aeramen equum, vocat vulgus quod in modum aeris sit coloris.
Aestimium, aestimationem puto dici.
Aestivolum, aestiva tempora
Affatim, statim, continuo.
Affatim, ad sermonem.
Affatim, optime loquens.
Agaso, domesticus.
Alares, equitum turmae.
Alarica, hasta vehemens, trium angulorum ferrum habens.
Alaris, caballaris.
Alcyonia, avis marina, quae pelago nidum medio facit, cuius partu tertia die pullamina excluduntur, quarto cibo foventur, septimo volatui ostenduntur.
Alae, equitas, turmae equitum.
Allicula, genus vestis.
Alternatis manibus, id est sicut benedixit Iacob Ephraim et Manasse.
Amanet, extra manet.
Amarina, genus virgulti amari.
Ambro, devorator, decoctor, profusus.
Amma, avis nocturna.
Ammodytae, genus serpentinum est.
Amphiballus, hirrus bellatus.
Ancones, incastratores.
Ancones, uncinus.
Andabetae, gens quaedam.
Animat, hortatur.
Animatione, vindicta.
Anniversa, anni revoluti dies.
Anquiromacus, genus navigii est.
Antagonista, provocator, incitator certatoris.
Antes, extremi ordines vinearum sive arborum.
Apicinsus, calvus.
Apissima, otio largissima.
Apissimo, otio largissimo.
Apocrisis, depulsio.
Apollit, apportat.
Appiendo, ligando.
Appodix, socia, comes.
Aprilax, calor.
Aqualimn, summa pars capitis.
Arcistes, sagittarius.
Argis, silva.
Arisat, grus quando clamat; sicut et milvus ingit, canis baubat.
Arithmeticus, numerarius.
Arium, spolium.
Arma bel'i sunt, armamenta vero navium.
Armoracea, hoc est lapsena.

Arquaturae, fornices.
Arsippio, arcus.
Artabit, conligabit.
Artepta, genus vasis ut pugella.
Asterias, Venus.
Articulatim, gradatim.
Articulatus, articulis compositus.
Articulum, argumentum, ingenium.
Artox, malus reus.
Artiplices humidam et frigigidam virtutem habent; in cibo sumpti ventrem solvunt.
Artuatim, membratim.
Assares, lattas, latinum est.
Ascellulae, pinnae vel squamae.
Asida in caelo, id est stella vel avis.
Aspita, ruina.
Auceps, acceptor, captator.
Audicialis, qui audit.
Avigerus, augurator, qui aves aspicit.
Austrare, humefacere, dictum ab austro qui est valde pluvialis.
Austri, nimbi.
Autum, secretum aut longe semotum.

B

Babiger, stultus.
Baucadem, gellonem ubi infusa fit.
Bacchanalia, bacchationes.
Baccanaene, herba iucunda.
Baccaulus, in quo mortui efferuntur.
Baccatum, margaritatum.
Bacterim, bastactere id est baculum.
Baccula, a bacca diminutive.
Baccunis, rusticis, stultis.
Bafer, grossus.
Balbus qui habet dulcem linguam.
Baptisterium, tinctorium.
Barbara, inverecunda.
Barbarica, auro ornata.
Barba sterili, duri butius *.
Barritanici *, flores qui in silva nascuntur.
Bascaudas, conchas aereas.
Basilla, regina.
Basilissa, imperatrix.
Basterna, tecta manualis.
Batillum, turibulum.
Batioca, patera argenti ad sacrificandum.
Batos, herbae genus.
Baxeas, calciamenta.
Baxea, calciamenta mulierum sunt.
Befacis, mendacis.
Befarius, bilinguis.
Benalia, benigna.
Bibleis, duplicibus linteis.
Bibliothecarius, qui codices recenset.
Biblium, codicem, librum.

* ita cod.
* britan.

Bibula, papyrus dicta eo quod humorem bibat.
Bicerra; vestis guffa (1).
Bidentat, fodit.
Bidento, fodio.
Bifarium, biformem, bilinguem, duplicem.
Bigenerum, ex duobus generibus conceptum.
Bili, coles.
Bilivit, adumbratio vocis aquae scaturientis.
Bimareus, secundus maritus, iterum maritus.
Bimarius, quod supra.
Bimatur, duplicatur.
Bisiltes, porcus fissis ungulis.
Blax, stultus.
Blasto, cubicularius.
Blattera, sonus ranae.
Blatterat camelus.
Blenones, putidi, hircones, inpudici.
Blicea, stulticia.
Blitea, herba saporis evanidi.
Bobinatores, inconstantes.
Bolida, honor magnus.
Bombus, imitatio vocis.
Borion, promuntorium Numidiae, vocatum ita, ad aquilonem tendit.
Bosor, caro.
Brevia, humilia in mari vel in flumine loca.
Brittaneum, deambulatorium marmoratum.
Broccha, labrosa.
Bruscum, arboris genus.
Bubum, senium, angorem.
Bucula, vaccula.
Burbulia, intestina maiora.
Burgos (2), castra.
Burgones, caulas.
Burrae, claroniae, fatuae aut stupidae; a fabula quadam Buroni actoris, quam Burra scripsit; vel a meretrice Burra.
Burrum, rufum et nigrum.
Bussus, pinguis, obesus.
Bustantes, funestantes.
Bustum, perflammatum.
Buto, genus animalis.
Butum, inbutum, ab inbuendo.
Buxus, arbor est; buxum autem ipsa materia seu lignum.

C

Cabalos, vulgus appellat aves nocturnas.
Cabo, caballus.
Cabonem, equum castratum, quem nos caballum dicimus.
Caecntos, graciles, tabidos.
Calamiscos, calamos.
Calamostros, iscos vel cariscos, quasi in nucis modum deformatos.

(1) Hinc italicum *goffa*. (2) Ital. *borgo*.

Chalcitis, gemma aërei coloris.
Callegi, semitae angustae.
* infra clarimum. Calnum *, clarissimum.
Caltudia, dies festus.
Calventes, frustra calumniantes.
Camba, inflexa, tortuosa.
Campestria, lumbaria sive praecinctoria.
Campiter, fundus qui in campo est.
Camsare, flectere iter.
Camuram, curvum.
Camuris, curvis inflexis.
Cancer, forceps aut ulcus.
Cancri, cancelli.
Caneum, inter nigrum viridemque colorem.
Canebant, saepe dicebant.
Canebat, canos afferebat.
Canictas, furfures.
Caniel, leno.
Carpophorus, Deus paganorum graece, quem Latini frugifer dixerunt.
Carpophorus, ubertissimus.
* ita eod. Casiorem *, medicamenti genus, quod in Ponto conficitur.
Cassare, vacuare.
Cassiculo, reticulo.
Cata, docta, vel multorum cantica, vel secundum concentus multorum cantatio.
Catamitus, quidam vir fuit. Plautus: ubi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adonem.
Catapotia, genus calicis.
Catasta, scala, vel genus poenae equuleo similis.
Catema, collare muliebre.
Caturrens aqua, bulliens.
Catux, sublimis.
Cavamina, utraria bello cauta.
Caudicatus, radicatus.
Caviavit, perforavit.
Caulae, ubi sunt advocati.
Caupilus, scapha, canale, locellum.
Cebetem, quem Virgilius dilexit nimis cum Alexandro, quem Alexim vocavit.
Ceraunius, lapis fulmineus similis hispano; et hispanum lapidem antiqui ceraunium vocaverunt a calore.
Cernuus, magnus, infinitus, excelsus, acer.
Cerritum, insanum, amens.
Caesim ire, cesso ire.
Cervix, dum singulari numero dicitur, significat collum; dum plurali, superbiam. Ut Cicero in Verrem praetorem: tu assuetus cervices frangere et superbiam inclinare.
Ceruleus, bestia marina.
Cyclopes, semiferi homines, qui in Sicilia in Aetna monte fuisse perhibentur, qui humanis corporibus con-

suerant vesci, ut poëta ait.

Cilios, unde fabri ferramenta incidunt.

Cilium est unde operantur argentarii, a quo et caelata vasa dicuntur.

Cymbia, quae, et carchesia, genus poculorum, ex similitudine cumbae navis.

Cymbia, vasa quae in modum cauci fiunt.

Cimon, ciminum.

Cinciani, capilli dependentes de capite mulierum.

Cincinnatus, cui capilli pendent crispi.

Cinctus, est lata zona, et minus lata hemicinctium, et utriusque minima cingulum; nam a cincto per diminutionem cingulum nominatum. Cincto autem iuvenes in exercitatione campestri verecunda velabant, unde et campestris dicebatur.

Cinnus, tortio oris.

Chionia, vitis uvas grandes magis quam multas habens, nomen autem inde sumens quod multi vini fluat (a χέω.)

Circumscribit, in praeiudicium mittit.

Circumtextum, vestis species.

Chirographum, cautio.

Ciroxere, circumdare.

Cirsum, carpentum.

Cis citra, circumcirca, iuxta.

Citaxus, similis taxo.

Citra te, sine te.

Clancule, latenter.

Clangor, sonus tubae, vel vox anseris est.

Clarigantes, clarentes, florentes.

Clarimum, clarissimum.

Clatbri, ligna volubilia in caveis.

Clepare, contingere.

Clepit, subripit.

Clepsydra, vas aquarium quod iudices habent propter horas nocturnas metiendas.

Climacteria, natura rei incerta, perfugia vel auxilia.

Climpia, species colorum.

Clinici, qui de lecto non descendunt.

Clinicus, paralyticus.

Clinsit, degustavit.

Clipeare, contegere.

Clipeola, anulus, rotulus.

Clipeum, imago rotunda in qua solum caput pingitur.

Cloacae, fossae balneariae.

Cloes, folles.

Cloes, pluvia.

Clonia graece, quod nos ramalem dicere possumus.

Cluram, simia quae cum cauda est.

Coarcutiatio, concameratio, id

est coniunctio arcuum.

Codrus, nobilissimus pastor et poëta fuit.

Coetu, circulo, non conventu, dicit Donatus.

Cognabo*, ignarium unde ignis excutitur.

* ita cod.

Coibilius, constabilius.

Coinus, genus arboris.

Colifuria, boves opus facientes.

Collegarius, unus e collegis.

Collyrida, subcinericius panis.

Comatiarius; qui mimariis obsequitur.

Comaticus, versificator brevis.

Comesor, cibis ac ventri superflue deditus.

Commeare, simul ambulare.

Commentum, molimum, macinatum.

Commeritus, qui deliquit aliquid.

Comminus, contra.

Commissus, initiatus, coeptus.

Communicarium, partiarium.

Communicat, coinquinat.

Conaminae, librorum incipientia.

Concadit, ruit.

Concapsit, conpraehenderit:

Concinus, canticus.

Concionarius, qui populum alloquitur.

Conclassare, classem iungere.

Concunctatur, dubitatur.

Concupiscit, rem alienam cupit.

Condormescunt, pariter dormiunt.

Conducibile, utile.

Confinalibus, aut affinibus genere, aut a finibus.

Confinius, urbanus.

Conforaneus, unius fori.

Confragmentum, simul confragosum ut mons.

Confutator, defensor, criminis destructor.

Congeluit, induruit.

Congestio, conportatio, cumulus.

Conglobatio, coadunatio.

Congrus, genus piscis.

Coniboli, concordes, coniuncti.

Coniectura, conparatio, similitudo.

Conixa, partu liberata.

Conlibescit, quod valde delectat.

Conlibrum, genus taeniae.

Conmanipulares, collegas.

Conmanipularius, conscius, collega.

Conmentabundus, cogitabundus, adinveniens.

Conmolestant, conspiranter molestant.

Communicipes, cives.

Connubii precium, filii dicuntur.

Conon, summus, ut quidam

volunt, alexandrinus mathematicorum magister maximus.
Conorum, prophetarum.
Competitor, amicus.
Conplueretur, pluvia inficeretur.
Conpluita, pluvia infecta.
Conpotem, conpossessorem.
Conpulsatio, impugnatio.
Conqueritur, querellatur.
Consacranei ———
Consarsum, plumatum, vel acu textum.
Conscia fati, mortis scia.
Consponsum, conpromissum.
Consulere, aliquando in malum, ut est illud Trogi in libro sexagesimo secundo de Phraata rege: cum multa crudeliter consuleret, in exilium a populo suo pellitur.
Contignare, comportare.
Conumna, genus vehiculi est.
Copadium, particula carnis.
Choragium, pars est in ludis quando proverbia dicuntur.
Corymbata, navis.
Coriosum, vestitum.
Corporantur, solidantur, in corpus eliguntur.
Cossi, vermes in ligno quos vulgo teredonem vocant.
Cossum, rugosum, contractum et curvum.
Cotei, iracundi.
Cotidianitas, adsiduitas.
Cotidiantes, adsiduantes.
Cotis, dignitas corporis. Virgilius: nunc scio quid sit amor nudis in cotibus.
Cothurnus, venaticum et agreste calciamentum est, quia unus pedi utrique convenit; unde si quis duobus discordantibus fuerit amicus, cothurnus dicitur.
Cothurnum, speruum.
Covenum, indigestio.
Crates, conlaxiones.
Crebrosus, qui cerebro habet vitium.
Crebruit, spissavit.
Credere, confidere. Sallustius: virtute satis credebant.
Chrematicus, pecuniosus (a χρῆμα).
Crepere, in corpore dubitare.
Creperia, dubia, incerta.
Crepido, saxa coniuncta, et calciamenti genus.
Crepor, sonus.
Crepores, ferri effracti sunt.
Crepundia, insignia vel indicia quae expositis infantibus adhibentur.
Crepusculum, intium diei vel noctis.
Cristatus, cassidatus.
Culco, vestigio.
Culere, quare, unde etiam qnur.
Culinae, cucumae.
Cunctare, causare.

Cursus, navium lapsus, directio.

D

Dalmatica vestis primum in Dalmatia provincia Graeciae texta est. Vel tunica sacerdotalis candida cum clavis ex purpura.

Dalum, minimum velum navis contra proram defixum.

Debellum (duellum), bellum vel pugna.

Decachinnantem, deridentem.

Decalegia, decem praecepta Domini.

De cetero, posthac, postea.

Decidentia verba, quae molliter desinunt, hoc est adulatio.

Deciduus, desidiosus, ignavus.

Decluere, decorare.

Decoctor, glutto, ganeo, popino, ambro.

Decoloratus, dissimilis.

Decoramenta, templi prosellia, id est scamnalia.

Docultarunt, valde occultarunt.

Deflagrare, devulgari.

Deformicata, arbor desectis hastulis.

Defrudat, defraudat.

Defrutum, quod aruit.

Degener, ignobilis.

Degladiandi, deoccidendi.

Delioqua, locus depressus prope cloacam maximam, ubi adpropinquantibus Gallis sacra quaedam Romani loco occulto defoderunt.

Daemoniciones, superstitiones.

Densantur, instipantur.

Dentales, aures dicuntur aratri, quibus latior redditur sulcus.

Depalata, manifestata, devoluta.

Depalatus, fur inventus.

Depeculatum, furtatum.

Depeculatus est, inciviliter vel hostiliter fecit.

Deplere, evacuare.

Deponere, exhonorare.

Depravatum, prave factum. Vel qui de pollicatione recesserit, depravatus dicitur.

Deprecare, excusare vel expurgare. Cicero: quid, inquit, facit Hortensius? avaritiae ne crimina fragilitatis laudibus deprecatur?

Desors, dissimili sorte.

Devitat, spernit.

Devotatio, per furorem maledictio.

Devotat, exprobrat aut detrahit.

Devoto, accuso.

Dextra manus dicta a dando;

ipsa enim pignus pacis datur; ipsa fidei testis atque salutis. Ex hoc est illud apud Tullium: fidem publicam iussu senatus dedi.
Dextralis, securis dexterae habilis.
Dialogus, disputator. (*Hinc Graeci appellant Gregorium magnum PP. DIALOGUM, nempe dialogorum auctorem.*)
Diameros, persona comica mitra tecta.
Dicassit, dicaverit.
Dicos, bifarie.
Didat *, dedicat.
Didens, firmus, robustus, magnis viribus, vegeto corpore.
Didrachma habet siliquas triginta sex.
Dies generis masculini, bonum tempus; feminini malum significat.
Digamiae, secundae nuptiae.
Dilargus, multa donans.
Diribere, dinumerare.
Diribitio, separatio.
Diribitorium, locus conturbernii.
Discipulati, edocti.
Discophorus, discum ferens.
Discriminalia, ornamenta kapitis mulierum.
Disculsio, expulsio.
Dissensor, discordator.
Dispalatum, diffugatum.
Diutescunt, dissolvuntur, marcescunt.
Divinacula, sortes.
Docibilis, discipulus.
Domata, moenia vel superiores domus.
Draco dicitur et dracaene, sicut leo et leaena.
Drachma habet scripula tria, seu siliquas decem et octo.
Drusus, patiens aut rigidus aut contumax.
Duent, et duint, dent, tribuant.
Duere, vincere.
Duit, dedit.

E

Ebiones, pauperes.
Ebis, gurdus.
Econes, sacerdotes rustici.
Ecora, unda maris.
Edisserabo, explanabo.
Egestuosus, miseriis pressus.
Egonus, collis quirinalis.
Elactare, a lacte tollere.
Elasius, agitator, ab elasis gr.
Eliqua, manifesta vel aperta.
Emacitas, emendi aviditas vel macitudo.
Emarcitas, marcitudo.
Embolismus, in mense duae lunae, bissextus.
Emembris, membro convulso.
Eminiculae, eminentes.
Eminulus, modice eminens.
Emortuus, mortuus vel vici-

* Ita cod.

nus morti, vel ex parte mortuus.
Enabit, enatabit, transvolabit.
Encausta, pictura quae in cera ino'etur.
Encetegna, machinula lignea qua ampliora sustinetur.
Endo, mansuetus.
Endocetum, indigestum.
Endogenia, naturaliter amoena.
Endoplorato, implorato.
Endoriguum, irriguum.
Enochilis (ἔγχελυς) piscis stagneus, id est anguilla.
Ensicium, ab ense.
Eopse, eo ipso.
Epatula, patula aqua.
Epidromos, velum secundae altitudinis sed ad puppem.
Equitas, numerus equitum.
Erraticae, erroneae.
Eruli, domini.
Eruncare, eradicare.
Ervatio, enervatio, exinanitio.
Etesiae, annonae.
Enlogium, bona fama.
Eunuchizati, qui ab hominibus eunuchi facti sunt.
Everberare, excutere, elidere, affligere.
Everriatores, qui defunctorum umbras colligunt.
Expapillato, exerto brachio ad mammam.
Excillare, cum uxore esse.
Excipulum, venabulum veteres dicebant.
Exclaudat, extra finem claudat.
Excomedit, eviscerat, evacuat.
Exdignum, non dignum.
Exdorsuandum, iudicandum.
Exdurum, satis durum.
Exigitus, experrectus, expergefactus.
Exfretat, navigat.
Exgnarabant, ignorabant.
Ex illo, ex tunc.
Exippitare, hiare id est os aperire, oscitare.
Exlaudat, extra finem laudat.
Exnuit, innuit.
Exparata, evacuata.
Expergiscor, post satietatem somni evigilo.
Experitus, probate doctus.
Expiamenta, placamenta.
Explacato, vehementer placato.
Exsinuat, examplat, exaperit.
Exsanguis, pallidus.
Exsomnis, sine somno.
Extales, intestina.
Extalis, cuius anus *haemorrhoidibus infestatur*.
Extasis, timor, pavor.
Extestinus, aliena gente.
Exsumtuavit, pauperavit.
Extravium, extraneum.

F

Faber navalis, qui navem fabricat.
Fabulones vel fabularii, fabularum inventores.

Fascinat, laudando decipit.
Fascinat, gravat.
Facitus, citatus.
Facodes, herba quae in paludibus et humidis saepe nascitur locis.
Facos, vermiculos.
Falcitat, putat, secat.
Fales, turris.
Fallibilis, subdolus, malitiosus, mendax, insidiosus.
Falsata, falsitatibus corrupta.
Famigerulus, rumigerulus.
Famosus, corruptor, adulter, libidinosus, obscenus.
Fanatici, ministri templorum dicti eo quod futura canebant, sive a Fauno.
Femellarius, feminis deditus, quem antiqui mulierarium appellabant.
Fena, herba sicca. Salomon: collecta sunt fena de montibus.
Feneus, pauper sine fide.
Fenore, commercio.
Ferra, veteres ferrae dicebant, vel Cimbri *, unde et ferrago dicta.
Ferrago, fruges in herba.
Ferascit, ferum facit.
Fercula, missoria.
Ferculum, vasculum aut discus.
Fessi rerum, copiis inopes. Sallustius: fessus (rerum) in Pamphiliam se recepit. Alias fessus est consilii incertus.
Festinare dicitur qui multa simul incipit nec perficit.
Fetiales, qui ante foediales dicti.
Fetuitum, generatum.
Ficatem, quod graeci figoton vocant.
Ficatum (1), iecur.
Fideliter, veraciter.
Fiedicus, propheta.
Filiatum *, curvatum.
Fiscilla, a fiscina diminutive.
Fissimatis, specularibus.
Flammea, virginitas.
Flamupicus (flaminicus?), locus in urbe.
Flamonium, honor pontificalis apud gentiles. Qui hanc obtinet dignitatem dicitur flaminalis.
Flava, russea, fulva.
Floscellum, flosculum.
Foeta, aliquotiens plena, aliquotiens liberata partu.
Folci, fortuita.
Folonicia, vanitas.
Forago, nota in textura, significans cuiusque diei opus.
Formosus dicitur, cui calor sanguinis ex rubore pulchritudinem creat.
Fornix, arcus de fornacis coctura extructus.

* ita cod.

* *alibi* foliatum.

(1) Itali dicunt *fegato*.

Fornices, concamerationes.
Fornices, galeae.
Forvum, calidum, fervens.
Fotavit, fovit.
Fracebunt, sordebunt, dictum a fracibus quae sunt stillicidia sterquilinii.
Fraga, floris vel cilii genus, cuius herbae terrae adhaerent, et dicuntur chamelia.
Fragitur, includitur.
Fragmenta, crusta panis.
Framea, hasta longissima et acutissima, vel gladius versatilis id est bis acutus.
Fratellis, sordium glomusculis.
Fratrassent, turgerent, pubescerent.
Fratria vel fratrissa, fratris uxor.
Fratrias, coniuratio gr.
Fratruelis, materterae filius.
Fresa, fracta, divisa.
Frestram, fenestram.
Frigdor, frigus, frigidum.
Fronditur, putatur.
Fructa sit, pro fruita sit.
Fructurus, fruiturus.
Fulica, genus aviculae nigrae stagnensis quam Graeci heredion vocant. Quidam per ·h· eam scribunt, habet nidum in petris in medio aquae.
Fulmentum, fulcimentum.
Fulvidus, rubeus, impetuosus.
Fumata, fumo plena.
Funa, retia minora.
Funalia, lignalia.
Funalia, candelae intortae in modum funium.
Fundibolus, quasi funda emittens.
Furca, quasi ferens caput suspensum et strangulatum; minor poena quam crucis, nam patibulo adpensos statim exanimat, crux autem suffixos diu cruciat.

G

Galantes, sperantes.
Galearia, pileum sive tiara.
Galenum, vas vinarium Romani antiqui dixerunt.
Galeros, calamaucos pelliceos.
Galerus, pastorale pileum de iunco.
Galiaria, negotii alieni mercator.
Gallicula, signum vestis.
Galit, perit.
Galivit, perivit.
Galnapes ———
Ganeo, luxuriosus, ambro, leno.
Garrire et loqui ita distinguitur; loquitur, qui recte et temperate dicit; garrit, qui aut multa verba dicit aut sordide loquitur.
Garrit, verbosatur, sive cum hilaritate cantat.

Gaviam, larum.
Gavina, species avis super humeros habens purpuram.
Gaulus, genus avium quae parentes suos recondere atque alere dicuntur. Eaedem et meropes.
Genearcha, generis princeps.
Geniales, lecti coniugales, aut homines grati.
Geniatus, gratus.
Geniculare, genibus flexis adorare.
Geniosus, qui habet genium.
Genisidium, generatio.
Georgius, rusticanus.

H

Hasenam, harenam, ut asas pro aras, lases pro lares.
Haustra, id est rota ab hauriendo aquam dicta.
Helluabundi, multum bibentes, ebriosi.
Helluatur, multum bibitur.
Helluantes, avide comedentes.
Hemistis, species poculi quod uno ductu, id est uno spiritu bibitur.
Herculaneus, eunuchus.
Heremum et desertum ita distinguitur; heremus est invia solitudo ubi numquam habitatum est; desertum ubi aliquando habitatum et derelictum est.
Hermula, statua sine manibus.
Hernicas, antiquas.
Herosis, viribus vel armis.
Hexeremes, naves senos ordines remorum habentes.
Hexeris, navis sex ordinum.
Hibera, lorica.
Holophara, vestis tota ex purpura.
Homuculus, non grandis homo.
Homunculus, monstrum.
Hydrinis, serpentinis.
Hydroplasmus, qui cantiones conponit organi. (1)

I

Iaculum, genus retis piscatorii, quae funda appellatur.
Iconia, imago.
Icosma, figura.
Ilas, forsitan.
Immemores, inscii, amentes.
Imbrutus, imprudens, sine sensu, sine intellegentia.
Imitus, medullitus, funditus.
Immolatores, mulierum stupratores.
In, plerumque quod invenerit servat; plerumque medium tenet; mutat in contrarium, ut infortunatus; servat, ut curvum incurvum;

(1) Nota sunt organa hydraulica.

medium tenet, ut siquis inpotens dixerit; significat enim et satis potens et non potens.
Inbuit, imbui dicitur ara nova.
Inbomentis, documentis, ab inbuit docuit.
Inbutus, leviter doctus.
Incanigenia, primigenia.
Incapitatum, sine capite.
Incautum, insecurum.
Incavillatur, inderidetur.
Indolentia, iuvenalis aetas quae dolorem nescit.
Indoles, ingeniositas, bona spes, virtutes, crementa.
Indubie, non dubitanter.
Indubina, indumenta.
Indubitare, valde dubitare.
Indubitatim, non dubie.
Industriare, docere.
Inenodabile, quod solvi non potest.
In nervo, in cataracta.
Inercia, inhebitantia.
Infabricata, non conposita.
Infalso, non falso.
Infe, dic, narra.
Inferia, inlacrimis.
Inferiale, inlacrimabile.
Infitiabilis, negabilis.
Influviosus, vorax, gulosus.
Infurvas, infuscas, offundis.
Ingenui dicti, quia in genere habent libertatem, non in facto sicut liberati; unde et eos Graeci εὐγενεῖς vocant, id est boni generis.
Ingloriosus, sine honore, vel immemor gloriae.
Infens, dicens.
Ingratis, sine voluntate, nolentia.
In unguem, in quadrum.
Inlecebris, inlitationibus sive turpissimis rebus aut seductionibus.
In logismis, in cogitationibus.
Inpariens, ubi nihil nascitur.
Inpendio *, nota esse adverbium, ut Donatus dicit.
Inhospita, inhospitabilis.
Innophtalgium, oculorum humor.
Inportitorem, Deum pagani habebant agricolae.
In promptu, in evidenti.
Inspectare, exoptare.
Inquierunt, dixerunt.
Inquisti, dixisti.
Iusana, genus herbae ita dicta, quia usus eius periculosus est; denique si bibatur vel edatur, insanum facit. Hanc vulgus milimindrum dicit.
Insignificabile, quod significari non potest.
Institis, parvis linteolis aut nastalis unde mortuorum pollices ligantur.
Insitivis, grafiolis qui inseruntur.
Insuadibile, incredibile.
Insubidus, securus.

* cod. *inpendum*.

Insubuli dieti, quod iufra et supra sunt, vel quia insubulantur.

Insuetare, insuenter invadere.

Interrex, qui nuneiat consules.

Intermina, separabilis, aut termino earens.

Interminalis, termino earens.

Intermia, internuntia, obieeta mediatrix.

Intervulsus, interpolatus.

Intimavit, eommendavit.

Inuarum, galearum.

Innubata, virgo.

Inventaria, facilis ad inveniendum res.

Inveterator, malieiosus.

Ipnalis, genus aspidis ita dicta, quod somno necat. Hunc sibi Cleopatra adposuit, et ita morte quasi somno soluta est.

Iubam, eervieem; alibi per .v. inveni.

Iugamenta, iuneturae artuum.

Iugit milvus, eum elamat.

Iurgialis, contentiosus.

Iuvat et iubat ita distinguuntur; iuvat deleetat, iubat adiubat.

Iuvetabilis, beneficus.

K

Kabina, labrum inferius (*cod.* infesens).

Kai, kaneelli.

Kaltulum, in quo mortui deferuntur, vel vestitum detritum seu linteum.

Kalvases, aquae sunt.

Kalvus, κράνιον voeatur, licet Coelius et Varco ealvariam dicant; nam calvariae plurale est, calvaria singularis.

Kaniser, senex.

Kantos, id est aeutos.

Kauum, summa pars galeae.

Kapisterium, quod agnis aut furonibus in caput iuponitur.

Kapitecensus, admiuistratione prioris affecta, vicaria administratione.

Kaplere, caedendum proferre.

Kaplosus, elisus.

Kardineam, pagani dixerunt in domorum ostiis eardinalem Deam.

Karinantes, inludentes vel invideutes.

Karistia, dies festus inter cognatos.

Karitat, prope adloquitur plebem.

Karxabet (karos habet) amat, diligit, oseulatur, amplexat, ampleetitur.

Kasula, kasella modiea seu pastorum eubile.

Katervarius, qui in katerva populi est.

L

Labescitur, movetur, convellitur.

Labina, lapsum inferens, vel aquae per viam alluviones, vel terra aquosa et mobilis in qua labimur.

Lacerna, genus cucullae subtilis.

Lacerna, pallium fimbriatum, quo olim soli milites utebantur; unde et in distinguenda castrensi urbanaque turba, hos togatos, illos lacernatos vocabant. Inde autem lacernae quasi amputatis capitiis fimbriarum, neque ita laxis ut sunt penularum.

Lactantia, ubera sane, et qui lacte nutriuntur, et ipsae quae nutriunt principaliter lactantes dici possunt, eo quod plenae sunt lacte.

Lactentia, quasi suco lacteo plena, dictum de segetibus.

Laena, amictus rotundus duplex, ut Iulius Suavis. Svetonius vero ait: toga duplex, qua inflabulati flamines sacrificant. Huius vestis inventor Laenas appellatus est.

Lageos graece, latine uvae praecoquae dicuntur, quod cito ad maturitatem curraut.

Lampadas, solstitium aestivum, quod est ·VIII· kal. iulias; ideo lampadas dicitur, eo quod ex eo die lampas solis claritatem maiorem accipiat, caloremque nimium advenientis aestatis infundat.

Larvalis, daemoniosus, vel cantator.

Lausantes, lavantes.

Lepudium, homo elegans et mollis ac facetus lepudium vocatur.

Lepusculos, tesseras.

Lepusculus, lepuscellus.

Lepus, blandities.

Lepus, genus piscis, a similitudine capitis nuncupatus.

Ligustinus, ligusticus.

Litaniae graeco nomine appellantur quae latino dicuntur rogationes. Inter litanias autem et exhomologesim hoc interest, quod exhomologesis per solam peccatorum confessionem agitur; litaniae vero indicuntur propter rogandum Deum et impetrandum in aliquo misericordiam eius. Sed nunc iam utrumque vocabulum sub una designatione habetur: nec distat vulgo utrum litaniae an exhomologesis dicatur: hae et supplicia di-

cuutur. Litanias autem tribus diebus in ecclesia celebrare de exemplo sumptum est Ninivitarum, qui damnatis pristinis vitiis, totos se tribus diebus ieiunio ac poenitentiae contulerunt, et operti saccis Deum ad misericordiam provocaverunt.

Lucar, locus altus, vel vectigal, vel erogationes quae solebant in lucis fieri.

Lucigena, loce genita.

Lucinantes, suadentes.

Lulligo. Tradunt in oceano Mauritaniae non procul a Lixo flumine tantam multitudinem lulliginum evolare ex aqua, ut etiam naves demergere possint.

Lunatica, quod fit plenilunio.

Lupata, frena duriora inaequalium et asperrimorum ad domandos equos. Alibi per duas .pp. ioveni.

Luria, genus potionis.

M

Machiones, constructores parietum.

Mactus, magis auctus gloria: et est nomen tractum a sacris; quotiens enim tus aut vinum super victimam fundebatur, mactus est taurus, dicebatur.

Macula, foramina retis. Iob: inmisit enim iu retem pedes suos, et in maculis eius ambulabat.

Maforte, matronale operimentum, quod in capite inponitur. Alibi per .v. inveoi Mavortem.

Mafortium, marsuppium, bazena.

Magnalia, magnifica, salubria, prosperiora, praestautiora.

Magnanimis, fortis.

Magnatus, nobilis, potens, sanctus.

Magnilogus, gloriosus.

Male suada, melius male suasa.

Maleiurus, periurus.

Malidus, mollitus effectus.

Malignus, parcus nimis, minuti animi, angustus vel abiectus animo.

Mammae et ubera hominis scilicet, pecudis ubera solummodo.

Mancipium dum dicitur, non sexus significatur hoc nomine sed condicio.

Mandulus, genus clausurae ostii.

Mandatum credat. Sallustius: adcommodatum mandatum credat.

Manditus, manducatus.

Manes, dii mortuorum, ab aëre, quia manus, id est rarus, est.

Manipulosus, directus.
Mansa, mansueta, vel comesta.
Mantica, bargila, bisaccia.
Mantica, macellaria sive porcella.
Manticula, viatoria pera.
Manuales, forfices ferrarii.
Manuale, logium, orale.
Mannus, equus brevior est, quem vulgo brunicum vocant.
Manus, rarus atque perspicuus.
Marcor, collapsio.
Marrubium, herba campestris amara.
Massa, norma.
Masculus, non ut quidam, mascel.
Mastriga, barbarorum nomen est, latinis loquellis infestum.
Mastriga fortis, aut fortissimus.
Massucum, edacem.
Maturo sole, cito redeunte, id est aestate.
Medica, citria latine.
Medicatur, remediatur.
Melinum dictum, quod eiusmodi metalli ferax est una ex Cycladibus insulae Melos nomine. Est candidum, nec utuntur eo pictores propter nimiam pinguedinem.
Melo, cantu.
Melopoeus, quasi carminis factor.
Melotam, lanutam.
Melotes, pelles ovium sordidae.
Membratim, sequestrato corpore, id est singulatim.
Memoriosus, memoriam habens.
Mensitur, secatur.
Mensui, mensales.
Mentiriosus, fallax, mendax. (*in cod.* 2. *m.* mendosus.)
Mercedarius, qui dat mercedem pro labore sibi impenso.
Mercenarius, mercator.
Merces, vectigalia publica.
Mercorum, murorum, a graeco.
Meretricatio, lenocinatio, fornicatio.
Mergites, fasces spicarum vel lini.
Metropolitani, a mensura civitatum vocati, singulis enim provinciis praeminent; quorum auctoritati, et doctrinae ceteri sacerdotes subiecti sunt, sine quibus nihil reliquos episcopos agere licet; sollicitudo enim totius provinciae ipsis commissa est.
Meum, species pigmenti.
Minicius, hericius.
Minutalia, modica.
Mirones, phantasiae miratores.

Mitra, kappa, kapitis ornamentum (*consonat in cod. Eucherius, dicens*: mitra est pileum phrygium vel Persarum, aut ornatus kapitis de veste.)

Modestare, regere.

Modestus dicitur qui nec irascitur.

Modica, moderata dixerunt; nam modica pro parvis abusive, non proprie, dicitur.

Modicat, temperat.

Moeniare, communire dictum a moeniis id est operibus.

Molossi, dentes molares.

Monacosmum, genus vehiculi quod ab uno iumento ducitur.

Monin, momentum.

Monodia, longum carmen.

Monogamus, unius uxoris vir.

Morigerat, mores componit.

Morigeratio, vitiositas.

Mori serpentium, explicare dicitur, eo quod serpens nisi mortuus implicatione sua non resolvatur.

Morio, a morte vocatus, eo quod non vigeat intellectu.

Mucro, summa pars gladii vel cuiuslibet teli.

Mugissor, callidus murmurator.

Mulet (mulot T. VIII. p. 262.)

Mule, genus calciamenti est.

Mulgaria, vasa in quibus lac mulgetur.

Mulier, vorax.

Mulsum, mitigatum Bacchum, quod vulgus conditum dicit.

Multifariae, multae fabulae.

Multifarie, multis locutionibus, vel multis partibus.

Multivola, multis delectationibus.

Multivolus, desideria habens in multis.

Muniacos, regis consiliarios.

Muniacotum, aciei vox.

Munifex, muuerarius, qui munera fert, qui munus facit id est officium aliquod.

Munium, munitio, murus.

Munium, officium functionum, vel tributum.

Mussant, timent, pavent, dubitant, murmurant.

Musa, sapientia.

Musicum, dulce carmen.

Musicus interpretatur poëta.

Musinatur, mulcet, placat, lenit.

Musmo, monstrum simile simiae.

Mutilo kapite, tonso capite.

N

Naphta, purgamenta lini vel cuiuslibet rei. Sallustius scribit in historiis quod naphta geuus sit fomitis

apud Persas, quo vel maxime nutriuntur incendia. Alii ossa olivarum, quae proiciuntur cum amurca arefacta, naphtam appellari putant; unde et graece πύρην, ab eo quod πῦρ id est ignem nutriat.
Nardum spicatum, ab eo quod species ipsa nardi in modum spicae sit, quae infusa conficitur.
Nationes, vagi homines in montibus habitantes sine lege atque rectore.
Navicularius, qui tantum navium est fabricator et artifex.
Navigerum, mare.
Navit, strenue agit.
Necne, canis dum gannit.
Nefarii, incriminatores scelesti.
Nefrendes, adhuc lactantes porculi, quod nondum aliquid frendant, id est comminuant dentibus. Hinc et fala fresa quae molita est.
Nene (1), ne forte, ergo.
Neniae, carmina senilia.
Neoterici libri, communes libri.
Nequeunt, subcumbunt, pereunt, deficiunt, desciscunt, destituunt.
Nequitur, non potest fieri.
Nere, filare.
Neri, pensa mulierum.
Neris, luris.
Net, filat.
Neunt, filant.
Neverat, filaverat.
Nevo, candidus.
Nibarus, splendidus.
Nimbi, venti aquis mixti.
Ninnarius, murro cuius uxor moechatur, et *ipse* tacet.
Ninxit, nivavit.
Nisantem, inplicantem.
Nixantur, saepius nitant.
Nocticola, luna.
Novales, campi et silvae nuper satae. Nota esse generis communis fem. et neut.
Noxa, culpa, mors, supplicium.
Noxia, nocibilia.
Noxialis, nocivus.
Nugigerulus, turpis nuntius odium portans.
Nuit, operuit, texit, vel annuit, promisit.
Numentum, locum in quo Numen consecrabatur, numentum pagani dicebant.
Nuscit, noscit.
Nuscibat, noscebat.

O

Obescit, inpinguat. Quod forinsecus, obesum; quod

(1) *Nene*, pro *ergo*, interrogativum perseverat in Italorum lingua.

intrinsecum, crassum dicitur.

Obesus, grassus (*sic*).

Obfectus, infectus vel infusus.

Obiectum, inlatum crimen.

Oblationes, offertiones.

Oblato, offerto.

Oblegare, contradicere vel contra leges venire.

Oblegat, circummittit.

Oblimat, limpidat.

Obloquitur Orpheus, verba exprimit.

Obnuerat, obtexerat.

Obpomacem, lacertam.

Obscenas, ominosas, mali ominis.

Obscines, obscure dictus.

Obscquellat ———

Obsequia, memoria.

Obsoleta veritas, mendaciorum sordibus inquinata.

Obsolitatus, pollutus.

Obsordet, insolescit.

Obstipeculus, inclinato capite ut solent adseverantes.

Obstrangulatus, suffocatus.

Obstrigillum, genus calciamenti est.

Obstruse, clause.

Obtensa, gurda.

Obtestor, adversarius.

Obtexunt, obiciunt, obvelant.

Obtiones, officium militum aput Romanos, ab electione vocati.

Obtundere est aliquid in angustiis includere, vel inpellere, vel obstruere; si hominem, prohibere; si locum, aedificando claudere.

Obtutum, inmobilem visum.

Offertorium, tali ex causa sumsit vocabulum; fertum enim dicitur oblatio quae altari offertur et sacrificatur a pontificibus; a quo offertorium nominatur.

Offuciarum, fallacium, aut rerum ad decipiendum speciose conparatarum. Dictum ab offucando, quod est furtim colorare.

Offula, poena vel persecutio.

Ola, summi humeri pars posterior.

Oleae, frena equi.

Olisibona civitas, quo loco, sicut historiographi dicunt, caelum a terra, et mare distinguitur a terris.

Omentat, expectat; dictum a matando hoc est a diu manendo.

Omentrum, auguria maiora.

Ominosa, auguriosa.

Omnimorbia, herba dicta quod multis morbis subveniat. Haec a Graecis polylios appellatur.

Omphacis, galla agrestis, quae medicaminibus et incaustis adhibetur.

Onesiphorus, habundaus.

Onomatopoea, est nomen ad-

fictum ad imitandum sonum vocis confusae, stridor alarum, hinnitus equorum, mugitus boum, balatus ovium.

Opimari, inpinguari, fecundari.

Orbia, fiffarunda.

Orca, umbrosa.

Orcibeta, genus herbae.

Orocardia, cocco similis est.

P

Pabii, barba.

Pabula brumae, nives.

Pacere, pacisci.

Paces pluraliter dicere debemus, sicut pares.

Padatum, carcerem.

Pacditatus, propagatio filiorum aut uepotum.

Paedor, taeter odor.

Pagae, memoriae sine idolis.

Paganicius, ut occultus.

Pagani, ex locorum agrestium conpitis et pagis vocabulum acceperunt; idem et gentiles quia terreua sapiunt.

Pagit, aut palum figit, aut citharam tangit.

Pagrum, piscem quem Graeci phagrum ideo nuncupant, quod duros dentes habeat, ita ut ostreis in mare alatur.

Palliatus, veste non candida usus.

Paliurus, herba spinosa, hoc est zura (*alia lectio* tugzira.)

Pancras, rapina.

Pancratiarii, flagellis aut tormentis subiecti, aequo animo tolerantes coronantur.

Pancrus, lapis varius ex omnibus paene coloribus constans, unde et nominatur.

Pandecte, omnia ferens et vetus et novum testamentum

Pangatorio, plantatorio.

Pangit, definit.

Pangitum, definitum.

Pannicenum, genus est vestis.

Pantheus, Deus qui omnes significationes habet quasi omnium Deus.

Pantopoles, graece negotiator qui multa venundat, qui latine seplassarius dicitur.

Papotentia, ebrietas graece; paponius ergo ebriosus.

Parabata, cupidus.

Parabolice, per parabolam.

Paranympha, pronuba.

Parapsis, gabata, patena, catinus (*Eucherius in cod. definit esse* acetabulum maius.)

Parasangas Persae vocant, quod Graeci stadia, nos miliaria appellamus.

Parasitans, adulans.

Parathesis est, cum quasi deponimus aliquid inper-

fectum aput memoriam, repetituros nos dicentes cum oportunum fuerit.
Parcissi, servorum cibi a parceudo servandoque dicti.
Parazomata, tunica ex foliis consuta; alii lumbarem dicunt.
Paregorizat, mitigat, oblectat, temperat.
Parentalia, propinquitas.
Parimola, dies festa paganorum.
Parissia, similia dicta.
Parta, divisa.
Particus, negotiator (*infra* paticus; *dic* practicus.)
Partiliter, divise aut per partes distributum.
Pastophorium, atrium templi, aut sacrarium.
Pastutus, praeparatus.
Patena, phiala, poculum.
Patera, regalis phiala.
Pater patrum, sacerdos vel praepositus,
Patiliter, divise aut patenter.
Patricida et parricida.
Patritae, aut a patre aut a patria, utrumque intelligimus; sed melius a patria, nam et pater a patria dicitur.
Patron gr., patronus.
Patronissa gr., patrona.
Patros gr., vitricus, id est matris maritus.
Paucillum, paululum.
Paulatim, particnlatim.
Pauperantur, panperes efficiuntur.
Pausia olivae, quam corrupte rustici pusiam vocant, viridi oleo et suavitati apta; et dicta pusia quod paveatur id est tundatur, unde et pavimentum.
Paviatur, tunditur, a pavimento.
Pavitans, timorem simulans.
Pavitant, pavere se simulant.
Pecua, armenta, vel loca quae pecuaria appellantur.
Pedetemptas, subtilitas.
Pegaso, homo iocularis.
Peligni, stulti.
Pellnensis, lorica.
Penis, caput, vel natura pudenda.
Penitus, intus vel semel.
Pensatores, pensiculatores.
Penum instruere, proprie est instruere convivium; et qui huic rei praesunt, instructores dicuntur.
Penutio, rubeo.
Pera, sportella.
Percatabsat, blande vel valde caedit.
Perculere, percutere.
Perfluvies, sordis effusio.
Perfunctorie, inaniter.
Perconferto, pleno scilicet.
Peripsema, rasura aut limatura cuiuscumque rei.

Peripsemata, purgamenta pomorum.
Perpegi, placui.
Persola, personabilis.
Persolas, personas,
Pessaria dieta quod intus iniciantur.
Pessus, morbi corruptio.
Peticus vel petilius, qui amat petere alienum.
Petrino cultello, ex lapide facto.
Philippeos, solidos.
Pictionicae, qui vincunt in picturarum certamine.
Pileus, masculino melius quam neutro; antiqui masculino dicebant.
Pingues voces sunt, quando spiritus multus simul egreditur sicut virorum.
Pinguis, grassus; nam obesus plus est quam pinguis. Catullus * ait: aut pinguis Umber * aut obesus Etruscus *.

* adde T. VI.p.575.
* cod. ubera.
* cod. et prossus.

Pinniraptus, secatores, gladiatores, eo quod pinnis rapiant.
Placitum, immobile.
Plagioribus, plantatoribus.
Plantarium vel plantatorium, pomarium, hortus.
Planus, magus, seductor.
Plauster, genus vehiculi.
Plastographis, falsis scriptis.
Plaustrit, quod de plaustro sonat.
Plebiscitat, plebem alloquitur.
Plostrum dicimus magis quam plaustrum.
Poderis, talaris.
Polyptychum scriptum, annales historiae, acta urbana, commentaria, album curiae, codices, testamenta, codicilli, tabulae.
Pompeianus, genus caulium.
Pompulentus, pompa plenus.
Popularitates, populi festivae congregationes.
Positiones, fundamenta, structurae.
Potis es, potes.
Praecipites, levitate furiosi.
Praecoquus, temporicius.
Praedes, recuperatores.
Praedomaverunt, subiugaverunt, sibi addixerunt.
Praemodicus, valde modicus.
Praemulgans, porrigens.
Praeopimus, praepinguis, copiosus.
Praesagat, futura nunciat, divinat.
Praespectans, intuens.
Praestinare, praestolare, praeparare, praesentare, praeesse, ire.
Problema, parabola, quaestiuncula.
Procinctus belli, apparatus pugnae.
Proclives, accessores.
Proclivum, facile, planum.
Profani, alieni a sacrificiis.

Profesti dies, festis contrarii, id est sine religione; nam festi tantummodo otii et religionis sunt.
Profluvies, sordis effusio.
Profugula, fugitivus.
Profugatus, prolongatus.
Prolexus, involutus.
Prolibor, immolor.
Promuntorium, locus in mari eminens; commune est enim insulis ut promineant; inde et loca eorum promuntoria. Sic Sallustius de Sardinia: in orientem quam in occidentem latior prominet.
Pronepos dictus quia prope nepotem est.
Pronubant, adsistunt.
Pronubante, adsistente.
Properiter, celeriter.
Propinqui, qui a femina veniunt, consanguinei dicuntur.
Propinquus mixto sanguine per adfinitatem iungitur.
Prolexam, deductam, inmissam.
Proprium, vernaculum servum.
Proraustra, ideo vocantur quod ex bello punico captis navibus Carthaginensium, raustra ablata sunt, et in foro romano praefixa, ut essent huius insigne victoriae.
Proserpiant, geminent, invalescant, increscant.
Pro sexibus, dualiter pro sexu masculino.
Prosum, productum, rectum.
Protenus, porrotenus, in longinquum.
Protoplastum, prima formatio.
Provehor, prolocor.
Proverbium, similitudo, comparatio, parabola.
Pro virili portione, quis pro se.
Pruina dicitur aqua alba hiemalis quae antelucanum cadit super herbas.
Pruna, carbones vivi.
Pruna nixa, cuius pomum recens ventrem solvit, stomacho vero contrarium indicatur; siccum autem non tantum molestum est, et in mulso coctum alvum movet. Prunum Latini ob colorem vocant.
Psaltea, sambucistra.
Psalterium, sambucum.
Puberat, pubescit.
Puer, filius, graeca loquutio, illi enim filium παῖδα dicunt.
Pugna, est unius diei; proelium vero, pars pugnae est.
Pugna, vestis nigra, vel superba aut pretiosa chlamis.
Pulvillum, plumacium.
Pulvinar, capitale, vel templum.
Pulvinaria, lecti strati, lu-

cra, sacra inrigua, religiones, res divinae, sacrificia, arae, foci, Numinum cultus.
Pulvinariae, caerimoniae.
Pulvinus, lectum.
Pupilli, orphani.
Puteus per ·u·, a potando dictus.

Q

Quaestionarius, quaesitor.
Quaestionavit, iuvestigavit, examinavit.
Quaestio, examinatio.
Quaestuarius, qui quaestu corporis vivit.
Quantes, gementes.
Quantitas, modicitas.
Querellatur, queritat, vociferatur, proclamat, protestatur.
Querimoniae, querellae graves.
Queritat, qui per publicum clamat.
Queritatur, qui assidue clamosus est.
Questibus, luctuosis clamoribus.
Questuosus, querimoniosus.
Quinquatria, quinque porticorum ambitus puto.

R

Rafimenta, interramenta.
Rancet, rancidum est.
Rapidi, rapaces.
Raptaverat, frequentius rapuerat.
Rates, naves, proprie ligna quibus rustici profunda fluminum transeunt.
Ravit, pave (prave? cum rave?) loquitur.
Recidiva, vel recidua ex ruinis nascentia, vel restaurata ex ruinis, renovata, rediviva crescendo et pullulando.
Reclaudit, aperit vel includit.
Recognatus, filius patris.
Redimicula, retinacula vel ornamentum.
Redinsertare, denuo inserere.
Redinsertavit, denuo inseruit.
Rediredolet, dolores spargit, dolorem facit.
Rediusversa, praeco.
Redulus, lignorum acervus ardens.
Reduvias, reliquias escarum.
Refertor, auctor.
Refindit, rescindit.
Reformidat, qui post timorem accipit valitudinem.
Refragatur vel refragat, demutat, remutat, repugnat.
Refragavit, refregit.
Refundat, habundat.
Regelatum plumbum, id est liquefactum.
Regimonium, regimen.
Regna, tempora.

Reicit, deflat.
Reluere, resolvere; luere enim solvere est.
Remedium lucrum (1).
Remex dictus, quod remum gerit. Sic autem remex, quomodo tubex dicitur nominativo casu. Non autem tubex sed tubicen dicendum est, ut tubicen, cornicen.
(*In cod. p.* 274. *voc.* rempublicam, *auctor noster habet eam definitionem reipublicae, quae legitur nunc in editione mea illius operis lib. I.* 25, *quamque ego in adnotationibus posui sumptam ex alio etymologo vaticano.*)
Repagula, ostia carcerum in circo euntibus, unde equi cum quadrigis egrediuntur.
Repastor, auctor, inventor.
Repastus, arbitratus.
Repelta, lapidem excelsum.
Reproperat, accelerat.
Restantes, resistentes, subsistentes, interrogantes, rogantes.
Restat, repugnat.
Retegit, reoperit.
Retica, ligna quibus vitis retinetur.
Reticulata, cancellata.
Reubarbarum, sive reuponticum, illud quod trans Danubium in solo barbarico, aut quod circa Pontum colligitur. Sic autem dictum, quod sit quasi radix barbara, quasi radix pontica.
Reus, debitor.
Reus, aerator.
Reuspo, recepto vel recognito.
Reversa, relata.
Revola, calumniosus, calumniator.
Rictus, est oris positio.
Rictu, morsu.
Ridiculus, urbanus, venustus, festivus.
Rimare, proprie tuere dicitur
Riscus, fenestrae, parietes.
Ripas, pinnacula terrae.
Ritu gentico, consuetudine gentis.
Rogifoci, rogi constructio.
Romaeus, romensis.
Romuleus, romensis.
Ropalicus, hexameter est, qui ab unius syllabae verbo ad quinque syllabarum incrementa procedit, ut est: rem tibi quam feci doctissime dulcis noram.
Rorem, romarinus dicitur, quod est virgulti genus.
Rorigenae, rore nati.

(1) Adhuc Romae dicimus *rimediare* pro *lucrari*.

Rossus, insensatus.
Rostra, prima pars navis. Hinc rostra, initia, incipientia.
Rostris initiis.
Rostris, certis.
Rota, saculum.
Rotare, oculis circuire.
Rotat, in gyrum vadit, gyrat, circuit.
Rubicon, fluvius eo quod aqua eius rubet, inter Italiam Galliamque fluens.
Rubigo, obtrectatio, invidia, livor, malignitas.
Ruborem, consuetudinem.
Rubornm mora, poma agrestia.
Rubrum, phoeniceum
Rugae, collectiones cuiusce rei in unum.
Ruminare, remandare.
Ruminat, regustat.
Runca, gula nnde ruminant animalia. In rumam revocat, id est in gulam.
Rurigena, rure natus, ruris habitans.
Ruri gignantia, terra nascentia.
Rusus, rursum.
Rusus, iteratus.
Rusti, arbores duri * singulari numero.

* ita cod.

Rusticanus, gardus.
Rutipina, urbs Britanniae.

S

Saccatum, vinum expressum per saccum, unde nomen accepit.
Saccelli, a saccis diminutive.
Sagena, verrnclum, retiae, vulgo autem neruclum dicitur.
Sagena, reticia in evangelio.
Salacia, Dea paganorum quasi maritima.
Salambonem, genus monstri est.
Salebra, via inaequalis, id est lapidosa.
Sale conditus, honestus vel moderatus.
Salpicta, tubicinator.
Sanguinarius, satelles, gladiator, grassator, pirata.
Sarga, non idoneus cuilibet arti.
Setigeri, cilicio vestiti iocularii.
Setigerum, caprarium.
Sationales, agros seminales.
Scandulae, scindulae.
Scapha, alveus quo panis maceratur.
Scharia, arbuscula spinosa pomum rubeum affert.
Scatae, bullitiones.
Scatit, bullit.
Sceda, charta scripta, per solam ·s·
Scida, secta.
Scinifos, cupidos.
Sciria, septentrionalis.
Sconna, sponsus.
Scopolia, saxa in mari.
Scordalus, ferox.

Scordiscum, corium pessimum.
Scoria, sarria quae de ferro eadit.
Scories, stulti, stolidi.
Scrattae, despectae, nugatoriae
Scriniatur, rugit aut bucinat.
Scripulatur, sollicitatur.
Scrobes per ·b·
Scrobonem Lucanus feminino genere dixit secutus Plautum.
Scrupulosa, suspecta.
Scurra, vanuloquax.
Scurronem, inrisorem dicunt
Sebum, axungia.
Sector, cultor vel usurpator.
Semiruti, non diligenter emendati.
Semipes, claudus.
Semipedalis ———
Semiplagium, minus recte dicitur, vel adiunctae retibus lineae restes plagae dicuntur.
Sesquiplum antiqui, nunc vero sescuplum dicimus.
Setigenum, caprarum.
Setses, animo incogitatos.
Sevenites, lapis persicus, cuius candor cum luna crescere atque deficere monstratur.
Sexus utraque, natura masculina et feminina.
Sexu debilitatus, castratus.
Sfungia per ·f·
Sibilus, generis masculini semper est; nam sibila pro participio sibilantia ponitur.
Sibilus, nomen serpentis basilisei.
Sicilici, (silicei ?) lapides.
Sicilicus, qui latina lingua corrupte siclus dicitur.
Sidera philosophi putaverunt ab aëre pasci; physici solis ignem aqua nutriri.
Signa sequendi, notas explicandi.
Signa transferunt, arma tradunt.
Simae capellae, hoc est naribus pressis. unde simiae quoque dictae sunt.
Simonides poëta qui ait Cupidinem ex Venere fuisse natum.
Sindonem, genere masculino.
Sindones, amictoria linea, quibus operiuntur humeri.
Singlutum, qui loquitur per singlutos (2. *manu* singultus.)
Singultare, suspirare.
Singultus, singlutius.
Sinto, sint.
Sinuat, torquet.
Sinu atro, ponitur pro meatu profundo.
Sirena, umbra in mari, hoc est lamia.
Sirenae, bestiae electissimae maris.
Sirenarum cantus, hoc iuxta physicos, qui dicunt Sire-

nas esse mortiferas in mari clamitantes vocibus diversis, ut navigantes dum audierint seducantur. Hae a capite usque ad umbilicum hominum figuras tenent; ab umbilico vero usque ad caudam volatiles.

Siste, sta.

sic? Soc *, ita.

Soleas, genus calciamenti purum solum habens.

Solurus, genus piscis.

Sorba graece, latine vero mespila dicitur.

Soriscula, vasculum aquae.

Sororius, sororis filius.

Spadix, color palmae, quam Siculi spadicum vocant. Glaucus spadix, equus qui oculos habet glauci coloris, corpus vero spadicis.

Sparatim per ·p· quia latinum est.

Sparus, genus gladii.

Spatha, framea.

Specularia, loca alta unde quis videre et videri potest.

Speculum, prospectum.

Speleusum, latinum non est sed spelaeum.

Spicatur, aspicitur.

Spira, proprie funis nauticus tortus, generis feminini secundum Homerum. Spirae proprie funium dicuntur ab spirando spiraa dictae; nam spira involucrum funium est quod nautae suo more curcubam vocant.

Spoliaria, exteriores balneorum cellulae.

Sponda, lectum vel extrema pars lecti.

Spurium baptisma, falsum et corruptum et adulterinum.

Squalens, et sordes significat et ornatum; sordes, cum dicit squalentem barbam; ornatum, auro squalentem loricam et squamis.

Squalent, sordent vel sicca sunt.

Squatit, ebullit.

Squatus, genus piscis, dictus quod sit squamis acutus, unde et eius cute lignum politur.

Stabulis, curtibus ovium.

Stadium dicitur spatium vel mensura, quae in sex milium passibus solet extendi.

Staphysagria, hoc est herba quinque digitorum. Huius semen conmasticatum humorem nimium capitis deducit.

Stagnum est ubi inmensa aqua convenit; dictum autem stagnum ab eo quod illic aqua stet nec decurrat.

Stamo, partus.

Stater, duo didrachma habet,

et est generis masculini.
Statera, campana.
Sternaces, pavidi.
Sterpiae, caudae serpentis.
Sterpullus, puleium campestre.
Sterquilinium, scupiliarum acervus.
Stiria, pendens glacies.
Stiria, spinae nomen est, cuius fructus grana babet guttis similia. Ergo stiria stillicidium congelatum; et si naribus muci congeluerunt, stiria dicitur.
Stiosus, quasi mitissimus, non superstitiosus.
Stoacem, ruinam collisionum.
Stomachatur, angustiatnr, acidiatur.
Stralius, strambns.
Stragulat, variat.
Stromatea, opus varium sive laciuiosum vel varia diversitate contextum.
Stromatis, commentariis scientiae.
Struices ———
Strutio, species avis maximae, quae speciem volandi habet, sed usum volandi non habet.
Stultatus, qui differre nescit.
Stultomalis, qui stultus et malus est
Stuporatus, stupefactus.
Subgravat, subinde gravat.
Subbastatus, titulatus, venalis; ideo de hastario fundi aliqui conparantur, id est qui iam fisco fuerant subliastati sive titulati. Dicendum et pluraliter subhastatae tamquam plurimae possessiones statutae sub basta fisci, id est decantatae.
Subigitant, remigant, compellunt.
Subnixa, subfulta vel subfirmata.
Subornavit, immisit, subposuit.
Subpedit, subest.
Subpedium, refugium.
Subpetit, opitulatur.
Subrogavit, subsortitus est, subortus est.
Subsicium vel subsequium, subsequens.
Subsidium, dignitas, insignitas, vel claritas.
Subtegmen, subvelamen, sutegorium, subtile filum.
Subtrectatur, substituitur.
Succendia, fomenta.
Succensor, imputator.
Succensus, culpatus.
Succincta, cooperta.
Sucus, vireus.
Sugillat, suadendo concitat, strangulat, suffocat, gulae manum inicit, inridet.
Sugillatio, suggestio.
Suinum, porcinum.
Sulci, arata.

Summatim, quod dicimus partibus, aut singulas summas.
Summatim, cito, festinanter.
Sumptuarius, qui erogat sumptus.
Summula, brevissima.
Suntote, estote vel sint.
Supparent, suppleantur, parent.
Supellectiles, facultates.
Superaria, vestis quae super induitur.
Superpositionem, propiciatorium.
Suppetitium, refugium.
Supplicia, sagittae et breves lanceae.
Supplodi ———
Suspecta, sollicita, timore plena.
Suspicienter, venerabiliter.
Suspitat, suspirat.
Suspirito, suspiro.
Sustenta, tolera.
Sustentata, tolerata.
Sutrinum, locus ubi suuntur aliquae species.
Syncletus, senator gr.
Syncimum dicitur quasi singularis cantilenae vox, id est cum unus canit, graece monodia dicitur: cum vero multi, chorus appellatur.
Syncipium, dimidium caput.
Syngrapha, cautio vel scriptio chirographi.
Syrrexis, est corruptio pronunciationis
Syrtes, rivi rapaces.

T

Taadae, lampadae.
Tabanum, auxilium.
Tabentum, lapis cabernatus.
Tabo, notandum quod ablativo casu tantum dicitur, et alium non recipit casum.
Talastrus, colaphus . . .
Tarea, vestis regia aut toga purpurea.
Tharaca, vestis regia.
Taxat, ponderat, tangit.
Taediatur, taedio afficitur.
Taediatur, taedio afficitur.
Taedotilex, genus ligni.
Technam, fraudem.
Technitae, artifices gr.
Tectoratus, tecto coopertus.
Technionem, malarum artium.
Tecnogamia, filiorum nubtiae.
Technopaegnia, ars ludicra.
Tegoria, coria.
Tellorem, terrorem.
Tellosum, iaculosum.
Telerunt, genuerunt aut edocuerunt.
Temerarius faciliosus.
Temeratum, violatum, ut miscuit ignotas temerato litore gentes.
Tempore et tempori sic distinguitur; tempòre ablativus casus temporis est; tempori adverbium est.

Tenilis, qui teneri potest.
Tergiversatione, conludio, frustratione.
Tergora, coria vel pedes.
Tersus, eruditus.
Theoretice, contemplative.
Theoria, diligens verborum praescriptio, vel intellectus.
Theoricus, ad divinitatem extendens.
Tesos, fatigatos.
Testae, vasa argillacia, quae igne efficiuntur tosta.
Testudo templi, camera templi.
Tetrarcha, subregulus.
Tetarteus, quartanus.
Textilia, plumata.
Thyasus, chorus sacra dicentium Liberi atris, et gestamen sacrorum erat, ut vitibus uvae.
Thyasi, laudes virginum.
Thyasis, sacris.
Tigillum, tegula; sed tegula primae positionis nomen, cuius diminutivum tigillum.
Tintario, soli iuxta splendida.
Titillatio, inflammatio, stimulus luxuriae.
Titillat, inflammat, vel ad cupidinem accendit.
Titulat, significat.
Tofus, lapis cavernatus, lapis levis, qui cavaturas habet.
Toga gallica, pacifica quae italica vocatur.
Togiferium, locus ubi scholastici disputant.
Togipurium, toga pura.
Tolor, hasta.
Tholus, summitas templi, sive cerebrum camerae.
Tomacula, tomacellus.
Tonditantes, saepe tondentes.
Tongillatim, singillatim
Tousa pectora, acerbos animos.
Toragium, ornatus mimicus.
Torrere, tostare.
Torrescit, urescit.
Torret, adustat.
Toreumata, vasa sunt a torno facta.
Torpidum, marcidum.
Torpor, crimina.
Torpor, obuncatio, truncatio.
Torpor, frigdor.
Tos, tantos, sicut tot tanta.
Toxicatus, toxicis venenis infectus.
Trabaria, navicula est qua in fluviis utuntur.
Trabes vocatae quod in transverso positae utrosque parietes contineant. Aliud autem sunt signa, aliud trabes; signa enim iuncta trabem faciunt; trabes autem sunt trabale, cum sunt dolatae.
Trabo, tristitia, maestitia.
Tractim, lente.

Tragium, tragoedia.

Trahas quidam esse quibus in area colligitur; Donatus vero dicit vehicla esse trahas sine rotis.

Traicit, transguttit, transmittit.

Trames, conpendiosa via quae transmittit, vel via transversa.

Tranat proprie de mari dicitur; sed transfertur aliquotiens ad rem, ut geminas enavit ad arces.

Transcripsit, per scripturam tradidit.

Transportatus, translatus.

Trapetae, molae olivarum.

Trapetum, concha olivaria.

Trapezia, mensulae quadrae.

Tria, compita.

Tria, ex genere funium.

Tribiliter, vulgariter.

Trieres, naves. Sallustius: dorso fluctus trieris adaequatum.

Trifaucis, tria guttura habens.

Trifinium dictum eo quod trium possessionum fines adstringat. Hinc et quadrifinium quod quattuor.

Trifolium, herba est quam Graeci triphyllum vocant, eo quod sit foliis trinis per singulas adnotationes.

Trigamus, tertiae uxoris vir, qui tribus nupsit.

Trimentum, nutrimentum.

Trines, Aboriginum lingua aratores boves triones, quasi terriones dicebantur.

Triquetram Lucretius appellat, quam Virgilius latine Trinacriam nominat, id est tria promuntoria.

Triquadrum, trium partium.

Trisulcis, trifissis, trifarie divisis.

Trochiae vocatae, quattuor rotas habent per quas funes trahuntur.

Tropologia, excusatio; unde et apologeticus appellatur.

Truditur, excluditur nove, ut Donatus.

Turibolum, turabolum.

Turmalis, ordinalis.

Turpidus, turpulentus.

Typice, figurate, formaliter.

Typhocaribdes, princeps.

Typhones, dracones.

Typhoniacos, tartareos.

Tympana, modiolos rotarum dicere possumus.

U

Ubere, copiose, abunde, affatim cumulate, nimium.

Ulpicum, oleo simile.

Umen, digitas.

Utensilia, mobilia domus.

Uvidus, crassus, pinguis.

V

Vacia, genus coloris crocei.
Vaccinia, herba qua etiam pelles inficiuntur, vel propter alium usum quemlibet. Nigra est.
Vaccinia, violae purpureae.
Vades dicuntur qui legaliter causas agunt.
Vagurrit, per otium vacuus, vel actio deperit.
Valentia latine, Roma graece.
Valitant, valent id, est sani sunt.
Vannus, argumentum de vimine factum in modum scuti, necessarium tempore messis. Vas purgatorium est, et mundandi farris instrumentum. Legitur et vallus. Varro: hunc festuculo amita vallus mitis iacta venti talem ad auram crassas quae ut fert palea et unicos cortices.
Varicat, ambulat, divertit.
Varium, plumarium.
Vascum, inanem vel nugatorium.
Vasit, perrexit.
Vastatores, portatores.
Vates, poëta aut sacerdos.
Vecors, duplicis vel mali cordis, et malae conscientiae.
Vectatur, pro voluntate portatur.
Vector, quasi vehitor; est autem vector et qui vehit et qui vehitur.
Vegetatus, confortatus.
Venator, dicitur deceptor.
Venenum, ab eo dictum quod per venas mittatur.
Veneratrum, helleborum.
Ventosus, vaniloquus, ingloriosus, populosus, popularis, ambitiosus.
Verberibus, caesonibus.
Verbotenus, verbi gratia, verbi causa.
Veretra, viri sive feminae pudenda.
Veretrum, dictum quia viri est tantum, sive quod ex eo virus emittitur; nam virus proprie dicitur humor fluens a natura viri.
Verrit, scopat.
Veriloquium, unde (psalm.) benivolentia veriloquio iuncta est.
Vertibula, vertibella, cardines.
Veruti, genus teli novati, in quo ferrum solidum est atque productum.
Vescas frondes, minutas, exiles, pingues.
Vescere, manducare.
Vescunt, edunt, manducant.
Vespertilio, sorotinus.
Vestiarius, qui vestibus praeest.
Veteramentárius, qui vetera conponit.

Vicatim, per singulas vices.
Vicissatim, subiude, vicissim.
Vicorium et cystifer uomina sunt metallorum.
Victoriosus, victoria dignus.
Viendi, videndi.
Viendis, id est flectendis, hoc est modulandis carminibus.
Viere, apud antiquos pro vincire ponebatur.
Vincla, alligamenta.
Vino vetere usum dicere debemus, non vino veteri.
Viratim, per singulas vices.
Virex, plaga a virga.
Viriliter, rigiditer.
Viriosi, viribus subnixi.
Virissat, viriliter sapit.
Virosus, fortis.
Virule, venenum.
Virus, unde veretrum.
Vis, plus significat, quam multitudo. Sallustius: quia tempestate vis piscium ponto erupit.
Vitabundus, viventi similis; sicut moribundus morienti similis.
Vitricus, pastraster.
Vomis, et vomer dicitur.
Vulsci, Ausones dicti.

X

Xystarches, athletarum princeps.

Specimen Glossographi veteris in codice mediolanensi (e schedis meis.)

Accusat par parem; incusat minor maiorem.
Aether, aër, hiber, ultimas ante vocalem producunt syllabas.
Astrum, magna aliqua stella; sidus multitudo stellarum.
Arvum, id est aratro pervium; et aut est sacionale, aut consitum, aut pascuum, aut floridum.
Caula, a caliendo.
Corpus, quasi custodia cordis. (*Alibi enim in his glossariis* pus *est* carcer *seu* custodia.)
Decus penultima brevis ne an longa sit, dubitatur; ratio tamen et usus frequentior producit eam.
Deus; quidam vocativum ponunt Dee. Prudentius: o Dee virtutum.
Draco, dracaena, vel draca. Idem facit calpo calpona, strabo stabona vel straba.

Exitium, hinc exitiat.
Extat sine ·s· scribendum est; ·x· enim pro duabus consonantibus accipitur; nec plus quam tres consonantes simul iunguntur.
Fores; in singulari tamen fore invenitur.
Funus, a funibus quae cera illitae ibi ardent.
Graeci, a Graeco rege dicti. Hinc graecor, graecitor.
Humeri, hominum; armi, quadrupedum.
Iovis, pro nominativo, raro invenitur. Pindarus: Iovis ammonet armis-abstineant.
Maiestas, a maius.
Mandragora dicta, quod habeat mala violentia, in magnitudinem mali matiani. Haec anthropoconeus dicebatur, quia formam similem humanae habet.
Nubes; huius nominativum nubs volunt quidam.
Pareo, polysemum; nam obedio et pateo significat.
Partior et partio. Priscianus enim et Eutychius asserunt esse verba, quae activa et deponentia esse possunt.
Pignus pigneris, filius; pignus pignoris, vadimonium.
Posteritas, melius postera aetas.
Praecellit, dativum et ablativum regit.
Rapino; hinc rapina.
Secretarius, id est consiliarius.
Seta, a secando dicta; hinc setacium.
Silva ab ὕλη, vel a silo quod sonat lignum.
Stupata, a stupo.
Timeo notandum est, quod in activo passivum, in passivo activum est. Idem et metuo.
Tyrannus, imperii incubator.
Ulmus, quod humosis crescit in locis.
Vulpes; quidam nominativum vulpis dici volunt; quod diminutivum non patitur; vulpicula enim non vulpecula diceretur.

EDITORIS MONITUM.

Editis in superiore volumine nonnullis auctorum veterum ex antiquo vaticano Glossario excerptis, reservavi huic loco non contemnenda, ut spero, quaedam fragmenta libri antiquissimi, qui fuit inscriptus Physiologus, *ab eodem Glossographo conservata. Hunc librum circa finem quarti christiani saeculi, vel sub initium quinti, fuisse compositum necesse est, quandoquidem Gelasius papa, qui desinente saeculo quinto obiit, eum recenset inter apocryphos in decreto* (1) *his verbis:* " *liber physiologus, qui ab haereticis conscriptus est, et beati Ambrosii nomine praesignatus:* " *quae verba repetit in suo item decreto Hormisdas, qui tertius a Gelasio pontifex fuit. Maurinus vero Ambrosii editor* (2) *tractatum hunc iamdiu deperditum esse adnotat. Quod autem beato Ambrosio falso fuerit inscriptus, ea credo causa fuit, quod Ambrosius in hexaemerone permulta de animalibus singillatim dicit: quare et apud nostrum Glossographum multae Ambrosii referuntur historiae de animalibus, quas ego utpote editas praetermisi. Quamobrem vel nominum confusione, vel fraude aliqua, vel alio errore quolibet, Physiologus quoque iam inde a Gelasii aetate, in aliquot certe exemplaribus, Ambrosii nomen iactabat. Idcirco denique scriptum ab haereticis fortasse adfirmavit Gelasius, quia vitiosa aliqua doctrina libro inerat, quae in fragmentis nostris non apparet.*

(1) Collect. Concilior. ed. Flor. T. VIII. p. 151.

(2) Praef. ad T. II. p. 3.

EXCERPTA

EX ANTIQUISSIMO LIBRO

PHYSIOLOGO.



1. ADAMANS, lapis ferro durior, de quo Physiologus ita dicit, si tamen credendum est: est lapis qui dicitur adamans; iste in monte quodam in Oriente invenitur, ita tamen ut noctibus quaeratur, non per diem, quoniam nocte lucet nbi fuerit; per diem autem non lucet, quoniam sol obtundit lumen eius.

2. AQUILA, avis magna, et regalis, de qua David dicit: renovabitur sicut aquila inventus tua.

3. ASIDA, animal est, quod Graeci struthiocamelon, Latini struthionem dicunt. Physiologus dicit, si creditur, hoc animal quasi volturium esse, habet pennas, sed non volat, sicut ceterae aves; pedes vero habet similes. Hoc vero animal cum venerit illi tempus suum ut ova pariat, elevat oculos suos in caelum, et videt num stellam illam, quae dicitur vergilia, iam ascendat: non ponit ova sua in terra, antequam stella illa oriatur in caelo; de qua stella dicit Iob: qui facit vergiliam, et arcturum, et .septentrionalem, et promtuaria austri. Tempore enim suo oritur vergilia stella in caelo; idest tunc quando iam messes florent, et aestas est circa mensem iunium. Tunc asida cum viderit vergiliam ascendisse in caelum, fo-

dit in terra, et ibi ponit ova sua, et operit ea de sabulone * in eremo. Cum autem abscesserit de loco illo, statim obliviscitur, et non redit ad ova sua; est enim hoc animal naturaliter obliviosum, et ideo tempore aestatis generat ova, et obruit illa sub arena; ut quod illa factura erat sedens super ova sua, ut fotu suo educeret pullos suos, hoc ei temporis tranquillitas, et aëris temperies praestare videatur, ut aestate calefacta arena excoquat ova, et excludat pullos illius. Quia ergo asida cognoscit tempus suum, et elevat oculos suos in caelum, Hieremias propheta dicit: et asida in caelo agnovit tempus suum. Quod vero obliviscitur posteritatis suae, Dominus loquitur ad Iob dicens: pinna struthionis similis est pinnis herodii, et accipitris, quae derelinquit in terra ova sua; tu forsitan in pulvere calefacis ea? Obliviscitur enim quod pes conculcet ea, aut bestiae agri conterant. Bene ergo de asida et Physiologus dixit.

* i. m. *sablone.*

4. ASPIS CHELONE, belua est inmanis, quae a Latinis aspis testudo nominari potest. Huius naturam Physiologus disseruit, si tamen ita credendum est: aspis inquit chelone cetus marinus est magnus, habens super corium suum tamquam sabulones *, qui sunt iuxta litora maris. Hic in medio pelago elevat dorsum suum super undas maris, ita ut a navigantibus nautis non aliud credatur esse, quam insula; praecipue cum viderint totum locum illum, sicut in omni litore maris sabulonibus esse repletum. Putantes ergo nautae insulam esse, applicant navem suam iuxta eam, et descendentes figunt palos, et alligant navem. Deinde ut coquant sibi cibum post laborem, faciunt sibi focum super arenam, quasi super terram. Illa vero

* i. m. *sablones.* Sic et mox.

belua cum senserit ardorem ignis, subito se mergit sub aqua, et navem secum trahit in profundum maris. Item astutia eiusdem beluae haec est: quando esurierit, aperit os suum, et quasi quendam odorem bene olentem exhalat de ore suo, cuius mox ut odorem senserint minores pisces, congregant se intra os ipsius. Cum autem repletum fuerit os eius diversis piscibus pusillis, subito claudit os suum, et transgluttit eos.

5. ASPIDES, serpentes venenosae, quarum naturam Physiologus exposuit dicens, si tamen credendum est: aspides hanc habent naturam, ut si quando advenerit marsus ad speluncam, ubi sunt aspides, et praecantaverit eis omnibus carminibus, ut exeant de cavernis suis, illae ne audiant vocem incantantis, ponunt capita sua ad terram, et unam quidem aurem suam premunt in terra; aliam vero aurem de cauda sua obturant; unde et David dicit: sicut aspides surdae, et obdurantes aures suas, quae non exaudiunt voces incantantium. Bene ergo de aspidibus Physiologus.

6. AUTOLOPS, animal est acerrimum nimis, adeo ut nec venatores ei possint adpropinquare. Habet autem longa cornua serrae figuram habentia, ita ut possit etiam arbores secare altas et magnas, et ad terram deponere. Cum autem sitierit, venit ad magnum Euphraten fluvium, et bibit; et est ibi frutex, qui dicitur graece hericina, habens virgulta subtilia atque prolixa. Veniens autem incipit ludere cornibus suis ad hericinam; et dum ludit, obligat cornua sua in virgultis eius. Cum autem diu pugnans liberare se non possit, exclamat voce magna: tunc audiens venator vocem eius venit, et occidit eum.

7. CHARADRIUS, avis quae in Deuteronomio praecipi-

tur non manducari. Physiologus dicit de hoc, si tamen credendum est, quia totus albus est, nullam partem habens nigram, cuius interior fimus curat caliginem oculorum: istud in vasis regum invenitur.

8. CASTOR, animal est mansuetum nimis, cuius testiculi in medicina proficiunt ad diversas valitudines. Physiologus et posuit naturam illius dicens: quia cum investigaverit eum venator, sequitur post eum; castor vero cum respexerit, et viderit venatorem venientem, statim morsu abscidit testiculos suos, et proicit eos ante faciem venatoris, et sic fugiens evadit: venator autem veniens colligit eos, et ultra iam non persequitur eum, sed recedit ab eo. Si autem rursus venerit alter venator, ut perquirens inveniat, et sequatur post eum, ille videns se iam evadere non posse erigit se et virilia sua venatori. Venator autem cum viderit eum non habentem testiculos, discedit ab eo.

9. CONCHUS, lapis est in mari, graeco vocabulo appellatus hoc, quia convexus est et rotundus. Est autem in duas partes divisus, ita ut cum voluerit aperiat se, et cum voluerit claudat. Hic ergo de profundo maris ascendit matutinis horis, habet enim intra se carnem. Cum ergo ascenderit diluculo super mari aperit os suum, et suscipit intra se de rore caeli, et circumfulgetur radiis solis; et sic fit intra eum margarita pretiosa splendida; quippe rore caeli concepta, et est de radio solis clarificata.

10. ERINACIUS. Physiologus dicit, si tamen creditur, quoniam figuram habet porcelli lactentis. Hic deforis totus spinosus est, tempore autem vindemiarum ingreditur in vineam, et ubi viderit uvam bonam, ascendit per vitem et exacinat eam, ita ut cadant omnes

acini in terram; tum demum descendens volvit sese super illos, ita ut omnes acini figantur in spinis eius, et sic portat escam filiis suis.

11. FORMICAE, minutissima animalia, et quodammodo prudentissima, de quibus Physiologus ita dicit: cum exierint de spelunca sua, ambulant ordinate, et quaerunt grana cuiuslibet seminis. Cum autem invenerint, in ore suo adprehendunt singula grana, et portant in speluncam suam. Aliae vero formicae non habentes grana in ore suo, sed sic vacuae obviantesque veniunt cum cibariis, non rapiunt ab eis grana, sed vadunt quaerentes per vestigia illarum, et sumunt sibi sicut et illae, et adferunt in habitacula sua. Quando autem recondunt grana in speluncam suam, dividunt illa per medium, ne hieme adfecta, humus semina inlata infundat. Tempore quoque messis ambulant inter segetes, et de odore advertunt, an hordeum sit spicus ille, an triticum: si enim fuerit hordeum, transeunt ad alium spicum, et odorantur; et cum senserint quia spicum tritici est, ascendunt sursum in spicum, et tollentes inde grana deponunt, et portant ea in habitacula sua.

12. HYAENA, graecum est, quod latine dicitur belua, de qua lex: non manducabis hyaenam, neque quod similis est illi, quoniam inmundum est. De qua etiam per Hieremiam prophetam dictum est: spelunca hyaenae, hereditas mea facta est. Physiologus dicit de ea, quoniam duas naturas habet, et aliquando quidem masculus est, aliquando autem femina, et ideo immundum animal est.

13. PANTHER, animal varium habens colorem, sed speciosum valde. Physiologus dicit de hoc, quoniam

inimicus est draconis solum: cum ergo comederit, et satiatus fuerit diversis venationibus, recipit se in speluncam suam, et ponens se obdormit. Post triduum vero exsurgit de somno, et statim mittit rugitum magnum; simul autem cum rugitu exit de ore eius odor tantae suavitatis, ut superet omnia aromata. Cum ergo audierint vocem eius omnes bestiae quaecumque prope sunt, et quae longe, congregant se omnes, et sequuntur post odorem suavitatis, qui exiit de ore eius. Solus draco cum audierit vocem eius, timore contrahitur, et fulcit se in subterraneis cavernis terrae, ibique non ferens vim odoris suavitatis, et in semetipsum contractus obtorpescit, et remanet ibi inmobilis atque inanis tamquam mortuus; cetera vero animalia sequuntur pantherum quocumque vadit.

14. PELICANUS. Physiologus dicit, quoniam amator filiorum nimis est: si autem genuerit natos, et modicum creverint, percutiunt se in faciem parentum; parentes autem colaphizant eos et occidunt: deinde misericordia ducti parentes duobus diebus lugent filios suos, quos occiderunt, et tertia die venit eorum pater, corripit latus suum: sic sanguis eius adspargitur super mortuorum corpora pullorum, et ex ipso sanguine calefacti mortui suscitantur. (1)

15. RHINOCERON, animal est, quod graece dicitur monoceron, latine vero unicornis. Physiologus dicit, unicornum hanc habere naturam: pusillum animal est, simile haedo, acerrimum nimis, unum cornu habens

(1) De pelicano sic in nostro codice Eucherius. " Pelicanus, avis parva, quae solitudine delectatur. Est et aliud pelicanorum genus in Nilo paene cycnis simile, nisi quod paulo maiores sunt. Quidam ita et onocrotalos vocant. "

in medio capite. Et quia nullus omnino venator eum capere potest, hoc argumento eum capiunt. Puellam virginem ducunt in illo loco ubi moratur, et dimittunt eam in silvam solam: ille vero mox viderit eam, silit in sinum virginis, et complectitur eam, et sic conprehenditur, et exhibetur.

16. SERRA, belua est marina, pinnas habens inmanes. Haec cum viderit in pelago navem velificantem, elevat pinnas suas super aquam, et contendit velificare cum nave; ubi vero cucurrerit contendendo contra navem stadiis triginta vel quadraginta, laborem non sustinens deficit, et deponens pinnas ad se adtrahit eas; undae vero maris iam lassam reportant eam ad pristinum locum suum profundum.

17. VIPERA, genus est serpentis venenosae. Physiologus autem de vipera dicit: quoniam capite usque ad pectus masculus est; a pectore usque ad umbilicum femina est; ab umbilico usque ad caudam crocodrili habet figuram. Vadum autem feminae non habent in sinu suo, sed et foramen acus habent; et masculus voluerit cognoscere feminam, effundit semen in os feminae, et dum sorbuerit femina praecidit necessaria masculi, et statim moritur masculus. Dum autem creverint in utero matris filii, comedunt matris ventrem, et sic foris exeunt. Patrolae ergo sunt, et matrolae.

18. VULPIS (1) est animal dolosum, et nimis fraudulentum, et argumentosum: cum esurierit, et non invenerit quod manducet, requirit ubi est rubra terra, et volvit se super eam, ita ut quasi cruenta appareat

(1) De terminatione nominativi *vulpes* vel *vulpis*, recole pag. 587. fin.

tota, et proicit se in terra tamquam mortua, attrahens quoque intra se flatus suos ut penitus nec respiret. Aves vero diversae videntes eam sic infectam, et cruentam iacentem, descendentes sedent super eam, ut comedant eam; illa vero rapit eas, et devorat.

FINIS.

